904. 16. A. 15

90A. 16. A. 15

A. R. P.

FR. MARCI SERRAE.

ALCODIANI.

Sacræ Theologiæ Magiſtri.

ORD. PRÆDIC.

SVMMA

COMMENTARIORVM

In Primam Partem S. Thomæ.

TOMVS III.

ROMAE,

Apud Franciſcum Caballum, 1653.

Superiorum permiſſu.

90H. 16. A. 15

A. R. P.

FR. MARCI SERRAE.

ALCODIANI.

Sacræ Theologiæ Magiſtri.

ORD. PRÆDIC.

SVMMA COMMENTARIORVM

In Primam Partem S. Thomæ.

TOMVS III.

ROMAE,
Apud Franciſcum Caballum, 1653.
Superiorum permiſſu.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

INDEX QVAESTIONVM, ARTICVLORVM, ET DVBIORVM.

QVAESTIO LXIII.

De Angelorum malitia quoad culpam.

ARTICVLVS I. Vtrum malum culpæ poſſit eſſe in Angelis, pag. 264

Dub. I. Poſſit ne à Deo fieri Creatura intellectualis ex ſua natura impeccabilis. 266

Dub. 2. Poſſit ne à Deo fieri Creatura intellectualis ex ſua natura

impeccabilis circa finem naturalem. 270
Dub. 3. An de facto Angelus ſit ex ſua natura impeccabilis circa finem naturalem directè, & immediatè. 277
Art. 2. Vtrum in Angelis poſſit eſſe tantum peccatum ſuperbiæ, & inuidiæ. 282
Art. 3. Vtrum diabolus appetierit eſſe vt Deus. 286
Dub. 1. Quodnam fuerit primum peccatum Angeli. ibid.
Dub. 2. Potueritne Angelus appetere æqualitatem cum Deo ſecundum naturam. 289
Dub. 3. An diabolus quando primò peccauit appetierit finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere, ſicque ſimilis eſſe Deo. pag. 298
Art. 5. Vtrum diabolus fuerit malus in primo inſtanti ſuæ creationis per culpam propriæ voluntatis. 316
Dub. Potueritne Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis peccare. pag.

pag. 317
Art.6. Vtrum aliqua mora fuerit inter creationem, & lapſum Angeli. 329
Dub. Quot inſtautia fuerint à creatione Angelorum vſque ad glorificationem bonorum, & damnationem malorum. ibid.
Art.8. Vtrum peccatum primi Angeli fuerit alijs cauſa peccandi. ibidem.

QVAESTIO LXIV.

De pœna dæmonum.

Art. 2. Vtrum voluntas dæmonum ſit obſtinata in malo. 342
Dub. 1. Quæ nam ſit cauſa obſtinationis dæmonum. ibid.
Dub. 2. An dæmones ita ſint in malo obſtinati, vt non poſſit bonum aliquod opus morale efficere. 354
Art. 3. Vtrum dolor ſit in dæmonibus. 359
Art. 4. Vtrum aer iſte ſit locus pœnalis dæmonum. 362

QVAESTIO LXVI.

De ordine creationis ad diſtinctionem.

Art. 1. Vtrum informitas materiæ tempore præceſſerit formationē ipſius. 368

Art. 2. Vtrum vna ſit materia informis omnium corporalium. pag. 371

QVAESTIO LXVII.

De opere diſtinctionis ſecundum ſe.

Art. 4. Vtrum conuenienter lucis productio in prima die ponatur. pag. 378

QVAESTIO LXVIII.

De opere ſecundæ diei.

Art. 1. Vtrum firmamentum ſit factum ſecunda die. 381

Art. 2.

Art. 2. Vtrum aquæ ſint ſupra firmamentum, 383

QVAESTIO LXIX.

De opere tertiæ diei.

Art. 1. Vtrum aquarum congregatio conuenienter dicatur facta tertia die. 389
Art. 2. Vtrum plantarum productio conuenienter tertia die facta legatur. 392

QVAESTIO LXX.

De opere ornatus quantum ad quartam diem.

Art. 1. Vtrum luminaria debuerint produci quarta die. 397
Art. 2. Vtrum conuenienter cauſa productionis luminarium deſcribatur. 399

QVAESTIO LXXI.

De opere quintæ diei.

Art. 1. Vtrum opus quintæ diei cõ-
uenienter deſcribatur. 401

QVAESTIO LXXII.

De opere ſextæ diei.

Art. 1. Vtrum opus ſextæ diei con-
uenienter deſcribatur. 404

QVAESTIO LXXIV.

De omnibus ſeptem diebus in communi.

Art. 1. Vtrum ſufficienter vti dies
numerentur. 409

Art. 2. Vtrum omnes iſti ſex dies
ſint vnus dies. 412

Art. 3. Vtrum ſcriptura vtatur con-
uenientibus Verbis ad exprimen
dnm opera ſex dierum. 414

QVAE.

QVAESTIO LXXV.

De homine, & primò, quantum ad eſſentiam Animæ.

Art. 1. Vtrum anima ſit corpus? pag. 418
Art. 2. Vtrum anima humana ſit aliquid ſubſiſtens. 424
Dub. An ſit omninò certum animã humanam eſſe incorpoream, & ſubſiſtentem. 424
Art. 6. Vtrum anima humana ſit corruptibilis. 434
Dubium, ſitne omninò certum animam humanam eſſe incorruptibilem, & immortalem. ibid.

QVAESTIO LXXVI.

De vnione animæ ad Corpus.

Art. 4. Vtrum in homine ſit alia forma præter animam intellectiuam. 445
Dub. An anima intellectiua contineat formaliter eminenter ani-

mam ſenſitiuam, & vegetatiuam, & omnes inferiores formas. ibidem.

Art. 8. Vtrum anima ſit tota in qualibet parte corporis. 454

Dub. 1. Sit ne anima in qualibet parte corporis. ibid.

Dub. 2. Vtrum anima in qualibet parte corporis ſit tota. 460

QVAESTIO LXXVII.

De his, quæ pertinent ad potentias Animæ in generali.

Art. 3. Vtrum potentiæ diſtinguantur per actus, & obiecta. 469

Art. 5. Vtrum omnes potentiæ animæ ſint in anima ſicut in ſubiecto. 471

Art. 6. Vtrum potentiæ animæ fluant ab eius eſſentia. 473

QVAE-

QVAESTIO LXXVIII.

De potentijs animæ in ſpeciali.

Art.1. Vtrum quinque genera potentiarum animæ ſint diſtinguenda . 475
Art. 2. Vtrum conuenienter partes vegetatiuæ aſſignentur, ſcilicet nutritiuum, augumentatiuum, & generatiuum . 478
Dub. An iſtæ tres potentiæ ſint ſpecie, & realiter diſtinctæ . ibid.
Art.3. Vtrum conuenienter diſtinguantur quinque ſenſus exteriores . 487
Dub. 1. Quænam ſint organa ſenſuum externorum . ibid.
Dub. 2. Quænam ſint media ſenſuum externorum . 492
Dub. 3. Quæ ſint ſenſibilia ſenſuum externorum . 495
Dub. 4. An, & quomodo immutetur ſenſus ab exteriori ſenſibili . pag. 508
Dub. 5. Vnde ratio diſtinctionis, & numeri ſenſuum externorum

ſit accipienda. 513
Art.4.Vtrum interiores ſenſus conuenienter diſtinguantur. 516
Dub. 1. Sit ne conſtituendus ſenſus communis à quinque ſenſibus externis realiter diſtinctus. ibidem.
Dub. 2. Sit ne conſtituenda Phantaſia, ſeù imaginatiua à ſenſu communi diſtincta. 521
Dub.3. Sit ne conſtituenda æſtimatiua, vel cogitatiua diſtincta à Phantaſia, 527
Dub.4. Sit ne conſtituenda memoria diſtincta ab æſtimatiua. pag. 532

QVAESTIO LXXIX.

De *potentijs intellectiuis*.

Art. 3. Vtrum ſit ponere intellectum agentem. 534
Dub. 1: Sit ne intellectus agens realiter diſtinctus à poſſibili. ibidem.
Dub. 2. Vtrum ad productionem

ſpe-

ſpecierum intelligibilium concurrat intellectus principaliter;phantaſma verò inſtrumentaliter. pag. 538

QVAESTIO LXXXI.

De ſenſualitate.

Art. 2. Vtrum appetitus ſenſitiuus diſtinguatur in iraſcibilem,& concupiſcibilem, ſicut in potentias diuerſas. 545

QVAESTIO LXXXII.

De voluntate.

Art. 3. Vtrum voluntas ſit altior potentia,quàm intellectus. 549

Dubium. Sitne intellectus potentia ſimpliciter perfectior voluntate. ibid.

QVÆ

QVAESTIO LXXXIII.

De libero arbitrio.

Art. 1. Vtrum homo ſit liberi arbitrij. 556
Art. 4. Vtrum liberum arbitrium ſit alia potentia à voluntate. pag. 560
Dub. Quid ſit liberum arbitrium. ibid.

QVAESTIO LXXXIV.

De animæ cognitione reſpectu corporalium.

Art. 2. Vtrum anima per eſſentiam ſuam Corporalia intelligat. pag. 567
Dub. Indigeatne anima ſpeciebus intelligibilibus ad corporalia intelligenda. ibid.
Art. 7. Vtrum intellectus poſſit actu intelligere per ſpecies, quas penes ſe habet non conuertendo ſe ad phantaſmata. 569

QVAE-

QVÆSTIO LXXXV.

De modo, & ordine intelligendi.

Art. 2. Vtrum ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus abſtractæ ſe habeant ad intellectum noſtrum, vt quod intelligitur. 574
Dub. An ſpecies intelligibilis ſit ſimilitudo formalis obiecti. ibid.
Art. 7. Vtrum vnam, & eandem rem vnus alio melius intelligere poſſit. 578
Dub. Sitne vna anima rationalis in ſeipſa, & intrinſecè perfectior alia. ibid.

QVAESTIO LXXXVI.

Quid intellectus noſter in rebus materialibus cognoſcat.

Art. 1. Vtrum intellectus noſter cognoſcat ſingularia, 582
Dub. Poſſitne intellectus noſter co

gno-

gnoſcere directè, & primò ſingularia materialia. 582

QVAESTIO LXXXVII.

Quomodo anima intellectiua ſeipſam, & ea quæ ſunt in ipſa cognoſcat.

Art. 1. Vtrum anima intellectiua ſeipſam cognoſcat per ſuam eſſentiam. 591

QVAESTIO LXXXIX.

De cognitione animæ ſeparatæ.

Art. 1. Vtrum anima ſeparata aliquid intelligere poſſit, 595

Dub. An ratione naturali conſtet animam ſeparatam aliquid poſſe intelligere. 596

Art. 8. Vtrum animæ ſeparatæ cognoſcant ea, quæ hic aguntur. pag. 605

QVAE-

QVAESTIO LXXXXIV.

De ſtatu, & conditione primi hominis quantum ad intellectum.

Art. 1. Vtrum primus homo per eſſentiam Deum viderit. 615
Art. 2. Vtrum Adam in ſtatu innocentiæ Angelos per eſſentiam viderit. 616
Art. 3. Vtrum primus homo habuerit ſcientiam omnium. 617

QVAESTIO XCV.

De his, quæ pertinent ad voluntatem primi hominis.

Art. 1. Vtrum primus homo fuerit creatus in gratia. 618
Art. 2. Vtrum in primo homine fuerint animæ paſſiones. 619
Art. 3. Vtrum Adam habuerit omnes virtutes. 620
Art. 4. Vtrum opera primi hominis

nis

nis ſuerint minus efficacia ad mee-
rendum, quam opera noſtra.
pag. 621

QVAESTIO XCVII.

De his, quæ pertinent ad ſtatum primi hominis quantum ad indiuidui conſeruationem.

Art. 1. Vtrum homo in ſtatu Innocentiæ eſſet immortalis. 622
Art. 4. Vtrum homo in ſtatu Innocentiæ per lignum vitæ immortalitatem conſequutus fuerit. pag. 625
Dub. An huiuſmodi virtus ligni vitæ fuerit naturalis. 626

QVAESTIO C.

De conditione prolis generandæ quantum ad iuſtitiam.

Art. 1. Vtrum homines fuiſſent nati cum iuſtitia. 631

Dub.

Dub. An iuſtitia originalis ſit habitus realiter diſtinctus à gratia gratum faciente. ibid.
Art. 2. Vtrum pueri in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent in iuſtitia confirmati. 635

QVAESTIO CII.

De loco hominis, qui eſt Paradiſus.

Art. 1. Vtrum Paradiſus ſit locus corporeus. 637
Dub. 1. An ſit certum ſecundum fidem Paradiſum eſſe locum corporeum. ibid.
Dub. 2. An Paradiſus ſit aliquis locus determinatus in terra. pag. 641
Dub. 3. In qua terræ parte fuerit Paradiſus plantatus. 645
Dub. 4. An Paradiſus adhuc perſeueret in terra. 652

QVÆ-

QVAESTIO CIV.

De effectibus diuinæ gubernationis in ſpeciali.

Art. 1. Vtrum creaturæ indigeant, vt à Deo conſeruentur. 662
Dub. An conſeruatio ſit actio diſtincta à creatione. 663
Art. 2. Vtrum Deus immediatè omnem creaturam conſeruet. pag. 666

QVAESTIO CVI.

Quomodo vna creatura aliam moueat, & de Angelorum illuminatione.

Art. 1. Vtrum vnus Angelus illuminet alium. 670
Dub. Quomodo vnus Angelus aliũ illuminet confortando virtutem intellectiuam eius. ibid.

QVE-

QVAESTIO CVII.

De locutionibus Angelorum.

Art. 1. Vtrum vnus Angelus alteri loquatur. 673

Dub. An rectè explicet D. Thomas modum, quo vnus Angelus alteri loquitur. 674

QVAESTIO CXII.

De miſſione Angelorum.

Art. 2. Vtrum omnes Angeli in miniſterium mittantur. 686

QVAESTIO CXIII.

De Cuſtodia bonorum Angelorum, & impugnatione malorum.

Art. 2. Vtrum ſinguli homines a ſingulis Angelis cuſtodiantur. pag. 692

QVAE.

QVAESTIO CXV.

De actione corporalis creaturæ.

Art. 4. Vtrum corpora cæleſtia ſint cauſa humanorum actuum. pag. 700

Dub. An ſaltem poſſint Aſtrologi cognoſcere complexiones, & inclinationes hominum, ac paſſiones appetitus ſenſitiui, & ex his aliquo modo prædicere actus humanos. 705

Art. 5. Vtrum corpora cœleſtia poſſint imprimere in ipſos dæmones. pag. 723

Art. 6. Vtrum corpora cœleſtia imponant neceſſitatem his, qui eorum actioni ſubduntur. 727

QVAE-

QVAESTIO CXVII.

De pertinentibus ad hominis actionem.

Art. 4. Vtrum anima hominis ſeparata poſſit corpora ſaltem localiter mouere. 731.

QVAESTIO LXIII.

DE ANGELORVM MALITIA

Quoad culpam.

Digitized by Google

facte Pharaoni Gen. 41. & Nabuchodonoſor Danielis 2. & 4. Nec obſtat, quod Eliphaz, & duobus eius amicis Dominus dicit, ca. 42. v. 7. *Non eſtis loquuti coram me rectum*. Nam hoc intelligendum eſt, quod attinet ad præcipuum eorum inſtitutum, quo volebant Iob reprehendendum, & damnandum eſſe, & ob peccata fuiſſe punitum. Conſtat autem ſæpe verba à Deo reuelata veriſſima, induci ad probandum falſa; vt patet in hæreticis. Sed demus Eliphaz fuiſſe mentitum, & reuelationem finxiſſe, qua inepte gloriaretur, & fidem, & authoritatem dictis ſuis conciliaret à teſtimonio cœleſti. Adhuc manet inconcuſſa veritas prædictorum verborum, nam teſte Origene, & D. Greg. Nazian. Oratione in laudem Athanaſij, dicta amicorum Iob plura continent vtilia, & fructuoſa, &, quæ verbis, & ſententia conueniant cum pluribus Scripturæ ſacræ ſermonibus, quos ſpiritu Dei aſlati ſancti homines loquuti ſunt. Huiuſmodi ſunt verba adducta: vnde eis tanquam infallibili teſtimonio fidem præbent vniuerſi ſancti Patres. In eis autem ſermonem eſſe de Angelis dubitari non poteſt, cum Hebraicum nomen *Malhab*, Angelum ſignificet. Et quamuis verba præcedentia de Prophetis intelligat Chaldaica paraphraſis, hæc de Angelis interpretatur. Vnde teſtibus Didymo; Chriſ. & Olimp. à maiori ad minus ſumit argumentum Eliphaz, quo confirmat neminem eſſe qui non peccet: quia ſi Deus in Angelis peccatum inuenit, quanto magis in hominibus: *Qui habitant domos luteas, &c.* Vocem Hæbrai-

braicam *Thabola*, quæ hic tantum nec alibi legitur, diuerſę reddunt interpretes. Quidam ita legunt: *In Angelis ſuis ponet gloriationem*, vel *lucem*, vel *laudem*. Sed ſubaudiunt è præcedenti membro negationem, quod, & facit D. Hieron. ita, vt ſenſus ſit: nec in Angelis ſuis ponet, aut poſuit lucem, &c. ſcilicet perfectam, & conſummatam, qua ſtabiles eſſent, & peccare non poſſent. Alij, vel à diuerſo verbo *Hol*, vel ab *Halal*, quod contrarias habet ſignificationes interpretantur: *In Angelis ſuis poſuit ingloriam, ſtultitiam, veſaniã, amentiam, dedecus, inanem gloriam, extollentiam, exaltationem, vanitatem.* Quibus ſignificatur Angelos, & natura ſua deficere poſſe, & re ipſa prolapſos eſſe in amentiam, & inanem gloriam, & ſuperbiam. Sed aduerte verbum illud, *Poſuit*, in eodem ſenſu accipiendum eſſe; quo quum dicimus nos in Deo ponere tres Perſonas: nam non ſignificat cauſalitatem, ſed cognitionem; ſicut verbum *Reperit*, quo vſus eſt Vulgatus.

Dub. I. Poſſit nè à Deo fieri creatura intellectualis ex ſua natura impeccabilis.

PArtem affirmantem quidam tenent, & probant 1. Poteſt fieri à Deo creatura intellectualis, cuius voluntas ſit determinata ex ſua natura ad bonum morale, tam reſpectu finis naturalis, quam ſupernaturalis. ergo, &, quæ ſit ex ſua natura impeccabilis. Con-

Conſequentia patet: quia non poſſet à fine vltimo deuiare. Antecedens probatur: Tum quia talis determinatio non requirit infinitatem, cum ſit quid limitatum. Tum etiam quia non repugnat libertati voluntatis creatæ: nam ad hanc ſufficit indifferentia ad diuerſa bona moralia particularia, ergo &c.

Secundò. Non repugnat fieri à Deo creaturam intellectualé, cuius intellectus ſit ex ſua natura determinatus ad proponendum bonũ honeſtum præciſe ſub ratione boni, & non ſub aliqua ratione mali adiuncta, v. g. moleſtiæ, per quam poſſit reſpui; ergo nec cuius voluntas ſit ex natura ſua determinata ad bonum morale, atque ita non poſſit peccare. Conſequentia patet, quia libertas quęcunque in volũtate, procedit ex indifferentia cognitionis, propter quod ſolet dici libertatem eſſe radicaliter in intellectu, & formaliter in voluntate. Antecedens probatur, ſenſus de facto eſt determinatus ad proponendum appetitui obiectum præciſe ſub ratione boni ſenſibilis abſque vlla ratione mali, ob quã poſſit reſpui; ergo, & intellectus poterit ſimilem determinationem habere reſpectu boni honeſti.

Dicendum tamen eſt. Non poſſe fieri etiam de potentia Dei abſoluta creaturam, quæ ſit ex ſua natura abſolute impeccabilis, ita vt nec circa finem naturalem, nec ſupernaturalem peccare poſſit. Probatur 1. Sancti communiter docent, eſſe ex ſua natura impeccabilem proprium eſſe Dei, & creaturam omnem, eo ipſo quo creatura eſt, & ex

nihilo facta peccare poſſe. Ita D. Aug.lib. 12. de Ciuit.Dei, cap.1.& 6. & lib. 3. contra Maximinum, cap.12.& D Greg.lib.5.Moral. cap.27.& D.Hieron.ad Galatas 6.& epiſt.146. D. Damaſcenus lib.1.de fide, cap.3. & alij, quos ſequutus Diuus Thomas hic ait: *Tam Angelus quam quæcumque creatura rationalis ſi in ſua natura conſideretur, peccare poteſt* & in 2. q 23.q.1.art. 1. *Nulli creaturæ communicatũ eſt, nec communicabile fuit, quod peccare non poſſit per conditionem ſuæ naturæ.* Idem dicit q.24 de verit. art.7.

Secundo probatur ratione D.Thomæ hic: ſola illa voluntas,quę eſt regula ſui actus,non poteſt declinare à rectitudine actus, quam debet habere, & ſic non peccare: ſed ſola Dei voluntas eſt regula ſui actus; ergò ſola illa eſt ex ſua natura impeccabilis. Dices ſufficere ad impeccabilitatem,eſſe voluntatem ex ſua natura determinatam ad conformandum ſe regulæ, quamuis non ſit ipſa regula, & hanc determinationem poſſe conuenire voluntati creatæ. Sed contra, ſ vt rectè hic: ait Caietan. eſſe voluntatẽ hoc modo determinatam eſt eſſe ſuam regulam, ſi non formaliter, & identice, ſaltem virtualiter, non quidem eminenter, ſed participatiuè, ſicut virtus cauſe eſt in effectu. Non poſſe autem voluntatem creatam etiam hoc modo eſſe ſuam regulam probatur cum Capreolo in 2. d.22.q.1. art.3.ad 1. & 2. vt eſſet determinata voluntas ad conformandum ſe regulæ ſupernaturali, opus eſſet intellectum quoque eſſe determinatum ad proponendum voluntati,

tati, quod eſt conforme tali regulæ; voluntas enim non fertur in obiectum, niſi, vt ſibi proponitur ab intellectu: ſed hoc eſt impoſſibile, nam per ſua naturalia, & ſine reuelatione cognoſceret finẽ ſupernaturalẽ, pręcepta ſupernaturalia, & circumſtãtias, quæ ſumuntur ex lege ſupernaturali, quę tamen *nulla creatura poteſt ſecundum ſe noſcere cum dependeant ex mera Dei voluntate, ſed noſcantur ex diuina reuelatione*; ergo &c. Confirmatur: ſupra q. 12, art. 4, oſtenſum eſt non poſſe produci ſubſtantiam ſupernaturalem, nec creaturã cui connaturale ſit videre Deum; ac proinde nec cognoſcere ſupernaturalia: ſed creatura, cuius intellectus ex ſua natura eſſet determinatus ad proponendum voluntati, quod eſt conforme regulæ ſupernaturali, eſſet ſupernaturalis, vel connaturale eſſet ei videre Deum, & cognoſcere ſupernaturalia; ergo &c.

Ad 1. verò reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem dico, determinationem illã ſupponere, intellectui cõnaturalem eſſe cognitionem finis vltimi, & regulę ſupernaturalis, ſicque infinitatem: talis enim cognitio nulli creaturę poteſt eſſe connaturalis. Ad ſecundã probationem dico indifferentiam ad bonũ, & malũ morale, ac proinde ad poſſe peccare, pertinere ad rationem voluntatis liberę createę: nam vt ait D. Thom. q. 24. de verit. art. 7. ad 4. *Quamuis poſſe peccare non ſit pars libertatis arbitrij, conſequitur tamen libertatem in natura creata*, Et 2. d. 23. q. 1. art. 1. *Impoſſibilis fuit*

 vt

vt ſeruata libertate arbitrij alicui conferretur, ſecundum conditionem ſuæ naturæ peccare non poſſet. Eſt enim quaſi quadam contradictionis implicatio: quia ſi eſt liberum arbitrium oportet, quod cauſæ ſuæ poſſit inhærere, & ſi non poteſt peccare, non poteſt cauſæ ſuę non inhærere, & ſic ſequitur contradictio.

Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens, ſi ſermo ſit de bono honeſto in ordine ad finem ſupernaturalem. Ad probationem, nego conſequentiam: quia bonũ ſenſibile in caſu antecedentis nõ ordinatur ad finem ſupernaturalem, ſicut bonum honeſtum in caſu conſequentis.

Dubium ſecundum. Poſſit nè à Deo fieri creatura intellectualis, ex ſua natura impeccabilis circa finem naturalem.

Partem negantem quidam tenent, & probant primo: Sancti dubio precedenti citati, ideo dicũt nulli creaturę intellectuali cõuenire, eſſe ex ſua natura impeccabilem, quia eo ipſo quo creatura eſt, habet cauſam ſui eſſe, & eſt ex nihilo facta: ſed hęc ratio eandem vim habet reſpectu cuiuſcunque creaturę, etiam ſi tantum ſit ordinata in finem naturalem; ergo &c.

Secundo. D. Thom. hic ideo probat creaturã ex ſua natura poſſe peccare; quia eius voluntàs nõ eſt regula ſui actus, ſed etiam ſi non ordinaretur ad finem ſupernaturalem,

non

non eſſet regula ſui actus; ergo peccare poſſet contra finem naturalem.

Tertio. Non poteſt produci creatura intellectualis, quæ ex ſua natura non habet libertatem: ſed, vt diximus dubio præcedenti ad 1. ad rationem libertatis creatæ ſpectat poſſe peccare; ergo ſi creatura non ordinetur ad finem ſupernaturalem, peccare poterit contra finem naturalem alias abſolutè impeccabilis eſſet.

Dicendum tamen eſt: Poſſe à Deo fieri creaturam intellectualem ex ſua natura impeccabilem circa finem naturalem immediatè, & directè. Docet hoc Capreolus in 2. d. 22. q. 1. art. 3. ad 1. & 2. Durandi, vbi ſic ait: *Aliqua natura rationalis, vel intellectualis potuit eſſe impeccabilis hoc modo, quod non poteſt transgredi legem naturalem, cum quo ſtat, quod nulla creatura rationalis poteſt eſſe impeccabilis per naturam habito reſpectu ad legem ſupernaturalem*. Docet enim Caiet. hic §. *Circa conſequentiam*.

Probatur primo duobus argumentis dubio præcedenti factis pro parte affirmante: vtraque enim determinatio, tam, ſcilicet, intellectus, quam voluntatis prædicta in ordine ad finem naturalem poſſibilis eſt, cum ſit omni ex parte, & ſimpliciter naturalis, & quid finitum, & licèt excludat libertatem ad bonum, & malum morale circa finem naturalem, non tamen circa finem ſpiritualem, & circa varia bona moralia particularia. Ac cum tali determinatione ſtare nequit poſſe peccare contra finem naturalem immedia-

tè, & directè; ergo.

Secundo probatur cum Capreolo vbi ſupra argumento Durandi in 2. d. 23. quæſt. 1. impoſſibile eſt peccatum eſſe in voluntate, niſi præcedente aliquo defectu in intellectu erroris; aut ignorantiæ, vel inconſiderationis circa agibilia, ſed poteſt fieri à Deo creatura intellectualis, cui ex propria natura conueniat ſemper actu, & ſine errore conſiderare omnia agibilia ab ipſa, vel ſaltem dum occurrit aliquid eligendum actu, & ſine errore, aut alio defectu videre omnes circũſtantias, ſecundum quas eſt eligibile, vel non eligibile in ordine ad finem naturalem; ergo, & quæ ſit ex ſua natura impeccabilis circa finem naturalem. Maior eſt D. Thom. 1. 2. quæſt. 77. art. 2. & in 2. d. 5. quæſt. 1. art. 1. vbi ſic ait: *Non poteſt eſſe peccatum in voluntate, niſi ſit aliquo modo acceptio in ratione: vnde omnis malus, eſt quodammodo ignorans, vt in 3. Ethic. dicit Philoſophus.* Aliquo modo dixit, vt comprehenderet inconſiderationem, qua intellectus etiam Angeli. *Conſiderando vnum retrahitur à conſideratione alterius. Contingit autem aliquid eſſe eligendum ſecundum vnam conditionem rei conſideratam, quod tamen eligendum non eſt, omnibus conditionibus concurrentibus conſideratis.* Maior probatur: plura ſunt ſpeculabilia naturalia quam agibilia in ordine ad finem naturalem; ſed Deus poteſt facere creaturam, quę propria virtute cognoſcat omnia ſpeculabilia naturalia, & omnes habitudines eorum naturales, vel ſaltem dum cognoſcit actu aliquod ens na-

naturale, videat in eo omnes habitudines, & circumſtantias, & omnia, quæ ei attribuuntur naturaliter, vel ab eo remouentur; ergo, & quæ abſque errore, vel alio defectu conſideret omnia agibilia ab ipſa, vel ſaltem quando occurrit aliquod eligendum, videat omnes circumſtantias, ſecundum quas eſt eligibile, vel non eligibile in ordine ad finem naturalem. Si dicas repugnare creaturæ liberæ, determinationem ad exercitium prædictæ conſiderationis, quia intellectus non habet eam ex ſua natura; ſed ad exercitium cognitionis mouetur à voluntate, in cuius libertate eſt, ad tale exercitium mouere, aut non mouere intellectum. Contra hoc eſt: Tum quia determinatio ad exercitium cognitionis ſpeculabilium, & habitudinum eorum non repugnat creaturę liberæ; ergo neque determinatio ad exercitium conſiderationis agibilium, & circumſtantiarum eorum: nam licet non maneat libertas reſpectu illius circa quod eſt determinatio, manet reſpectu aliorum. Tum etiam quia licet ſimilis determinatio facta per gratiam auferat libertatem ad peccandum, non tamen repugnat creaturæ liberæ, quia in ea relinquit libertatem reſpectu aliorum; ergo neque creaturæ liberę repugnabit prædicta determinatio ex ſua natura, quia reſpectu aliorum relinquit libertatem, licet auferat libertatem ad peccandum contra finem, & legem naturalem. Tum denique, nam prędicta determinatio, & non poſſe peccare in primo inſtanti ſuę creationis non repugnat

creaturę liberę, vt patebit art. 4. cur ergo repugnabit in alijs inſtantibus?

Tertiò probatur, poteſt à Deo fieri creatura intellectualis, cui ſit connaturalis, & neceſſaria, ſaltem quoad ſpecificationem dilectio Dei Auctoris naturæ ſuper omnia; ergo, &, quæ ſit ex ſua natura impeccabilis contra finem vltimum naturalem. Conſequentia patet, quia talis dilectio includit obſeruantiam omnium mandatorum naturalium, & ſine illa eſſe nequit. Antecedens probatur, nam talis dilectio eſt naturalis, & proportionata creaturæ rationali, quam propterea teſte D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 3 homo in ſtatu naturæ integrę habere poterat ex ſolis naturalibus; cur ergo non poterit eſſe connaturalis, & neceſſaria, ſaltem, quoad ſpecificationem alicui creaturæ à Deo factibili.

Dixi immediatè, & directè: nam ex conſequenti indirectè, & mediatè eo ipſo, ac creatura eſt peccabilis contra finem ſupernaturalem, eſt etiam peccabilis contra finem naturalem; hoc enim modo peccata contra finem ſupernaturalem ſunt etiam contra finem naturalem, vt dicemus 1. 2 q. 71. ar. 2 Quod, & hic probant nonnulli: quia recta ratio naturalis dictat in genere obediendum eſſe cuicunque legitimè præcipienti in quacumque materia; ergo peccatum, quod immediatè eſt contra pręceptum ſupernaturale, & ſupernaturalem finem, etiam eſt ex conſequenti, & mediatè contra illud dictamen rationis, & contra finem naturalem. Cumque non poſſit fieri à Deo, creatura, quæ

ſit

ſit ex ſui natura impeccabilis contra finem ſupernaturalem, vt dubio præcedenti oſtenſum eſt, neque poterit fieri, quę ſit omnino impeccabilis contra finem naturalem, ſed ſolum, quæ contra ipſum peccare non poſſit directe, & immediatè.

Ad primum vero reſpondetur: Sanctos Patres de impeccabilitate abſolutè loqui, hancque creaturę non poſſe conuenire, ita, vt nec contra finem ſupernaturalem peccare poſſit, conuincit eorum ratio. Quia creatura eo ipſo, quo creatura eſt, & facta ex nihilo, non eſt ipſum eſſe per eſſentiam, atque adeò non poteſt habere pro obiecto, & fine ſibi connaturali Deum, vt in ſe eſt; nec ex ſua natura habere cognitionem, quæ per ſe, & immediatè dirigat in hunc finem, ac per conſequens, neque non poſſe peccare contra ipſum. non tamen probat non poſſe fieri à Deo creaturam, quæ contra finem naturalem peccare non poſſit immediatè, & directè: nam ad hoc non requiritur, vt ſit ipſum eſſe per eſſentiam, nec, vt Deum, vt eſt in ſe habeat pro obiecto, & fine connaturali, nec, vt cognitionem ſupernaturalem dirigentem in hunc finem habere poſſit, ex ſua natura, ſed ſufficit, vt habeat voluntatem ex ſua natura determinatam ad bonum morale honeſtum, & ad diligendum Deum Auctorem naturæ, & vltimum finem naturalem ſuper omnia, & intellectum ex ſua natura determinatum ad proponendum bonum morale honeſtum, & conſiderandum omnia agibilia, & circumſtantias in ordine ad finem

vltimum naturalem, cognitione non purè ſpeculatiua, ſed etiam practica, & affectiua, qua moueatur voluntas ad operandum: quæ cum omnino naturalia ſint; non repugnat conuenire creaturæ intellectuali ex ſua natura.

Ad ſecundum reſpondetur D. Thomam eodem modo fuiſſe loquutum quo loquuntur alij Sancti Patres, vnde hic in ſolutione tertij argumenti ſolum ait, Angelum potuiſſe peccare contra finem ſupernaturalem. Et hoc ſolum probat eius ratio: nam in ordine ad finem ſupernaturalem, nec etiam virtualiter participatiue poteſt voluntas Angeli aut cuiuſcumque alterius creaturæ eſſe regula ſuarum actionum; bene tamen in ordine ad finem naturalem, quia poteſt eſſe ex ſua natura determinata ad rectitudinem naturalem ſeruandam, & conformandum ſe regulæ naturali.

Ad tertium reſpondetur: poſſe peccare non eſſe de eſſentia voluntatis liberæ vt ſic, cum non conueniat voluntati diuinę. Et quamuis hic defectus potentiæ peccandi, comitetur voluntatem liberam creatam, eique ex ſua natura conueniat, vt diximus dubio præced. ad 1 tamen non opus eſt vt in quocunque ſuo actu, aut reſpectu cuiuſcumque obiecti, & finis poſſit deficere, vt hic §. *Circa conſequentiam*, docet Caietanus; ſed ſatis eſt vt abſolute peccare poſſit ſaltem contra finē ſupernaturalem. Quamuis autem creatura non eſſet ordinata in finem ſupernaturalem; quia tamen haberet potentiam obedientialem,

lem, & capacitatem vt ordinaretur, non repugnaret ei quantum eſt ex ſua natura poſſe peccare, proindeque ex ſua natura peccabilis eſſet: ſicut & ſi nulla lex eſſet ei impoſita, peccare poſſet, quia lex ei imponi poſſet.

Dub. 3. An de facto Angelus ſit ex ſua natura impeccabilis circa finem naturalem directè, & immediatè.

PArtem negantem quidam tenent, & probant 1. vt creatura intellectualis habeat ex ſua natura non poſſe peccare directe, & immediate contra finem naturalem, requiritur, vt habeat voluntatem determinatam ex ſua natura ad conformandum ſe regulæ naturali: ſed voluntas Angelorum, non habet hanc determinationem; ergo &c. Minor probatur: Angeli non poſtulant hanc determinationem voluntatis ratione differentiarum, quibus à ſe inuicem diſtinguuntur, quia non conueniret omnibus: nec ratione gradus generici, nam hic perfecte, & complete intelligitur conſtitutus per hoc quod eſt eſſe ſubſtantiam immaterialem intellectualem, & totalem, quamuis non includeret prędictam determinationem, ergo, &c.

Secundo Dæmones quotidie peccant contra legem, & finem naturalem; ſunt enim mendaces, & homicidæ, & hominibus furta, fornicationem, & alia innumera peccata ſuadent, quæ conſtat eſſe contra legem naturalem; ergo non ſunt impeccabiles con-

tra finem naturalem.

Dicendum tamen eſt: Angelum ex ſua natura eſſe de facto impeccabilem contra finẽ naturalem directè, & immediatè. Docent hoc Capreol. in 2. d. 22 qu 1. art 3. ad 1. & 2 Durandi, & Caietanus hic § *Circa conſequentiam*, vbi ſic ait: *Angelus in puris naturalibus reſpectu obiectorum naturalium non poteſt deficere.* Probatur 1. ex D. Thom. hic ad 3. cum enim hoc argumentum propoſuiſſet: *Id quod eſt naturale ſemper ineſt: ſed naturale eſt Angelis, quod moueantur motu dilectionis in Deum; ergo ab eis remoueri non poteſt. Sed diligendo Deum non peccant; ergo Angeli peccare non poſſunt.* Reſpondet: *Quod naturale eſt Angelo, quòd conuertatur motu dilectionis in Deum; ſecundum, quod eſt principium naturalis eſſe. Sed, quod conuertatur in ipſum ſecundum, quod eſt obiectum beatitudinis ſupernaturalis, hoc eſt ex amore gratuito, à quo amoueri poteſt peccando.* Concedit ergo non potuiſſe peccare contra Deum Auctorem naturæ, & finem naturalem, & ſolum aſſerit peccare potuiſſe contra finem ſupernaturalem.

Secundo probatur ex eodem D. Thom. in 2. d. 23 q. 1 art. 1. vbi in primo argumento, *Sed contra*, probat non eſſe communicabile creaturæ peccare non poſſe abſolute ex natura propria, quia hoc nulli naturæ communicatum eſt, quia *Perfectio vniuerſi in hoc conſiſtit, quod omnes bonitates creaturarum communicabiles, in genere communicatæ ſint.* Ergo ſimiliter ſi peccare non poſſe ex natura propria contra finem naturalem directè, & imme-

dia-

diatè nulli naturæ angelicæ,ſcilicet, aut humanæ communicatum eſt, non eſt communicabile,quod tamen dubio præcedenti falſum eſſe oſtenſum eſt, & à multis, quos hic impugnamus falſum eſſe iudicatur,

Tertiò probatur ex eodem Diuo Thomæ queſtione 16. de malo art. 3. vbi probat peccatum dęmonis non potuiſſe conſiſtere in aliquo pertinente ad ordinem naturæ: *Malum enim non inuenitur in bis, quę ſunt ſemper actu ſed ſolum in his, in quibus potentia poteſt ſeparari ab actu, vt dicitur in 9. Metaph. Angeli autem omnes ſic conditi ſunt, vt quicquid pertinet ad naturalem perfectionem eorum, ſtatim à principio ſuæ creationis habuerunt; tamen erant in potentia ad ſupernatural a bona, que per Dei gratiam conſequi poterant. Vndè relinquitur, quod peccatum diaboli non fuit in aliquo quod pertinet ad ordinem naturalem, ſed ſecundum aliquid ſupernaturale.* Sentit ergo Angelos non potuiſſe peccare contra finem naturalem.

Tandem probatur ratione: vt creatura intellectualis habeat ex ſua natura non poſſe peccare directè; & immediatè contra finem naturalem, duo requiruntur, & ſufficiunt, ſcilicet ex parte intellectus, vera, & perfecta conſideratio eiuſdem finis, & omnium agibilium & circunſtantiarum in ordine ad ipſum, quando occurrit aliquid eligendum, & ſe offert occaſio vitandi peccatum, & ex parte voluntatis determinatio ad dilectionem eiuſdem finis ſuper omnia, aut quoad exercitium, aut quoad ſpecificationem; ſed Angelis hæc duo conueniunt; ergo, & non poſſe

pec-

peccare directè, & immediatè contra finem naturalem ex ſua natura. Maior patet, nam ſi hæc duo adſint, quando eſt vitandũ peccatum, ſiue ſit omiſſionis, ſiue commiſſionis nec voluntati deerit præſentatio obiecti requiſita ad tale peccatum vitandum, nec intellectui motio voluntatis ad exercitium cõſiderationis omnium, quę debent conſiderari: nam ex determinatione voluntatis ad Deum vltimum finem naturalem ſuper omnia diligendum, ſequitur determinatio eiuſdẽ volnntatis ad omnia media proportionàta in ordine ad eundem finem, & conſeruandum eius amorem, inter quæ connumerari debet applicatio intellectus ad actualem conſiderationem requiſitam ad peccandum, cum ſe offert occaſio. Sufficeret autem determinationem quoad ſpecificationem ad Deum finem naturalem diligendum, probatur: nam hæc ſufficit, vt non poſſit voluntas Deum auctorem naturę odio habere, aut velle ipſum offendere directè, & immediatè: ſicut determinatio quoad ſpecificationem ad diligendum proprium eſſe ſufficit, vt ipſum nullus poſſit odio habere, aut velle ipſum lædere directè, & immediatè, ac per ſe, licet indirectè, & per accidens ratione alicuius mali adiuncti contingit aliquando appeti non eſſe, vt patet in damnatis, & deſperantibus. Minor verò probatur: nam voluntatem Angeli determinationem habere ad Deum Auctorem naturæ ſuper omnia diligendum ſaltem quoad ſpecificationem cõſtat ex Diuo Thoma, ſupra q.60.art.2.& 5 vbi

&

& multi volunt dilectionem Dei Auctoris naturæ eſſe Angelo neceſſariam, etiam quo ad exercitium. Eius verò intellectum verum, & perfectam conſiderationem habere Dei finis naturalis, & omnium agibilium, & circumſtantiarum in ordine ad ipſum, ſi non ſemper, ſaltem quando occurrit aliquid eligendum, colligitur ex D.Thom.q 16 de malo ar.3 & 4.aſſerente ſecundum naturalem cognitionem non potuiſſe Angelum peccare. Confirmatur, nam, vt docet D. Tho ſupra q.62.art.4.ad 1.difficultas bene operandi ſolum eſt in Angelis reſpectu boni ſupernaturalis, ergo ad bonum naturale ex ſua natura determinati ſunt.

Ad primum verò reſpondetur negando minorem. Ad probationem dico illam determinationem eſſe perfectionem quam poſtolat natura angelica ratione gradus generici; licet enim hic eſſentialiter ſit perfectè cõſtitutus per rationem ſubſtantiæ immaterialis, intellectualis, totalis; ad hanc tamen ſequitur ad modum proprietatis, determinatio & perfectio illa, gradus illius propria.

Ad ſecundo reſpond. dæmones, peccata illa facere ex odio Dei auctoris ſupernaturalis, & rationem formalem in omnibus, in quibus diabolus peccat eſſe deordinationem a fine ſupernaturali; ac proinde per ſe directè, & immediate, & formaliter peccare ſemper contra finem ſupernaturalem, contra naturalem verò, ſolum quaſi materialiter, & mediatè, atque indirectè, & per accidens, ſicut, & damnati, & deſperantes indirectè, &

per

per accidens appetunt non eſſe, quod directè, & per ſe appetere non poſſunt. Hoc exemplo innumera argumentorum plauſtra, quę falcatos currus contra nos eſſe exiſtimāt recentiores, facillimè ſubuertes. D. Th. 1. 2. q. 89 a. 4. ad 3. docet Angelos malos licèt aliqua facere videantur, quę ſunt ex genere ſuo venialia peccata prouocando homines ad riſum, ſemper tamen peccare mortaliter propter intentionē, qua hęc faciunt: ita ergo licèt quædam facere videantur, quæ ſunt contra legem naturalem; quia tamen hęc faciunt ex odio Dei Auctoris ſupernaturalis, cōtra finem ſupernaturalem peccant.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Angelis poſſit eſſe tantum peccatum ſuperbiæ, & inuidiæ.

PRima concluſio: *Secundum reatum omnia peccata in dæmonibus eſſe contingit, quia dum homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum incurrunt.* Quod de reatu culpę intellige; nam reatum pœnę, cum ſint damnati, & in termino, iam non incurrunt dęmones; ſicut nec in beatis eſt meritum pręmij: ſtatus enim vię, conditio requiſita eſt, tam ad meritum, quam ad demeritum.

Secunda concluſio: ſecundum affectum vero illa ſolum peccata in malis Angelis eſſe poſſunt, ad quę contingit affici ſpiritualem

na-

naturam. Spiritualem autem naturam affici non contingit ad bona, quæ ſunt propria corpori, ſed ad ea, quæ in rebus ſpiritualib. inueniri poſſunt. Vnde cum luxuria, gula, & auaritia obiecta purè corporalia, quæ ſunt propria corpori, reſpiciant, manifeſtum eſt in dæmonibus non poſſe ſecuudum affectú eſſe alia vera peccata; quæ licet reſpiciant obiecta corporalia, ad ea tamen feruntur, ſub aliqua ratione ſpirituali, aut communi rebus corporeis, & ſpiritualibus, benè poſſunt eſſe iu dæmonibus ſecũdum affectum, afficiuntur enim ad accipienda corporea ſacrificia ab idololatris, propter honorem diuinũ, cuius ſunt ſigna: ad inferenda etiam damna hominibus, tam in vita, occidendo illos; quam in fama, illos infamando, tum in rebus domeſticis, & bonis temporalibus, hæc furando, aut deſtruendo; damni namque illatio communis ratio eſt; quæ etiam in rebus ſpiritualibus inueniri poteſt, & ad illam etiam in rebus corporalibus afficiuntur dæmones, quatenus eſt ipſis vtilis, ad aliquem finem intentum. Alia denique peccata, quæ obiecta purè ſpiritualia reſpiciunt, manifeſtum eſt in Angelis malis inueniri ſecundum affectum.

Tertia concluſio: Peccatum primũ Angeli, non poteſt eſſe aliud, quam ſuperbia, Quæ ſi intelligatur non ſolum de peccato, quod fuit primũ, quando Angelus incœpit peccare, ſed etiã de primo, quoties peccat, ſic explicanda eſt, ſuperbiã eſſe id, ad quod primo, & formaliter afficiuntur dæmones,

Vn-

Vnde ſicut teſte Diuo Thoma in 2. diſt. 12. q. 1. ar. 1. licet in primo peccato Adæ multæ appareant deformitates, & peccata, gulæ ſcilicet, inanis gloriæ, & auaritiæ. *Nihilominus tamen ſunt omnia talia, materialia reſpectu ſuperbiæ, quia ad finem excellentiæ conſequendæ, omnia ordinauit*. Et finis eſt, qui ſpeciem tribuit actibus moralibus; *Vnde Philoſophus dicit in 6. Ethic. quod ſi aliquis mœchatur, vt accipiat lucrum, magis auarus, ſeu iniuſtus, quam mœchus eſt*; ita, licet dæmones multa peccata faciant; quia tamen ea ordinant ad finem ſuperbię, reſpectu huius omnia alia materialia ſunt, & ſuperbia eſt, ad quam primò, & formaliter afficiuntur. Si enim dæmones ad alia peccata afficiuntur, hoc eſt, quia, vt hic ait ſanctiſſimus Præceptor: *In tali affectu ſuperioris regula nō ſeruatur, & hoc eſt peccatum ſuperbiæ*. Non quidem transgredi regulam, vt talis eſt, nam tranſgredi regulam, vt talis eſt, ad peccatum inobedientiæ pertinet, ſed *Non ſubdi ſuperiori in eo quod debet*. Nam non ſubdi, quid aliud eſt, quam non humiliari, & contra ſuperiorē ſuperbire? Hoc ergo affectant dæmones Dei præcepta tranſgredientes.

Quarta cōcluſio: *Sed conſequenter potuit in eis eſſe inuidia*. Inuidiam quippe, vt ait D. Aug. lib. de ſancta virginitate. ca. 31. *Superbia continuo parit, nec vnquam eſt ſine tali prole, atque comite. Quibus duobus malis, hoc eſt ſuperbia, & inuidentia diabolus præeſt*. Aliqui Codices legunt: *Eſt*, ſed *præeſt*, imperium denotat, quo iſta peccata in dęmonibus

bus omnia alia ordinant ad ſuum obiectum, & finem. Propter quod hęc tantum poſſe inueniri in dęmonibus, videtur docere D.Th. & in ſolutione tertij ait: *Sub inuidia, & ſuperbia, prout in dæmonibus ponuntur, comprehenduntur omnia peccata, quæ ab illis deriuantur*.

In ſolutione ſecundi inquit D. Thom. *Ira vero cum quadam paſſione eſt ſicut, & concupiſcentia. Vnde ipſa in dæmonibus eſſe non poteſt niſi metaphoricè*. Cuius oppoſitum non dixit S. Doctor ſup. q. 20 art. 1. ad 2. Cum enim ibi agat de ira, vt eſt paſſio, quomodo poterat dicere eſſe ſine paſſione? Eſſet enim ſine ſe ipſa. Solum ergo ait, corporalem tranſmutationem, ad iram non pertinere formaliter, ſed materialiter. Ad peccatum verò iræ non ſufficit appetitus vindictę, ſed requiritur etiam, vt ſubiectum inordinationis eius proprię, ſit actus humanus, qui vel ſit paſſio, vel procedat ab ea, ſi enim ab appetitu vindictæ ſecludatur omninò paſſio appetitus ſenſitiui, poterit quidèm habere inordinationem aliorum peccatorum, non tamen eam quę eſt propria irę, vt eſt ſpeciale peccatum. Vnde ex omnibus inordinationibus quę appetitiui vindictę conuenirę poſſe docet D. Thom 2. 2. q. 158. art. 2. ſola illa, quę ei conuenit ex parte modi iraſcendi, qui ſine paſſione eſſe nequit, nam conſiſtit in immoderato feruore motus appetitus ſenſitiui, videtur eſſe propria irę, vt eſt ſpeciale peccatum ab alijs diſtinctum, alię enim inordinationes, vel ſunt iniuſtitię, vel odij, vel alterius peccati.

AR:

Primum eſt Lucæ cap. v. 18. vbi, ſicut aduertit D. Gregor. lib. 23, Moral cap. 7. vt Chriſtus reprimeret elationē Diſcipulorum gaudentium, quoniam dæmones illis ſubijciebantur, dixit: *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*, ſignificans illum propter ſuperbiam cecidiſſe.

Secundum eſt Pauli 1. ad Tim. 3. v. 6 dicentis Epiſcopum debere eſſe; *Non neophytū, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli*: Hoc eſt, vt Chriſ. ibi, & Hom. 3. de verbis Iſaię, *Vidi Dominum*, exponit, *Ne in eandem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit*. Quę duo teſtimonia cōplectens D. Hieron. in illud Iſaiæ 3. *Et dabo pueros, &c.* inquit: *Iudicium diaboli nullum eſt aliud, niſi ſuperbia: propter quam de cœleſtibus cæcidit. Vnde Saluator loquitur: Videbam Satanam quaſi fulgur cadentem de cœlo.*

Probatur etiam, nam communi conſenſu id docent S. Patres pręſertim ex Latinis D. Aug. lib. 12. Ciui. Dei, cap. 6. his verbis: *Cum vero cauſa miſeriæ malorum Angelorum quæritur, ea merito occurrit, quod ab illo qui ſummè eſt, auerſi, ad ſeipſos conuerſi ſunt, qui non ſummè ſunt, & hoc vitium quid aliud, quā ſuperbia nuncupatur? Initium quippe omnis peccati eſt ſuperbia.* Et ex Grecis D. Chriſ. ho. 5. de verbis Iſai. *Vidi Dominum*, vbi ſic habet; *Superbia virtutem incorpoream e ſublimi detraxit, ac deiecit, eo quod diabolum cum diabolus non eſſet, vt hoc eſſet effecit, nimirum diabolus.*

De inuidia probari ſolet ex illo Sap. 2. v. 24. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

rarum. Verum hoc non probat diabolum ob inuidiam de cœlo cecidiſſe, quin potius Diu. Chriſ. Hom. 22 in Gen. ex hoc loco colligit diabolum antequam formaretur protoplaſtus, eique inuideret, à ſua dignitate excidiſſe, & ſubdit; *Dic oro mihi, ſi non ante factum hominem excidit quomodo in tanta dignitate manens, inuidit homini? &c. Sed inuidit, quaſi à ſuprema gloria ad extremã ignominiam deiectus eſt, &c.*

Probatur ergo ex communi Patrum conſenſu. Ex Græcis ſufficiat nobis adduxiſſe D. Baſil qui ſermo. in aliquot Scripturæ locos, de inuidia loquens ait: *Ipſa namque proprium eſt Diaboli vitium. Non enim diabolus ſtatim creatus eſt diabolus: ſed Angeli poteſtatẽm ſumens in dæmonis naturam conuerſus eſt, & factus iniquus dæmon. Hac enim iniquitate imbutus, & Dei familiaritate alienatus, &c.* Ex Latinis vero D. Aug. qui ſerm. 53. de verbis Domini loquens de diabolo ait: *Sola eum ſuperbia, & inuidia mittit in ignem æternum*: Et concione 2. in Pſal. 57. inquit *Sola ſuperbia lapſus eſt, & quoniam ſuperbiæ, comes eſt inuidentia, fieri non poteſt, vt ſuperbus non inuideat.* Et lib. 11. de Gen. lit. c 14. optimè explicat quomodo ex ſuperbia, mox ſequatur inuidia. Quod, & facit D. Thomas art. præcedente.

Ne autem D. Chriſoſt. loco citato, dicenti diabolum, non inuidiſſe homini antequam e cœlo deiectus eſſet videamur aduerſari aſſeramus inuidiam, quam diabolus antequam deijceretur, & dum adhuc eſſet in via habuit non fuiſſe de hominis bono preſertim naturali

rali ſed de excellentia diuina. Nec propter peccatum inuidię addendum eſt vię Angelorum tertium inſtans: nam non iuxta quorumcunque actuum liberorum numerum multiplicantur in Angelis inſtantia temporis diſcreti, ſed eorum dumtaxat, qui, & ſunt diſtincti inter ſe, & nullo modo habent rationem vnius. At peccatum ſuperbiæ,& inuidię aliquo modo habent rationem vnius, quia ſuperbiæ ſubordinatur inuidia tanquam radici, & matri, quam neceſſariò ſequitur, & comitatur.

Ad argumentum verò factum pro ſententia Scoti, reſpondetur: amorem amicitiæ reſpectu perſonæ,cui eſt volitum bonum, & amorem concupiſcentiæ reſpectu boni concupiti perſonæ,non eſſe diſtinctos actus;quorum vnus alterum præſupponat: nam, vt ait Caietanus 1.2. quęſt.26.art.4. *Non diſtinguitur amor in amorem amicitiæ, & concupiſcentiæ, tanquam in diuerſos amores, ſed tanquam in diuerſos modos amandi, vnus enim, & idem amor, eſt amicitiæ reſpectu amici,concupiſcentiæ reſpectu boni illi voliti*. Peccatum ergo primũ Angeli,vnus actus ſuperbiæ fuit, qui vt reſpiciebat inordinatam excellentiam,erat amor concupiſcentię, & vt reſpiciebat ipſum Angelum, erat amor amicitiæ.

Dubium 2. Potuerit ne Angelus appetere æqualitatem cum Deo ſecundum naturam.

Partem affirmantem quidam tenent, & probant 1. Quia licet hoc ſit omninò

impoſſibile, tamen impoſſibilium poteſt eſſe voluntas; ergo illud poterit Angelus appetere. Antecedens probatur: Tum ex Ariſtot. 3. Ethic. cap. 2 dicente. *Electio, quidem, non eſt impoſſibilium, voluntas autem eſt impoſſibilium, puta immortalitatis*. Tum etiam, quia impoſſibilium per accidens, & ex ſuppoſitione poteſt eſſe voluntas, pœnitens enim vellet non peccaſſe: ergo, & impoſſibilium per ſe, quale eſt Angelum eſſe Deum: nam illa non dicunt magis ordinem ad eſſe, quam hæc. Tum denique, quia damnati deſiderant Deũ non eſſe; qui peccat mortaliter vtitur Deo, vt medio, fruitur creatura, vt vltimo fine: & multi dum cogitant ſe conuerſos in Angelos, aut aues delectantur; ergo cum hæc ſint ſimpliciter impoſſibilia, talium impoſſibiliũ poteſt eſſe voluntas.

Secundò: Quod Angelus appetat ſe eſſe æqualem Deo, non ſequitur neceſſario appetere ſe non eſſe; & licet ſequeretur, poſſet appetere ſuum non eſſe, vel tanquam mediũ ad obtinendum æqualitatem cum Deo, vel tanquam quid conſequens ad talem æqualitatem; ergo &c. Antecedens quo ad primam partem probatur. Tum, quia poteſt intellectus Angeli conſiderare bonitatem, quæ eſt in æqualitate cum Deo, & non conſiderare non eſſe ipſius Angeli, quod ex ea ſequitur, illamque proinde proponere voluntati, vt appetendam, & non proponere, vt appetendum non eſſe, ipſius Angeli, ergo voluntas poterit velle æqualitatem cum Deo, quamuis non velit non eſſe Angeli. Tum etiam, quia

quia licet ex equalitate cum Deo ſequatur nō eſſe Angeli: tamen non eſt neceſſarium, vt; qui vult antecedens bonæ conſequentię, velit etiam conſequens expreſsè, & actualiter, ſi ignoret, aut non conſideret conſequentiam vnius ex altero, aut ſi antecedens velit non abſolutè, ſed ſub hac conditione, ſi ſtat ſimul cum oppoſito conſequentis; ergo &c. Quoad ſecundam etiam partem probatur; quia vtroque modo appetunt damnati, & deſperantes non eſſe, quia ordinant ipſum, vt medium ad finem, qui eſt carere malis, quibus affliguntur, & volunt non permanere ſuum eſſe, tanquam incompoſſibile cum carentia illorum malorum, quod eſt conſéquéter velle ſuum non eſſe; ergo &c

Dicendū tamen eſt: Angelum nō potuiſſe appetere æqualitatem cum Deo ſecundum naturam. Docet hoc expreſsè Diuus Thom. hic, & probat: *Quia ſciuit hoc eſſe impoſſibile naturali cognitione*. Licet enim poſſit eſſe voluntas, immo, & electio eius, quod licet reuera ſit impoſſibile iudicatur tamen eſſe poſſibile, intellectu errante, aut eius impoſſibilitatem ignorante, vt docet D. Thom 1. 2. q. 13 ar. 3. ad. 2 inquit, tamen eſſe eius, quod cognoſcitur, & iudicatur eſſe impoſſibile per ſe, & ſimpliciter. Quod probatur cum D. Thom. 1. Contra gentes, cap. 84 Voluntas quantumuis inefficax, & incompleta ſit, nequit eſſe niſi boni: ſed, quod eſt, & iudicatur eſſe impoſſibile per ſe ſimpliciter, & abſolutè, quale eſt Angelum eſſe Deo æqualem, ſecundum naturam, non eſt bonum, nec ſub ratio-

ne boni proponitur,ergo illius nõ poteſt eſſe voluntas. Maior patet:Quod non eſt bonum, non eſt appetibile,ſicut,& ,quod non eſt coloratũ,aut lucidũ,non eſt viſibile; ergo ſicut viſio nõ poteſt eſſe niſi colorati,aut lucidi ita nec voluntas niſi boni.Minor vero probatur cum eodem D.Th. ibidẽ:ſecundũ quod vnũquodque ſe habet ad eſſe ita ſe habet ad bonitatem, bonum enim fundatur in ente, & cum eo conuertitur: ſed quod eſt, & iudicatur eſſe impoſſibile per ſe ſempliciter, & abſolute, nec eſt ens, nec proponitur ſub ratione entis; ergo nec eſt bonum, nec ſub ratione boni proponitur. Dices id quod eſt, & iudicatur ſimpliciter impoſſibile, non poſſe cognoſci eſſe poſſibile, ens, & bonum affirmando de eo ens, & bonum; cognoſci tamen poſſe, & apprehendi ad modum poſſibilis entis, & boni: ſicut de chimera; licet non enunciemus bonum, aut ens; eam tamen apprehendimus ad modum entis cuiuſdam; & hoc ſufficere, vt voluntas affectu ſimplici inefficaci feratur in impoſſibile. Sed contra hoc eſt; Tum, quia eodem modo poſſet appetere voluntas eſſe, & non eſſe ſimul; hoc enim non eſt magis impoſſibile quam Angelum eſſe Deo æqualem Tum etiam, quia eodem modo poſſet ferri volũtas in id quod intellectus iudicat omnino eſſe malum, & nullam rationem bonitatis habere, ſicque in malum ſub ratione mali. Tum pręterea; quia quamuis intellectus apprehendat impoſſibile ad modum poſſibilis; non tamen dictat, nec proponit voluntati illud poſſe

habe-

habere eſſe in re, cum oppoſitum iudicet; ergo non poteſt mouere voluntatem; huius enim obiectum non mouet illam ſecundum eſſe apprehenſum, licèt hoc ſit conditio, ſed ſecundum eſſe, quod habet in re, vel intellectus dictat, aut proponit in re habere poſſe. Tum denique, quia ſimplex apprehenſio intellectus ſine iudicio affirmante, aut negante, non ſufficit ad mouendam voluntatem; immò, & in nobis ſimplex apprehenſio ſenſus non ſufficit ad mouendum appetitum ſenſitiuum: nam, vt ait Diuus Thomas 3. de anima, lect. 4. *Appetitus non patitur, neque mouetur ad ſimplicem apprehenſionem.* Et [illegible] ſenſitiuus, quàm intellectiuus non mouetur ad appetendum, vel fugiendum obiectum, niſi ei proponatur, vt conueniens; licèt autem æſtimatiua in brutis ſimplici apprehenſione proponat obiectum ſub ratione conuenientis, aut diſconuenientis, quia hoc facit ex inſtinctu naturæ: intellectus tamen, qui non habet ex inſtinctu naturæ proponere obiectum, vt cõueniens, aut diſconueniens, ſed ex perfectione ſuæ cognitionis, qua percipit habitudinẽ conuenientiæ, aut diſconuenientiæ ad id quod, & cui eſt conueniens, vel diſconueniens, vt colligitur ex Diuo Thoma, infra quæſtione 78. artic. 4. non poteſt ſimplici apprehenſione proponere obiectum, vt conueniens, aut diſconueniens, ſed ad hoc requiritur compoſitio, ſaltem virtualis, & ex parte rei cognitæ, qualem deberet habere Angelus in caſu, de quo loquimur, nam obie-

ctum cognitionis eius non eſſet ſola æqualitas cum Deo, ſed totum hoc, ſcilicèt æqualitatem cum Deo eſſe bonam, & conuenientem ipſi. Confirmatur: ſi ſimplex obiecti apprehenſio, in qua non eſt veritas, aut falſitas, ſufficeret ad mouendam voluntatem Angeli, ſequeretur poſſe odio habere, aut nolle beatitudinem in communi, ſi videlicèt prędicto modo apprehenderetur ad modum mali; cur enim illo modo non poteſt apprehendi, ſicut impoſſibile ad modum poſſibilis? Conſequens eſt falſum, nam aliàs non neceſſitaretur voluntas quoad ſpecificationem à beatitudine, & bono in communi, ergo. [illegible]

Probatur deinde conclusio [illegible] ma hic: Quamuis eſſe æqualem Deo ſecundum naturam, eſſet Angelo poſſibile; non tamen niſi deſineret Angelus omnino eſſe; quia, quod eſt æquale Deo ſecundum naturam, non poteſt eſſe creatura, ſicque neque Angelus: ſed nulla creatura poteſt appetere altiorem gradum naturæ, in quem non poteſt peruenire, niſi deſinat eſſe: *Eſt enim vnicuique naturale deſiderium ad conſeruandum ſuum eſſe*. Eſtque eius appetitus ex ſua natura determinatus quoad ſpecificationem ad proprium eſſe, ita, vt non poſſit nolle ipſum, aut velle oppoſitum, ergo non potuit Angelus, quando primò peccauit, appetere æqualitatem cum Deo ſecundum naturam.

Ad 1. verò reſpondetur negando antecedens. Ad 1. probationem dico, Ariſt. ibi loqui de impoſſibili non per ſe, & ſimpliciter,

ſed

ſed per accidens, & ex ſuppoſitione. Nec obſtat exemplum de immortalitate; nam eſſe inmortale, vt ibi Lect. 5. ait D. Tho. impoſſibile dicitur ſecundum ſtatum huius corruptibilis vitæ, hoc autem non eſt eſſe per ſe, ſed per accidens, aut ex ſuppoſitione huius ſtatus impoſſibile. Vel dicitur impoſſibile in ordine ad cauſas ſecundas naturales; Deum enim poſſe hominem in perpetuum conſeruare, nec Ariſt. negaret.

Ad ſecundam probationem dico, magnam eſſe differentiam inter poſſibile per ſe, & per accidens: nam impoſſibile per accidens licet, vt ſubeſt ſuppoſitioni, quę illud reddit impoſſibile, non habeat ordinem ad eſſe; habet tamen illum ſecundum ſe abſtrahendo à tali ſuppoſitione; & ſic voluntas, quę reſpicit bonum abſolutè, poteſt in illud ferri, non, vt ſubeſt ſuppoſitioni, ſed quatenus ſecundum ſe bonum eſt. At impoſſibile per ſe nullo modo dicit ordinem ad eſſe, ſicque nullo modo poteſt per ſe appeti. Ad tertiam probationem reſpondetur ad primum quidem exemplum cum Caiet. hic §. *His ſtantibus*, damnatos velle Deum non eſſe, per accidens, quia volunt carere pœna, qua carerent, ſi Deus non eſſet. Licet enim quando aliquid eſt per ſe appetibile, etiam ſi appetatur ratione alicuius bonitatis coniunctæ, quę eſt ratio, vt appetatur, dicatur per accidens, & implicite ſolum, ſed per ſe, & expreſſe volitum vt cumquis deſiderat mortem inimici, quia in ea conſiderat ſibi aliquid commodi, non tamen ſi non ſit per ſe appetibile; qui enim

appetit ſibi non eſſe, vt careat miſerijs, non per ſe appetit non eſſe; ſed per accidens, quantumcunque hoc explicitè dicat ſe velle, quia non eſſe, non eſt per ſe appetibile, Deum autem non eſſe, non eſt magis per ſe appetibile damnatis, quam ipſos non eſſe: vnde vtrumque ſolum appetunt per accidens, vt fugiant miſeriam. Dici etiam poteſt, damnatum non habere actum volitionis formalem, terminatum ad non eſſe Dei, ſed ſolum apud ſe dicere, vellem Deum non eſſe, ſi eſſet poſſibile, quod non ſignificat actum, qui ſit in voluntate præſens, ſed qui eſſet, ſi illa conditio, & poſſibilitas ſubſiſteret. Dici denique poteſt, non eſſe inconueniens, in damnatis etiam Angelis concedere errorem, ratione affectus peccati, quo concipiant illud obiectum, vt poſſibile, & conueniens, & ſic illud appetant, vnde diſpar eſt ratio de illo, ac de noſtro caſu. Ad ſecundum exemplum reſpondet etiam Caietanus hic: ex fruiſe, non ſequi niſi velle ſe eſſe ſummum bonum ſibi, & non ſummum bonum ſimpliciter, hocque non niſi conſequenter, & per accidens appeti, non enim vult peccator creaturam, vt vltimum finem formaliter, & expreſsè, ſed virtualiter, & interpretatiuè, quia ad illam inordinatè conuertitur contra Dei præceptum, cuius violatio eſt grauis offen[illegible] Dei, & tollit ordi[illegible] vt ad vltimum finem. Ad tertium exemplum dico, illos, qui dum cogitant ſe in Angelos, aut aues conuerſos delectationem experiuntur, aut de ſola cogitatione delectari, aut ſi volitio-

litionem habent, talium tranſmutationum, deceptionem patiuntur concipientes eas, vt poſſibiles. Verè etiam poſſibiles per Dei potentiam ſunt, ſicut, & conuerſio vxoris Loth in ſtatuam ſalis, & conuerſio panis in corpus Chriſti in Euchariſtia.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur negando antecedens. Ad 1. partis primam probationem nego antecedens; quia vt intellectus Angeli moueat eius voluntatem ad appetendum æqualitatem cum Deo; non eſt ſatis ipſum conſiderare ſecundum ſe bonitatem, quæ eſt in æqualitate cum Deo, ſed neceſſarium eſſet conſiderare eam, vt ſibi conuenientem, & non poſſet ita conſiderare, niſi ſimul videret eſſe incompoſſibilem cum ſuo eſſe proprio. Ad ſecundam probationem hinc patet ſolutio; nam cum non poſſit videri æqualitas cum Deo; vt attributa Angelo, quin videatur incompoſſibilitas cum eſſe illius, non poteſt Angelus non conſiderare conſequentiam illam. Dico etiam implicare contradictionem, Angelum velle æqualitatem cum Deo ſub hac cõditione, ſi ſtet ſimul cum permanentia proprij eſſe, vellet enim æqualitatem cum Deo, vt ſupponimus, & non vellet illam, quia videret euidenter per nullam potentiam fieri poſſe, vt ſtaret ſimul cum permanentia proprij eſſe. Ad ſecuudæ partis antecedentis probationém dico, diſparem eſſe rationem: quia in illo caſu propriũ eſſe, damnatorum, aut diſperantium ſumitur, vt coniunctum alicui malo, aut huius vitæ, aut futuræ, & ideo poteſt à voluntate re-

error, vel ignorantia, nec fuit ex inconſideratione; ergo eius primum peccatum non fuit appetitus habendi beatitudinem per ſuã virtutem. Minor probatur: & quidem non præceſſiſſe errorem, vel ignorantiam patet ex D Thom. hic art. 1. ad 1. non peccaſſe verò Angelum ex incõſideratione diuini auxilij, ita oſtendo. Tale peccatum Angelo accidere non potuit, niſi tranſgrederetur præceptum aliquod, quo deberet appetere beatitudinem ex conſideratione expreſſa diuini auxilij; ſed tale præceptum Angelus non habuit; ergo appetens beatitudinem ſine conſideratione diuini auxilij non peccauit. Probatur minor; tale præceptum non fuit naturale, quia preceptũ naturale deſiderandi beatitudinẽ debito modo ad hoc ſolũ obligat, vt illam expreſsè non deſideremus adipiſci ſine auxilio Dei ſolis noſtris viribus, nam quotidie deſideramus nos eſſe beatos nihil conſiderantes de gratia Dei, cuius auxilio, eam adepturi ſumus. Neque poſitiuũ; quia nec ratione, nec auctoritate poteſt probari, tale præceptum impoſitum fuiſſe Angelis quinimo Chriſoſt. to. 1. hom. de Adam, & Heua, ante medium, & hom. ſeq. de lapſu hominis, circa principium, ait: *Factis ergo Angelis, præceptum e.s nul ũ dedit*; ergo, &c. Confirmatur: Vel illa inconſideratio talis fuit; vt nulla præceſſerit cogitatio eius, quod conſiderare debebat Angelus, nempè beatitudinem, deſiderandam tantum eſſe ex auxilio Dei; vel aliqua ſaltem in vniuerſum præceſſit cogitatio illius. Si nulla omnino, non

potuit talis inconſideratio, aut opus ex illa ad culpam imputari; nam vbi nulla præceſſit de aliqua re cogitatio; non poteſt culpæ imputari operatio, quæ ex illa aut cum illa ſit ratione ipſius inconſiderantię; nam per conſultationem, aut libertatem non poteſt homo ſeipſum reducere ad primã conſultationem. Si vero aliqua præceſſit in Angelo conſideratio diuini auxilij ſaltem confusè, & in vniuerſum, ſequitur non peccaſſe Angelum ex inconſiderantia; ergo &c.

Tertiò. Si quis dicat Angelum appetijſſe finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere, quia appetijt fœlicitatem naturalem, ad quam virtute ſuæ naturæ poterat peruenire, tanquam finem vltimum auertendo ſuum appetitum a beatitudine ſupernaturali, non quidem expreſsè, ſed implicitè, quia ita dilexit fœlicitatem, & excellentiam naturalem, vt illam non retulerit in ſupernaturalem. Contra hoc arguitur: quia ſi ex ſola relationis omiſſione Angelus peccaſſet, eius peccatum non eſſet ſuperbiæ: ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Maior probatur: nam delectari in propria excellentia, & fœlicitate naturali, non tribuendo illam ſibi, non eſt peccatum ſuperbiæ; nec tale eſſe poteſt ob omiſſionem relationis talis excellentiæ, & fœlicitatis naturalis in beatitudinem ſupernaturalem; quia quamuis talis omiſſio eſſet contra Dei præceptum, & imputaretur ad culpam, non fuiſſet peccatum ſuperbiæ: nam non fuiſſet appetitus excellentiæ vltra propriam dignitatem, nullumque pec-

catum ſuperbiæ in omiſſione conſiſtit, ſed omne peccatum ſuperbiæ eſt commiſſionis. Porrò etiam ſi complacentia illa in propria naturali beatitudine fuiſſet cauſa non referendi, & ita tranſgrediendi præceptum alterius virtutis, non proinde fuiſſet peccatũ ſuperbiæ: veluti ſi quis cogitans ſe eſſe creaturam rationalem factam ad imaginem Dei, ita in cognitione delectaretur, vt miſſam, vel aliud opus præcepti omitteret, non peccaret peccato ſuperbiæ. Adde etiam nulla ratione probari poſſe, Angelum in primo inſtanti habuiſſe præceptum referendi beatitudinem ſuam naturalem in ſupernaturalem; quia nec fuit poſitiuum, nec ortum ex ipſa natura rei, ergo, &c.

Dicendum tamen eſt: Diabolum appetiſſe, finalem beatitudinem habere per ſuam virtutem, ſicque ſimilem eſſe Deo, hocque fuiſſe primum eius peccatum. Docet hoc D. Th. hic, de diabolo enim loquens ait: *In hoc appetijt indebitè eſſe ſimilis Deo, quia appetijt, vt finem vltimum beatitudinis, id ad quod virtute ſuæ naturæ poterat peruenire, auertens ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt gratia Dei. Vel ſi appetijt vt vltimum finem illam Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex diuino auxilio ſecundum Dei diſpoſitionem, &c. Et hæc duo quodammodo in idem redeunt, quia ſecundum vtrumque appetijt finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere.* Ex his duobus primum magis placere videtur D. Thomæ, ſed ſecundum non omnino

diſplicet, quod expreſsè docuerat q. 16 de malo, art 3. dicens: *Fuit ergo pe catum diaboli in hoc, quod ad conſequendam ſupernaturalem beatitudinem, quæ in plena Dei viſione conſiſtit, non ſe erexit in Deum, tanquā finalem perfectionem ex eius gratia deſiderans cū Angelis ſanctis, ſed eam conſequi voluit per virtutem ſuæ naturę.* Vtrumque ergo à nobis explicandum eſt. In quo pręcipua difficultas eſt, quomodo potuerit primum, aut ſecundum appetere diabolus abſque vllo errore, vel ignorantia ex parte intellectus.

Quidam dicunt, vtrunque potuiſſe Angelum appetere ſimplici, & inefficaci affectu per ſolam ſimplicem apprehenſionem, in qua error eſſe nequit, ſicque Angelum peccaſſe. Sed hoc verum non eſt: nam, vt dub. præced. oſtendimus, ſimplex apprehenſio non ſufficit ad mouendam voluntatem. Præterea peccatum Angeli non fuiſſe appetitum inefficacem, qui velleitas dicitur, docet expreſſe D. Thom. quæſt. 16. de malo, art. 3. ad 9. & hic aperte inſinuat. Et probatur, quāuis in huiuſmodi velleitate poſſit eſſe peccatum, ſi ſit libera, & de obiecto malo: tamen cum ſit imperfecta voluntas non tendens in aliquid conſequendum, non habet tam perfectam, & completam rationem peccati, quantam habuit Angeli peccatum, quod appetitus ſimilitudinis Dei conſequendæ, inordinatus fuit, & per media, ſuam ſcilicet virtutem. S. Chriſoſt. hom. de Adam, & Heua, inquit: *Angelus primus, qui Sathael dictus eſt, malignam, & nephariam præſumptionem*

eſſu-

aſſumens dixit : Pono ſedem meam in aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo. Quis autem dicat hanc præſumptionem ſolum fuiſſe velleitatem quandam, & ſimplicem, ac inefficacem affectum?

Pro explicatione ergo doctrinæ D. Thom. aduerto cum ipſo hic art. 1. ad 4. Angelum peccaſſe, non quidem eligendo aliquid malum, ſed eligendo aliquid, quod ſecundum ſe erat bonum, ſed non cum ordine debitæ menſuræ, aut regulæ, peccatumque huiuſmodi licèt aliquis defectus præceſſerit ex parte intellectus, ſicut, & quodlibet aliud peccatum: hunc tamen defectum non fuiſſe errorem, aut ignorantiam, ſed inconſiderationem, ſeu abſentiam conſiderationis eorum, quę conſiderare debebat. Hoc ſuppoſito.

Primus modus dicendi, qui Diui Thomæ magis placet, ſic explicandus eſt: Appetijt Angelus propriam excellentiam. ad quam virtute ſuę naturæ poterat peruenire, cumque hoc bonum ſit, bonum elegit, & tale eſſe verè, & abſque vllo errore iudicauit. Appetiuit tamen hanc excellentiam, ſeu fœlicitatem naturalem, vt finem vltimum beatitudinis, auertens appetitum ſuum à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei, ſicque non cum ordine debitę menſuræ, aut regulę, & hoc inconſideratę fecit: nam debuiſſet aduertere, & conſiderare non eſſe ſic appetendam propriam excellentiam, & fœlicitatem naturalem. Nullus tamen hic fuit error; nam non iudicauit propriam excellentiam

tiam eſſe vltimum finem; ex modo tamen appetendi conuincitur implicitè appetiuiſſe illam, vt vltimum finem, quia eam plus appretiatiuè dilexit, quam beatitudinem ſupernaturalem, à qua ſuum auertit appetitum. Vndè ſicut, qui peccat mortaliter peccato gulæ v. g licèt expreſsè non velit ventrem eſſe Deum ſuum, & creaturam, ſuum vltimum finem; ex modo tamen diligendi creaturam, plus ſcilicet appretiatiuè, quam Deum, conuincitur ad creaturam conuerti tanquam ad vltimum finem, & ventrem pro Deo habere. Ita de Angelo dicendum eſt: non enim delectatus eſt in ſua fœlicitate naturali tanquam in vltimo fine, & beatitudine conſummata aſſerendo, vel iudicando talem eſſe, & expreſsè eam, vt talem volendo, ſed vt hic §. *Ad primum horum* docet Caietanus; *Si appetiji beatitudinem naturalem, vt vltimum finem ſimpliciter fuit hoc modo: quia appetijt beatitudinem, vt rem appetitam: &, quia non ordinauit illam in beatitudinem ſupernaturalem conuincitur appetiuiſſe, vt vltimum, &c. Omnis ergo conditio maliſicans talem appetitionem ex parte modo appetendi, non obiecti appetiti ſe tenet formaliter. Quamuis ex conſequenti, & implicitè ex modo redundet in obiectum.* Ordinatio fœlicitatis naturalis in beatitudinem ſupernaturalem, quam Angelus omiſit, duplex eſſe potuit. Altera qua ex præcepto charitatis, quod tunc Angelum obligabat; debebat ſe, & omnia ſua referre in Deum, ad illumque ſe conuertere, & de ſalute ſua cogitare, & ei

ope-

operam dare; Et ſi de hac ſit ſermo, omiſſio illius, licet non ſit peccatum ſuperbiæ, conuincit tamen, Angelum plus appretiatiuè dilexiſſe propriam excellentiam, quam Deum, cum de eius præcepto non curauerit, & quã ſupernaturalem beatitudinem, quod ſuperbiæ eſt. Altera, qua (etiam ſi prædicti præcepti charitatis obligatio nó inſtaret tunc) debebat non plus diligere propriam excellentiam, quam ſupernaturalem beatitudinem appretiatiuè, ſed cum debito ordine, naturalem ſcilicet in ordine ad ſupernaturalem. Cumque hunc ordinem omiſerit propriam excellentiam vltra menſuram debitæ dignitatis dilexit, ſicque ſuperbia intumuit. Vndè D. Auguſt to. 1. lib. de vera religione cap. 13. ait: *Illæ autem Angelus magis ſeipſum, quam Deum di igendo, ſubditus eſſe noluit, & intumuit per ſuperbiam.* Magis autem appretiatiuè ſeipſum & propriam excellentiam dilexiſſe, quam Deum, & beatitudinem ſupernaturalem colligitur, quia auertit appetitum ſuum à Deo & beatitudine, & ad ſe conuerſus de nullo alio, quam de fœlicitate, & excellentia naturali curauit, & ſic ſe geſſit, ac ſi iudicaret bona na[illegible]mnere, & in actu exercito maluit habere fœlicitatem naturalem viribus proprijs, quam ſupernaturalem ex Dei gratia. Propter quòd D Auguſt. lib de ciuit. Dei cap. 1. de malis Angelis loquens ait: *Suæ poteſtate potius delectati, velut bonum ſuum ſibi ipſi eſſent à ſuperiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt,*

Secundus etiam dicendi modus ſic poteſt

ex-

explicari. Angelus beatitudinem ſupernaturalem, quam per fidem cognouit eſſe ſibi poſſibilem, appetijt non ſolum conditionata, & inefficaci voluntate, ſeu velleitate quadam, ſed abſoluta, & efficaci volitione, qualis poteſt eſſe intentio finis, antequam quis conſultet de medijs: *In cœlum conſcendam*, dixit, volo beatitudinem ſupernaturalem conſequi, & obtinere; hoc autem bonum eſſe, & abſque errore appeti poſſe quis dubitat: Sed non appetijt dæmon cum ordine debitæ regulæ, ſed inordinatè: quia illam per virtutem ſuæ naturę non ex diuino auxilio habere voluit. Non, quod hoc poſſibile eſſe iudicauerit; aut expreſſe voluerit: ſed quia ex modo appetendi ſcilicet ſuperbè, & præſumptuosè, & non appoſitis medijs proportionatis, ac ſi talis beatitudo eſſet ipſi debita ex meritis ſuæ naturæ (qui modus inconſideratus fuit, debuiſſet enim conſiderare non ſic eſſe appetendã beatitudinem) conuincitur, implicitè appetijſſe illam per virtutem ſuæ naturæ habere. Vndè ſicut hic §. *Ad primum horum*, rectè Caiet. ait: *Cum dicitur quod appetijt finalem beatitudinem virtute propria, interpretandum eſt, quòd beatitudo ſit res appetita, [illegible] ſit modus appetendi, non tamen conditio aliqua rei appetitæ.* Sicque ſicut, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 162. art. 4. ad 1. *Quod aliquis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ, ita de bonis ſuis glorietur, ac ſi ea à ſe haberet, vel ex meritis proprijs, pertinet ad ſuperbiam.* Etiam ſi expreſsè non dicat gratiam habere ex meritis: ita appetitus prædictus Angeli, ſuperbus fuit, e-

tiam

tiam ſi expreſsè non voluerit beatitudinem, habere per virtutem ſuæ naturæ, ſed implicitè ex modo appetendi præſumptuoſo, & ſuperbo.

Concluſionem hanc, & doctrinam D:Th. ſic explicatam multi non admittunt. Quidam illorum dicunt: primum Angeli peccatum fuiſſe appetitum alicuius principatus, & tyrannicæ poteſtatis. Alij appetitum vnionis hypoſtaticę, ratione cuius verè eſſet Deus. Alij, nolle ſubijci Chriſto omnibus Angelis oſtenſo in reuelatione, qua myſterium Incarnationis Chriſti cognouerunt, vt colligitur ex D. Thom. infra q. 64. art. 1 ad 4. & 2 2. q. 2. art 7 ad . & ex D. Aug lib. 5 de Gen ad lit. cap. 10. nolleque illum, vt dominum, & caput ſuum recognoſcere, venerari, & adorare, non obſtante præcepto omnibus Angelis impoſitio, quod colligitur ex illo ad Hebr. 1. v. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Sed tres omnes hæ ſententię, falſæ ſunt. Prima; nam appetitus principatus ad ambitionem ſpectat, iuxta doctrinam D. Tho 2. 2. q. 151. art. 1. & 2 vbi ad 2. ait: *Inordinatus appetitus dignitatum, pertinet ad ambitionem.* At primum Angeli peccatum non fuit ambitio, ſed ſuperbia, quæ teſte D. Th. 2. 2. q. 162. art. 7. eſt primum omnium peccatorum, ex quo, & ambitio oritur; ergo appetitus talis principatus, non fuit primum Angeli peccatum; ſed rei alterius appetitus, ex quo conſequutum eſt, vt hic ait D. Thom. *Quod appetijt*

prin-

principatum aliquem ſuper alia habere. Nam teſte S Greg.lib 34. Moral c.14. *Appetijt, vt & præeſſet cæteris, & nulli ſubeſſet*. Et, vt ait D.Aug.lib.14 de Ciuit.Dei c.11. *Quedam tyrannico faſtu gaudere ſubditis quam eſſe ſubditus eligens, de ſpiritualis paradiſo cecidit*. Et S.Baſil. in Inſtitut. vitæ Cœnobitarum inquit: *Morbus diaboli eſt ambitio, principatuſque cupido, quo ille in primis de cœlo ruit*. Ruit enim ſuperbia,&vitijs ad eam conſequutis inuidia, & ambitione.

Secunda, nam ſi vnionem hypoſtaticam appetijſſet diabolus viſo Chriſto ſibi in reuelatione oſtenſo, hoc fuiſſet, quia inuidiſſet Chriſto; ergo talis appetitus non fuiſſet primum eius peccatum; nam vt d[illegible] bat D Aug[illegible] de Gen.ad litt c 14. *Inuidia ſequitur ſuperbiam, non præcedit*. Preterea vnionem hypoſtaticā appetiuiſſet propter excellentiam propriam, & ne haberet Chriſtum ſuperiorem, & caput ſuum; ergo cum teſte D.Thom.2.2.qu. 163.artic.1. prius moueatur appetitus in finem, quam in id, quod quæritur propter finem, non appetitus vnionis hypoſtaticæ, ſed propriæ excellentię fuit primum peccatum Angeli, ſicut, & hominis. Denique, quia; vt ait Diuus Aug. qu.113 ex queſtionibus ex vtroque teſtamēto mixtim. *Poſt Deum Patrem, diabolus Deus dici voluit, quod, & nunc vſque contendit*. At nunc non contendit dici, Deus per vnionem hypoſtaticam, neque hanc modo appetit; ergo nec ſuperbia,qua primo peccauit, quę ſēper aſcendit. Vndè,quando D. Auguſt.ibidem

ait.

ait, diabolum Chriſti dignitatem, & meritum vſurpaſſe,eiuſque principatum, & maieſtatem præſumpſiſſe, non loquitur de vnione hypoſtatica, ſed de maieſtate, & principatu conueniēti Chriſto,quatenus eſt filius Dei, & Deus de Deo,quæ diabolus præſūpſit,& quātum eſt ex parte ſua vſurpauit, appetendo beatitudinem habere finalem per ſuam virtutem, quod eſt proprium Dei, & ſecundariò aliquem principatum ſuper alia, qui ſoli filio Dei debetur.Eodem modo loquitur Auctor imperfecti, cum Homil. 42. in Matth. ait: *Diabolus ſemper aduerſarius Chriſti eſt,qui ſemper ſibi tronum Domini vſurpabat.* Loquitur enim de trono, in quo voluit ſimilis eſſe Altiſſimo.

Tertia, quia omnis nolitio, cum ſit fuga mali,ſupponit volitionem, & proſecutionem alicuius boni: *Quia enim bonum quæritur,ideo refutatur oppoſitum malum*. Vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæſtione 25. articulo 2. Ergo nolle ſubicij Chriſto, non fuit primum Angeli peccatum; ſed iam præſupponebat ſuperbam volitionem alicuius obiecti excellentis; ad quam ſequutum fuiſſe nolle ſubijci Chriſto capiti Angelorum, & hominum, nō negamus: nam vt ait Diuus Thomas 3.Contra gentes, cap. 109 *Ex prima inordinatione voluntatis, quæ fuit in dæmone, conſequutum eſt multiplex peccatum in voluntate ipſius*.

His ſententijs impugnatis, probatur noſtra concluſio. Primo Sanctorum Patrum teſtimonijs; ſæpe enim dicunt, Angelum peccaſſe propria virtute, dignitate, & excel-

lentia

lentia delectatum, ac ſe ipſo contentum.
Verba Diui Auguſtini ſupra retulimus, ſimilia etiam habet lib. 11. de Geneſi ad litterã. cap. 13. & 14. & libro 3. de libero arbitrio, cap. 25. Vbi de diabolo ait: *Placet ſibi ad perversè imitandum Deum, vt poteſtate ſua frui velit*. Hancque fuiſſe eius ſuperbiam, cum primò peccauit, ſubdit.

S. Amb. Epiſt. 33. ad Demetriadem circa medium, sic habet; *Hęc ſuperbia à diabolo ſumpſit exordium, qui quoniam ſua, quam à Creatore acceperat potentia, & dignitate ſibi placuit, ſeq. Auctoris ſui gloria comparauit, cum his Angelis, quos in conſenſu impietatis ſuæ traxerat, à cœleſti ſublimitate deiectus eſt*.

S. Leo Papa Epiſt. 93. ad Turibium, cap. 6. ait: *Diabolus, quia naturali excellentia malè vſus eſt, à ſummo bono, cui debuit adherere, deſciuit*.

S. Bernardus Serm. 3. de verbis Iſaiæ: *vidi Dominum*, dicit: *Qui ſedere præſumpſit, ſeipſo voluit eſſe contentus*. Sed hæc indicant peccaſſe Angelum ſuam beatitudinem inordinatè appetendo, nam, vt dicit D. Thom. 3. Contra gent. capit. 109. *Non in ſuo bono quieuiſſet ſicut in fine, niſi ſuum bonum valde perfectum eſſet*. Nempe fœlicitas eius, ac beatitudo ergo.

Secundò probatur ratione: Superbia teſte D. Thoma 2. 2. q. 162. art. 1. ad 3. *Inordinate ad magna ſe extendit*. Ergo cum nihil maius beatitudine propria, vtpote ſummo bono, Angelo fuerit poſſibile, hanc ſuperbè appetijſſe, cum primò peccauit credendum eſt.

bonum

Bonum autem excellens, quod ſuperbia appetit, poteſt eſſe, vel iam habitum, vel habendum: hoc deſiderio, & intentione appetit illud, complacentia, & fruitione; ergo cum Angelus primo peccauit, vel appetijt beatitudinem, quam nō dum habebat, nempe ſupernaturalem, volendo eam habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex diuino auxilio, quod, vt hic ait D. Tho. *Conſonat dictis Anſelmi, qui dicit, quod appetiit illud, ad quod perueniſſet, ſi ſtetiſſet.* Vel appetijt beatitudinem naturalem, in qua conditus erat, quā iam habebat, complacendo, & quieſcendo in illa, & auertendo appetitum ſuum à beatitudine ſupernaturali: quod magis placere videtur Diuo Thom. conſonatq. dictis SS. Aug. Amb. Leonis, & Bernardi relatis. necnon, & S. Gregor. lib. 23. Moral. cap. 7. vbi ſuperbiam, qua Satanas de cęlo cęcidit, ad eam ſpeciem pertinere dicit, qua; *Nonnulli deſpectis cæteris videri appetunt ſingulariter bonum habere, quod habent.*

Auertere autem appetitum à beatitudine ſupernaturali, non eſt tribuendum puſillanimitati: nam non recuſauit Angelus beatitudinem ſupernaturalem appetere, propter magnitudinem eius & ſui inſufficientiam, quod ad puſillanimitatem requirebatur, vt colligitur ex Diuo Thoma 2. 2. queſt. 133. art. 1. Sed quia virtualiter, & implicite æſtimabat beatitudinem naturalem quam habebat, vt bonum excellentius beatitudine ſupernaturali, quam à Deo accipere debebat. Vnde vt ait Diuus Gregor. lib. 34. Moral cap. 1,

Fa

Factus eſt, vt nullum timeret. Ei quippe à quo conditus fuerat, ſubeſſe deſpexit. Accipiendo ſcilicet ab eo beatitudinem ſupernaturalem: vnde vt ibidem ſubdit Sanct. Gregor. *Dum priuatam celſitudinem ſuperbæ appetit, iure perdidit participatam. Rel cto enim eo, quē debuit inhærere principio, ſuum ſibi appetiit quodammodo eſſe principium*. Beatitudinem ſcilicet non ab alio, ſed à ſeipſo habendo.

Et quamuis, vt docet D Th. 3. Cont gent. cap. 100. *In hoc fuit peccatum, quod prætermiſit ſuperius bonum, in quod debuit ordinari*. Hinc tamen non fit, peccatum Angeli fuiſſe ſolam omiſſionem dictę ordinationis: ſubdit namque S. Doctor: *Sicut enim in nobis peccatum eſt ex hoc, quod bona inferiora ſcilicet corporis, appetimus abſque ordine rationis: ita in diabolo peccatum fuit in hoc, quod proprium bonum non retulit in diuinum bonum*. Vnde ſicut in nobis non ſola omiſſio, vel negatio ordinis rationis, eſt peccatum, ſed hæc eſt conditio, vel modus intrinſecus, ſine quo appetitus boni ſenſibilis non eſſet peccatum: ita in diabolo, non ſola omiſſio relationis ad diuinum bonum fuit peccatum, ſed hæc fuit conditio, ſine qua appetitus beatitudinis naturalis non eſſet peccatum. Et ſicut in nobis appetitus excellentiæ non eſt ſuperbia niſi ſit abſque ordine rationis, vt colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 162. art. 1 ad 2, ita appetitus beatitudinis in Angelo non fuiſſet ſuperbia, niſi fuiſſet abſque ordine ad diuinum bonum: quia directe, & immediatè non potuit Angelus peccare contra ordinem

ra-

rationis naturalis, vt diximus hic artic. 1. dub. 3.

Ad argumenta autem facta in principio reſpondetur Ad 1. Angelum nihil impoſsile appetiuiſſe: nam beatitudo ſupernaturalis, quam iuxta ſecundum modum dicendi appetijt, ipſi poſſibilis erat, eamque ſibi poſſibilem eſſe cognoſcebat. Obtinere autem illam per vires naturæ, quod erat impoſsibile, non fuit volitum expreſsè ab Angelo, nec, vt res appetita, nec, vt conditio rei appetitæ, ſed ſolum fuit modus appetendi: nā ſuperbè, ac præſumptuosè illam appetiit, ac ſi eſſet ipſi debita ex meritis ſuæ naturæ, & non curauit de diuino auxilio, & Dei amore ſupernaturali, quæ erant media ad illam obtinendam proportionata, vt ſecundum modum dicendi explicantes diximus.

Ad ſecundum reſpondetur, Angeli peccatum non eſſe dicendum propriè ex inconſideratione, ſed cum inconſideratione: nam inconſideratio eius non fuit reſpectu obiecti appetiti, ſed reſpectu modi appetendi. Et ſi hoc modo intelligatur minor, neganda eſt. Ad eius probationem nego minorē, ſicut enim cum homo peccat eligendo adulteriū, licèt peccatum huius modi fiat cum errore, aut ignorantia aliqua; præceptum tamen, quod tranſgreditur, expreſsè ſolum prohibet adulterium, ignorantia vero, & error ſe habent, vt conditiones generales inuentæ in peccatis, quibus malum aliquid eligitur; ſicque ſolum implicitè, & quaſi conſequenter prohibentur. Ita quando An-

gelus peccauit, non oportuit, vt tranſgrederetur præceptum aliquod naturale aut poſitiuum, quo deberet appetere beatitudinem ex conſideratione expreſſa diuini auxilij. Nā inconſideratio eſt conditio generalis, ſeu defectus inuentus in peccatis, quæ fiunt eligēdo aliquid, quod ſecundum ſe eſt bonum, ſed non cum ordine debitæ menſuræ, & regulæ, vt hic art. 1. ad 4. docet D. Thom. Vnde præceptum quod tranſgreſſus eſt Angelus (quod naturale fuiſſe, & hoc eſt ex ipſa rei natura ortum docet Origenes lib 3. in Epiſt. ad Rom. in illud cap. 3. *Scimus autem quoniam quæcunque lex, &c*) Solum fuit deſiderandi beatitudinem debito modo, quod ipſe Angelus non fecit, nam ſuperbè: ac præſumptuosè eam appetit, ac ſi debita eſſet ei ex meritis ſuæ naturæ. Ad confirmationem dico, Angelum in primo inſtanti conſideraſſe neceſſitatem diuini auxilij ad cōſequendam beatitudinem; ab hac tamen conſideratione ceſſaſſe liberè in ſecundo inſtanti, in quo etiam liberè ceſſauit à conſideratione neceſſitatis permanētiæ in ea cōſideratione, ſicq; cū incōſideratione, ſique peccaſſe. Immo ſic peccaſſet, etiā ſi nulla præceſſiſſet cogitatio neceſſitatis permanentiæ in eà conſideratione expreſſa, & formali: nam, vt imputetur culpæ operatio, ſufficit, vt præcedat cogitatio directa eius, quod faciendum eſt, & non requiritur reflexa neceſſitatis permanentiæ in ea conſideratione, quæ ſi adeſſet, vitaretur peccatum, aliàs daretur proceſſus in infinitum.

Ad tertium reſpondetur negando maiorem. Ad probationem dico, delectari in propria fœlicitate, & excellentia naturali tanquam in fine vltimo beatitudinis, & auertendo ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali manifeſtam eſſe ſuperbiam, quã diabolus incurrit, cui propterea dictum eſt ſub typo Regis Tyri Ezech. 28. verſ. 17. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo.*

Ad id verò quod dicitur de omiſſione relationis fœlicitatis naturalis, in ſupernaturalem, reſpondetur ex dictis: omiſſionem relationis fœlicitatis naturalis in ſupernaturalem in peccato ſuperbiæ Angeli, non eſſe aliam quam eam, quæ ſequitur eo: quod fœlicitas naturalis plus apretiatiuè fuit dilecta, quam ſupernaturalis, ac proinde non cum debito ordine: ſicut nec cum debito ordine diligit creaturam, qui non propter Deum, ſed plus apretiatiuè quam Deũ diligit. Dici etiam poteſt, tunc inſtaſſe tempus adimplendi præceptum, quo tenebatur Angelus, ſe, & omnia ſua referre in Deum, & de ſua ſalute cogitare, & ei operam dare. Si enim quando homo peruenit ad vſum rationis, teſte D. Thoma 1. 2. q. 89. art 6. ad 3. obligatur ex Dei præcepto affirmatiuo ſe in Deum cõuertere, cur non potius id dici poterit de Angelis dum fuerunt in via? Licet autem omiſſio huius pręcepti non ſit peccatum ſuperbiæ; denotat tamen Angelum plus apretiatiuè dilexiſſe propriam excellentiam, & fœlicitatem, quam Deum, & beatitudinem ſupernaturalem; ex quo Angeli appetitus

ſuperbiæ rationem haberet, & non quia eſſet cauſa tranſgrediendi prædictum præceptum. Ad ſuperbiam etiam pertineret trāſgredi præceptum ex contemptu iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. q. 162. art. 2 Dicit quoque S Doct. in 2. diſt. 5. q. 1. art. 3. ad 4. *Omiſſio quandoque eſt conditio omne peccatum conſequens, ſecundum quod eſt dimiſſio alicuius circumſtantiæ in opere obſeruando: & hoc modo non eſt inconueniens, quod in primo peccato Angeli fuerit omiſſio*. Et ſic fuerit in eo omiſſio inordinationis in finem ſupernaturalem.

Circa art. 4 nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum diabolus fuerit malus in primo inſtanti ſuæ creationis.

Concluſio eſt negans.

TAm certam eſſe hanc concluſionem exiſtimat D. Thom. vt de oppoſita opinione dicat: *Tanquam erronea rationabiliter reprobata eſt*. A Magiſtris ſcilicet Pariſienſibus. Et rationem reddit: *Quia hæc opinio authoritati Scripturę contradicit; dicitur enim ſub figura Principis Babylonis diabolo Iſaiæ 14. Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris? Et Ezech. 28. in delitiis paradiſi Dei fuiſti dicitur ad diabolum ſub perſona Regis Tyri*. Vndè cum non alia, quam hæc duo adducat S. Doctor Scripturæ ſacrę teſtimonia.

ſen-

ſentire videtur, hęc ſufficere ad definiendam rem de fide, & oppoſitam opinionem tamquam erroneam damnandam: nam quamuis non in ſenſu litterali, ſed allegorico ſint de diabolo intelligenda; ex ſenſu tamen allegorico, vt dixi ſupra q. 1. art. 10. firmum argumentũ ſumi poteſt, quando de eo certo conſtat. Hic autem conſtat ex communi Patrum, & Scolaſticorum conſenſu, qui ſignum eſt traditionis Eccleſię. Sunt pretere alia, quæ concluſionem confirmant, vt illud Iudę in ſua epiſt. v. 6. *Angelos vero, qui nõ ſeruauerunt ſuum principatum, &c.* Et illud Concil. Bracarenſis 1. canone 7. quod eſt definitio Leonis Papę, ibi inter alias recepta: *Si quis dixerit diabolum non fuiſſe prius Angelum bonum à Deo factum &c. Anathema ſit.*

Dubium. Potuerit nè Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis peccare.

Partem affirmantem quidam tenent, & probant. 1. Primus actus voluntatis, non eſt à Deo alia magis peculiari ratione, quam, quia prima cogitatio eſt à Deo determinante, quia ad primam cogitationem non poteſt voluntas applicare intellectũ: ſed hoc nõ obſtat quominus Angelus peccare poſſit ſenſu voluntatis in obiectum cogitatum: nã aliàs obiecti propoſitio, etiã ſi fiat à Deo proponente, aut determinante intellectũ: nihilominus liberã relinquit voluntatem, vt con-

ſentire poſſit & nõ cõſentire; ergo poterat Angelus propoſito obiecto, quod ex præcepto proſequendum erat, illud non proſequi; ac proinde peccare. Confirmatur operatio voluntatis, quę origine temporis eſt omnium prima, non eſt à Deo alia magis particulari ratione quam quæcumque prima; quæ circa aliquod genus negotij, aut obiecti in Angelo, aut in homine incipit: ſed hæc poteſt eſſe peccatum; ergo, & illa. Confirmatur 2. Potuit à Deo determinari intellectus Angeli in primo inſtanti ſuę creationis, vt proponeret voluntati ſimul eadem cogitatione obiectum, in cuius proſecutione eſſet peccatū, & in fuga, & diſplicentia illius eſſet meritum: & voluntas primo actu poſſet proſequi illud obiectum, & quamuis peccaret, Deo non tribueretur peccatum, cum propoſitio ad quam Deus determinat intellectum, relinquat voluntatem liberam, vt ſequatur quam partem voluerit; ergo, &c.

Secundò: Angelus in primo inſtanti ſuę creationis potuit non operari, etiam ſi operatio obligaret ipſum ſub præcepto; ergo, & peccare ſaltem peccato omiſſionis. Antecedens probatur; quia aliàs non eſſet liber quoad exercitium, ſicque omni libertate careret, quod falſum eſt.

Tertiò. Quia potiùs dicendum eſſet, Angelum in eo inſtanti non poſſe mereri: ſed hoc non concedit D. Thom. ergo neque dicendum eſt non potuiſſe peccare. Maior probatur, quia plus requiritur ad meritum. Et præterea, quia actum bonum quem tunc

ha-

habuit, non poterat non exercere: nam poſſet ſimul, & in eodem inſtanti illum habere, & non habere, ſicque videtur non fuiſſe liberum.

Dicendum eſt tamen 1. Angelum in primo inſtanti ſuæ creationis non potuiſſe peccare. Probatur primò auctoritate D. Thom. hic dicentis: *Impoſſibile fuit Angelum in primo inſtanti peccaſſe per inordinatum actum liberi arbitrii.*

Secundò probatur eius ratione: *Operatio, quæ ſimul incipit cum eſſe rei, eſt ei ab agente à quo habet eſſe.* Sed *Agens quod Angelos in eſſe produxit, ſcilicet Deus, non poteſt eſſe cauſa peccati*; ergo *non poteſt dici quod diabolus in primo inſtanti ſuę creationis fuerit malus.* Maior probatur: Operatio, quæ incipit cum eſſe rei, debet eſſe ſecundum inclinationem, & diſpoſitionem, quam res accepit à dante ei eſſe: ergo, & ab agente, à quo habet eſſe. Conſequentia patet: Tum, quia ideò moueri ſurſum ineſt igni à generante, quia eſt ſecundum inclinationem, quam habet è generante ad locum ſuperiorem. Tum etiam, quia cum tibia naſcitur clauda ex debilitate ſeminis, claudicatio generanti tribuitur, vt cauſæ, quia eſt ſecundum diſpoſitionē, quam à generante habuit tibia. Tum deniq; quia, quod eſt cauſę eſt cauſa cauſati; ergo agens, quod eſt inclinationis rei, eſt cauſa operationis, quæ ex tali inclinatione eſt. Antecedens verò probatur: in primo inſtanti, in quo incipit eſſe res, non habet aliam inclinationem, aut diſpoſitionem niſi eam, quam

ab agente dante illi eſſe accepit; ergo operatio, quæ incipit cum eſſe rei, ſecundum hanc iuclinationem, & diſpoſitionem eſſe debet. Probatur antecedens: nam inclinatio, quam cauſa ſecunda libera poteſt habere non à Deo dante ei eſſe, ſed à ſeipſa facta iam prima deficiente, qualis eſt, qua ſe ipsā inclinat, aut determinat ad peccatum, præſupponit talis cauſæ ſecundæ productionem, ipſamque cauſam ſecundam completæ exiſtentem, cum omnibus, quæ ad eius eſſe conſequitur, & à Deo habet; ergo non poteſt eſſe in inſtanti in quo cum his omnibus eſſe incipit res, aut cauſa ſecunda. Si dicas illa præſupponere non temporis, ſed naturæ ordine. Contra hoc eſt: non præſupponit illa, vt effectus cauſam etiam materialem. Tum, quia nullum eorum, vt eſt à Deo eſt agens, aut patiens, eliciens, aut recipiens deficiens. Tum, quia talis inclinatio eſſet à Deo ſicut ab eo ſunt illa, quorum eſt effectus; ergo ſi pręſupponit illa, non naturæ, ſed temporis ordine pręſupponit. Dices hoc eſſe contra Diuum Thomam q. 16. de malo, artic. 4. dicentem: *Malitia culpæ non repugnat bonitati naturæ, ſed in ea fundatur ſicut in ſubiecto. Nec eſſet inconueniens dicere, quod quantum eſt ex creatione Dei Angelus in primo inſtanti habuit naturam omnino integram, ita tamen, quod hæc integritas fuerit mox impedita per reſiſtentiam angelicæ voluntatis, ſicut ſi radius Solis impediretur, ne illuminet aerem in ipſo ſolis exortu.* Reſpondetur id non dixiſſe D. Tho. quia putauerit nullum eſſe inconue-

nieng

niens abſolute Angelum in primo ſuæ creationis inſtanti peccare, oppoſitum enim ibi concludit, dicens: *Et ideo oportuit, quod Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis conuerteretur ad naturalem ſui cognitionem, ſecundum quam non potuit peccare.* Sed quia id non eſt inconueniens ex parte repugnantię cum bonitate naturæ, vt quidam quos ibi Impugnat aſſerebant: nam malitia culpæ non repugnat bonitati naturæ. *Vnde Aug. dicit 13. de Ciuit. Dei, quod quis quis huic ſententia* (aſſerenti ſcilicet Angelum in primo ſuæ creationis inſtāti peccaſſe) *acquieſcit, non cū Manicheis ſētit, qui dicunt, quod diabolus habet naturā mali Deo contrariā.* Quomodo ex hac parte nō ſit hoc incōueniens explicat S. Doctor exēplo Solis: ſicut enim licet radius Solis impediretur ne illuminaret aërem in ipſo Solis exortu, non propterea eius claritas tolleretur: ita licèt in primo inſtanti creationis Angeli fuiſſet per reſiſtentiam voluntatis Angelicæ impedita integritas naturæ Angeli, ne ſcilicet per eam eſſet Angelus dies, factus nox per reſiſtentiam; non tamen fuiſſet bonitas naturæ eius ablata, ſed maneret. Quod verò ait S. Doctor, malitiam culpæ fundari in bonitate naturæ ſicut in ſubiecto, non ita intelligendum eſt, vt bonitas naturę quatenus eſt à Deo, ſit cauſa materialis malitiæ; ſicut enim, vt ſit non eſt cauſa efficiens illius, ita nec materialis, aliàs Deus eſſet cauſa malitiæ: nam etiam cauſa materialis, vt cauſet iuuatur diuino auxilio, quod in ea dari multi aſſerunt, & quamuis hoc alij non admittant,

O 5 ad-

verum eſt commune proloquium: Quod eſt cauſa cauſę, eſt cauſa cauſati, etiam ſi cauſa fit materialis, aut formalis, & cauſa huius cauſæ ſit efficiens; quod enim efficienter calorem in aqua producit, etiam efficienter facit calidum; & quod efficienter producit diſpoſitiones, etiam harum effectum materialem efficit. Senſus ergo D. Thomæ eſt, bonitatem naturę eſſe fundamentum, & ſubiectum malitiæ, quatenus eſt cum defectu, non à Deo, ſed à voluntate proueniente, ſicut, & hoc modo voluntas eſt cauſa peccati: eodem namque modo quo eſt deficiens, eſt etiam recipiens peccatum. Eſt tamen differentia inter peccatum actuale, & originale: nam cum peccatum originale ſit in ſubiecto infecto, & deficienti, non propria hominis voluntate, ſed voluntate Adæ, non opus eſt, vt prius tempore ſupponat naturam productam, ſed poteſt in ea eſſe in eodem inſtanti, in quo producitur, eſſeque incipit; nam tunc ex voluntate Adæ, vt capitis reſultat in eam infectio, & defectus, ratione cuius eſt ſubiectum peccati originalis. At peccatum actuale in ſubiecto eſt deficiente propria illius voluntate, quę, quia quando producitur adhuc non eſt deficiens primum, ſed poſt ſui productionem ſe ipſam primum deficiens efficit, non poteſt ex illa reſultare defectus in naturam in inſtanti productionis illius, ſicut ex voluntate Adę, quæ iam ſupponitur facta primum deficiens, reſultat in hominis animam in inſtanti, quo infunditur corpori. Vnde D. Thom. vbi ſupra ad 21. ait:

Ani-

Anima in primo inſtanti ſuæ creationis efficitur mala, non per actionem propriam, ſed per vnionem ad corpus infectum: vnde nō eſt ſimilis ratio de Angelo, qui non potuit fieri malus, niſi per actū proprium. Quo ſcilicet moueretur ad peccatum. Licet autem in primo inſtanti creationis potuerit Angelus habere motum liberi arbitrij: non tamen in peccatum: nam, vt ibidem ad 20. ait D. Thom. *Ad peccandum mouetur mens rationalis creaturæ à ſe ipſa, qua non poteſt ſe mouere niſi ſecundum exigentiam naturalis ordinis.* Quo ſcilicet in aliquo inſtanti temporis præſupponitur ſecundum ea, quæ à Deo habet, antequam vt cauſa prima deficiens ſe moueat.

Tertiò probatur concluſio: Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis non potuit habere malam, ac defectuoſam cogitationem intellectus; ergo neque malam, & defectuoſam operationem voluntatis. Conſequentia patet; quia vt oſtendemus 1. 2. q. 77. art. 2. non poteſt eſſe peccatum in voluntate ſine aliquo defectu in cognitione intellectus. Antecedens probatur, cogitatio, quam in primò inſtanti habet Angelus, cum ſit omnium prima, debet eſſe à Deo determinante, quia ad eam non poteſt voluntas applicare intellectum; ergo non poteſt eſſe mala, ac defectuoſa, aliàs talis malitia, & defectus refunderetur in Deum. Confirmatur: Cogitatio bona, & operatio mala ſunt diuerſæ actiones non ſubordinatæ; ergo non poſſunt eſſe ſimul in primo inſtanti creationis Angeli. Probatur conſequentia, quia diuerſę actiones non

ſubordinatæ, diuerſa conſtituunt inſtantia temporis diſcreti, & vt ait D. Thom. q. 16. de malo, art. 4. *Oportet, quod ipſę conceptiones, aut affectiones ſibi ſuccedentes cauſent diuerſa inſtantia huius temporis.*

Quartò probatur ratione D. Thom. in 2. d. 3. in art. ante quæſtionem ſecundam: *Cum voluntas non ſit niſi boni, non poteſt eſſe aliquid volitum, niſi apprehendatur, vt bonum ad appetendum, quod ſi verè eſt bonum, non eſt peccatum in appetitu; ergo oportet, quod ſi eſt peccatum, quod ſit veriſimiliter bonum, & non verè bonum. Sed ſecundum Auguſtinus in libro contra Academicos, non poteſt aliquis iudicare veriſimilia niſi verum ſit cognitum; ergo oportet, vt intellectus veri boni præcedat intellectum veriſimilis boni: & ita appetitus æſtimati boni, quo malus ſit Angelus, non poteſt ſequi primum actum intellectus, ſecundum, quod conſiderat verum bonum, ſed ſecundum, quod conſiderat veriſimile bonum. Vnde cum impoſſibile ſit intellectui creato ſimul plura intelligere, non potuit primo inſtanti creationis appetitus Angeli eſſe malus.* Confirmatur, & explicatur hoc: Angelus peccauit appetendo finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere, vt patet ex art 3, tuncque iudicauit bonum ſibi eſſe ita beatitudinem habere, non quidem expreſsè, & formaliter, ſed implicitè, & virtualiter, quia non conſiderauit modum, quo debet haberi: ſed ad tale iudicium cum non ſit niſi veriſimilis, & æſtimati boni, debet præſupponi intellectus boni veri, quale eſt beatitudinem habere ex di-

uino

uino auxilio, aliàs enim inconſideratio talis modi non eſſet culpabilis; ergo cum impoſſibile ſit iudicare ſimul, & in eodem inſtanti bonum, & appetendum eſſe beatitudinem habere ex diuino auxilio, & per ſuam virtutem; non potuit in primo inſtanti creationis, in quo eſt primum iudicium, appetitus Angeli eſſe malus, talis enim non eſt ſine ſecundo iudicio.

Quintò probatur. Ad primam operationem Angeli voluntas non ſe moraliter mouet, ſed mouetur à Deo: ergo in ea nullum poteſt eſſe peccatum: Conſequentia patet, aliàs enim Deus eſſet cauſa moralis peccati. Antecedens probatur: Tum, quia, vt dicemus 1. 2. quæſt. 9. art. 4. noſtra voluntas ad volitionem aliquorum finium particularium non ſe mouet, ſed mouetur a Deo per gratiam operantem, imo, & ab eo, vt Auctore naturæ aliquando mouetur ad opera, de quibus nihil ante meminimus, ita, vt non ſe moueat moraliter, vt colligitur ex Ariſt. lib. 7. Ethicæl Eudemicæ cap. 14 v. 18 ergo, & voluntas Angeli ad primam operationem. Tum etiam, quia, vt ſe moueret moraliter deberet applicare intellectum ad cognitionē neceſſariam ad primam operationem: ſed hoc eſt impoſſibile, nam cum talis cognitio præſupponatur tali operationi, non poteſt applicare intellectum ad talem cognitionem per primam operationem, neque per aliam cum non ſit prior omnium prima, ergo &c.

Dicendum eſt ſecundo: Angelum in primo inſtanti ſuæ creationis potuiſſe mereri, & de

de facto meruiſſe. Probatur primò ex D. Thom. hic enim ad 3. ait de Angelo: *In primo inſtanti ſuę creationis mereri potuit*. Et ad 4. *Omnes in gratia creati in primo inſtanti meruerunt*; & 3. p. q. 34. artic. 3. ad 1. optima ratione oſtendit liberum arbitrium creaturæ licèt in primo inſtanti non poſſit peccare, mereri tamen poſſe. *Nam ad bonum ſe habet per ſe, & naturaliter, ad malum autem ſe habet per modum defectus, & præter naturam. Sicut autem Philoſophus dicit in 2. de cælo poſterius eſt, quod eſt præter naturam eo, quod eſt ſecundum naturam: quia id quod eſt præter naturam, eſt quędam excisio ab eo quod eſt ſecundum naturam. Et ideo liberum arbitrium creaturæ in primo inſtanti creationis poteſt moueri ad bonum, merendo, non autem ad malum peccando.* Idem oſtendit q. 19 de verit. artic. 8. ad 2. alia optima ratione.

Secundò probatur: Angeli, vt cum D. Auguſt. docet D. Thomas ſupra q. 62. artic. 3. creati ſunt in gratia, & cum amore caſto, qui fuit actus charitatis liber, erant præterea viatores; quid ergo illis deerat ad meritum?

Ad primum vero reſpondetur primò negando maiorem: nam actus primus voluntatis Angeli, fuit à Deo ſpecialiter, quia fuit ſecundum inclinationem, & diſpoſitionem, quam voluntas accepit à Deo, ex, qua peccatum non eſt, ſed potius contra illam. Vide D. Thomam q. 16. de malo, art. 4. ad 4. & 5. & 6. Reſpondetur ſecundo negando minorem: nam cogitatio, & obiecti propoſitio, ad quam Deus determinat intellectum in

primo

primo inſtanti productionis rei, non eſt ſolū ſpeculatiua, ſed practica, & affectiua mouens voluntatem ad operandum. Vnde cum Deus ad peccatum mouere non poſſit, cogitatio illa obiectum proponit voluntati cum indifferentia quidem ad hoc, vel illud bonū in particulari; non tamen reſpectu boni, & mali moralis in communi, ſed cum determinatione ad bonum honeſtum. Sicque licet tunc voluntas libertatem habeat in ordine ad bona particularia, & quantum ad exercitium, non tamen quantum ad ſpecificationem reſpectu boni, & mali moralis, ſed quātum ad ſpecificationem determinata eſt ad bonum honeſtum; vnde pro illo tunc peccare non poteſt, quouſque ipſa applicet intellectum ad cogitationem, & propoſitionem obiecti defectuoſam, quòd in alio inſtanti eſſe debet. Ad 1. confirmationem reſpondetur primo negando maiorem: nam operatio quæ non eſt omnium prima, ſed ſolum circa aliquod genus negotij, poteſt èſſe ex inclinatione, quam voluntas habet ex ſe ipſa, vt cauſa prima deficiens, cum tunc iam prius tempore ſit producta voluntas, & ſuppoſita propoſitione obiecti ab exteriori principio quaſi ſpeculatiua, ipſa applicare poteſt intellectum ad propoſitionem affectiuam, qua ad peccatum moueatur, quod non poteſt efficere in primo inſtanti creationis, vt dictum eſt. Vide quę dicemus 1. 2. q. 9 ar. 4. Reſpondetur 2. Aliquando operationem, quæ ſolum eſt prima circa aliquod genus negotij; ita eſſe à Deo vt non poſſit eſſe peccatum,

tum, quia Deus peculiari ratione, &, vt agẽs, & auctor particularis immittit cogitationem, quę determinat volũtatem ad ſpeciem actus boni, quamuis relinquat, indifferentiam quoad exercitium. Et huic ſimilem eſſe oportet, quam habet Angelus in 1. inſtanti ſuæ creationis. Ad 2. confirmationem dico: illam propoſitionem obiecti non ſufficere, vt voluntas proſequatur illud, & peccet, ſed requiri etiam cogitationem affectiuam, quæ ad id voluntatem moueat, aliàs enim ſine defectu aliquo ex parte intellectus poſſet eſſe peccatum in voluntate, quæ cogitatio à Deo eſſe non poteſt, nam eſſet cauſa moralis peccati.

Ad 2. reſpondetur: Angelum in primo inſtanti potuiſſe non operari in ſenſu diuiſo, nõ tamen in ſenſu compoſito ſuppoſito præcepto. Hoc autem non tollit libertatem quoad exercitium, vt patet in Chriſto, qui liberè mori voluit, licet hoc, in ſenſu compoſito, & ſuppoſito præcepto non poſſet, non velle. Quamuis enim neceſſitas ad non peccandum fuerit abſoluta; non tamen ad non operandum, ſicque libertatem ad peccandum tulit, non tamen ad operandum. Vnde Caiet. art. ſeq. §. *Ad hoc breuiter*, ait; voluntatem Angeli in 1. inſtanti potuiſſe incurrere omiſſionem actus, quia aliàs libera non fuiſſet: non tamen omiſſionis peccatum: nam hoc rationem voluntarię declinationis pręincludit, ſicque actum voluntatis non rectum habet neceſſario annexum, qui in primo inſtanti eſſe non potuit.

Ad tertiũ reſpondetur negando maiorem: nam ad meritum non neceſſario requiritur libertas quoad ſpecificationem ad bonum, & malum morale, vt patet in confirmatis in gratia, & in Chriſto ſed ſufficit libertas quoad exercitium, quam in primo inſtanti Angeli habuerunt. Ad probationem dico, totum, quod plus requiritur, habuiſſe Angelos in primo inſtanti. Et licèt in ſenſu compoſito, & ſuppoſito, quod Deus creauit illos cum caſto amore charitatis, & talem actum habebant, non poſſent non exercere illum, ſicut, & dum quis ſedet, non poteſt non ſedere: in ſenſu tamen diuiſo illum non exercere potuerunt, quia liberè, & cum indifferẽtia iudicij reſpectu talis exercitij illũ produxerũt.

ARTICVLVS V.

Vtrum aliqua mora fuerit inter creationem, & lapſum Angeli.

Coclusio eſt negans.

Dubium. Quot inſtantia fuerint à creatione Angelorum vſque ad glorificationem bonorum, & damnationem malorum.

Mirum eſt, quam variè de hac re ſentiãt etiam diſcipuli D.Th. Sed, vt ego meã ſententiam breuiter explicem, aduerto.

to. Hæc inſtantia non eſſe temporis continui ſed diſcreti, & quodlibet eorum nihil aliud eſſe quam durationem vnius operationis angelicæ quæ licet in ſe indiuiſibilis ſit coexiſtere poteſt etiam tempori diuiſibili, & ſucceſſiuo, & vnius duratio longiori tempori quam duratio alterius. Hoc ſuppoſito.

Dicendum eſt primò: A creatione bonorum Angelorum, vſque ad eorum glorificationem incluſiuè duo tantum inſtantia fuiſſe, in quorum primo meruerunt, & in ſecundo præmium beatitudinis acceperunt. Probatur Primo ex D. Tho. nam ſupra q 62. art. 5. ait: *Angelus poſt primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, ſtatim beatus fuit.* Et ad 2. *Inſtantia diuerſa in his quæ ad Angelos pertinent non accipiuntur, niſi ſecundum ſucceſſionem in ipſis actibus. Non autem potuit ſimul in eis eſſe actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis, qui eſt fruitio cum vnus ſit gratiæ imperfectæ, & alius gratiæ conſummatæ. Vndè relinquitur, quod oportet diuerſa inſtantia accipi in quorum vno meruit beatitudinem, & in alio fuit beatus.* Et in præſenti articulo ita habet: *Cum Angeli per vnũ actum meritoriũ ad beatitudinem perueniant, vt ſupra dictum eſt; ſi diabolus in primo inſtanti in gratia creatus meruit, ſtatim poſt primum inſtans beatitudinem accepiſſet, niſi ſtatim impedimentum præſtitiſſet peccando.* Quod non ita intelligendum eſt, vt poſt primum inſtans creationis, vt correſpondet inſtanti temporis indiuiſibili, in quo meruit, & peccare non potuit, immediatè beatitudinem accepiſſet; nam non accepiſſet niſi, vt

eum

eam acceperunt Angeli boni, quos conſtat non accepiſſe beatitudinem immediatè poſt primum inſtans hoc modo acceptum: ſed quia niſi ſtatim impedimentum præſtitiſſet peccando, non fuiſſet in eo ſequutum ſecundum inſtans; ſed primum permanſiſſet, non variato actu, ſed primo permanente. Quidam recentiores his ſibi videntur ſatisfeciſſe dicendo D. Thom. intelligendum eſſe de actu plenè libero. Sed non video, quid hoc referat, cum actus charitatis quo Angelus beatitudinem meruit, elicitus ab eo cum ſola libertate quoad exercitium; & continuatus ab eo iam habẽte plenam libertatem quoad exercitium, & ſpecificationem, idem vnicus, & primus ſit, eodemque, & vnico, ac primo inſtanti menſuretur, vt aſſerit D. Thom alias non poſt primum inſtans, ſed poſt ſecundum menſurans actum plene liberum diabolus accepiſſet beatitudinem ſi non peccaſſet. Neque obſtat quod S. Doctor hic ad 4. dicit: *Prima operatio fuit omnibus communis. Sed in ſecunda ſunt diſtincti. Et ideo in primo inſtanti omnes fuerunt boni, ſed in ſecundo fuerunt boni à malis diſtincti.* Quoniam ſenſus non eſt in omnibus fuiſſe ſecundam operationem, & ſecundum inſtans: ſed bonos eſſe à malis diſtinctos in ſecunda operatione, & in ſecundo inſtanti, quia ſcilicet in malis fuit, & non in bonis. Sic poſſumus dicere bruta animalia diſtincta eſſe ab homine in rationalitate, quia ea carent, & ſolus homo ea gaudet.

Secundò probatur ratione: Inſtans angeli-

cum nihil aliud eſt, quam duratio operationis Angelicæ, vt diximus: ſed à creatione bonorum Angelorum vſque ad eorum glorificationem incluſiuè non fuerunt niſi duæ operationes nempe operatio in qua conſiſtit beatitudo, & operatio, qua antequam beatitudinem conſequerentur, illam meruerunt: ergo duo tantum fuere inſtantia. Min. probatur nam ante conſecutam beatitudinem non fuit in eis niſi vnicus actus charitatis cũ alijs eis ſubordinatis fidei, ſpei, humilitatis, &c, qui pro vnica operatione vnicum inſtãs efficiente computantur. Diuerſitas autem iudicij non ſufficit ad diuerſificandam operationem, & inſtans, niſi ſecundum, contrarietur primo, & illud, ac operationem ex eo ſequutam excludat, vt in malis Angelis accidit: aliàs enim illam diuerſificarent iudicium de operatione elicienda, & iudicium de eadem operatione continuanda: & idem Angelus bonus impugnatus à pluribus malis ſucceſſiuè, à primo fortiter, ab alijs fortius, vt contingere potuit, ſi indicaret perſiſtendum eſſe in bono, primum non obſtante forti impugnatione, deinde non obſtante fortiori, & denique non obſtante fortiſſima, plures operationes haberet, & in pluribus eſſet ſucceſſiue inſtantibus. Vndè omnia hæc iudicia eodem actu charitatis permanente, vnam operationem cum illo, ſubordinatione quadam efficiunt, cui vnicum inſtans correſpondet. Idem eſt de iudicio, quod prius ſolum proponebat obiectum indifferens ſolum quo-

ad

ad exercitium, &, quod poſtea obiectum proponebat cum indifferentia etiam quoad ſpecificationem. Secus eſt de eo qui omnem indifferentiam excludit, qualis eſt, quo Angeli, tam beati iudicant diligendum eſſe Deum.

Neque his obſtat, ſi obijcias: Angeli boni antequam eſſent beati potuerunt peccare; ſed non potuerunt peccare in primo inſtāti, vt patet ex dictis articulo præcedenti; ergo non fuerunt beati ſtatim poſt primum inſtās, ſed poſt hoc, ſecundum in eis fuit antequam eſſent beati. Reſpondetur namque: licèt inſtans, in quo Angeli boni fuerunt antequam eſſent beati vnicum fuerit, & primum abſq; ſecundo, correſpondere tamen duobus malorum Angelorum inſtantibus, illiſque coexiſtere. Et in illo, vt reſpondet primo inſtanti Angelorum malorum non potuiſſe Angelos bonos peccare, ſicut nec malos in ſuo primo; in illo verò, vt reſpondebat ſecundo inſtanti Angelorum malorum, & erat menſura continuationis actus peccare bonos Angelos potuiſſe: non quidem, ita, vt ſi peccarent, maneret illud primum inſtans, ſed quia tunc inerat eis potentia peccandi, quæ ſi ad actum fuiſſet reducta, ſequutum fuiſſet ſecundum inſtans, & primum non permanſiſſet, ſicut de facto accidit in malis Angelis. Si, vt multi volunt, primum inſtans Angelorum malorum non ſoli inſtanti indiuiſibili noſtri temporis, ſed tempori notabili correſpondit, tunc dicendum eſt Angelos bonos nō potuiſſe peccare in primo inſtanti, vt cor-

reſpondet primò creationis indiuiſibili, bene verò, vt correſpondet durationi temporis poſt tale inſtans ſequuti, & cuilibet inſtanti talis temporis ante glorificationem. Quod non eſt inconueniens, ſicut nec dicere Angelum in eodem inſtanti temporis diſcreti correſpondenti durationi temporis noſtri indiuiſibili, non poſſe primum aliquem locum deſerere, quia in eo detinetur à Deo, vel Angelo ſuperiore, & poſtea poſſe illum deſerere; quia iam à nullo ibi detinetur.

Non obſtat etiam quod ait D Tho. Opuſc. 6. ar 8. *In primo inſtanti quo mens angelica conuerſa eſt ad Verbi fruitionem: & beata quidem erat ratione perfectæ fruitionis, quaſi in facto eſſe exiſtens, & beatitudinem merebatur in hoc quod conuertebatur ad Verbum: non præexiſtente beatitudinis perfectione, ſed quaſi exiſtens in ipſo fieri beatitudinis: ſed poſtmodum mens Angeli eſt tantum beata, & non beatitudinem meretur. Similiter eſt de contritione, quia in eodem inſtanti eſt terminus præparationis ad gratiam, & gratiæ infuſio.* Et ad 2. *Angelus meretur, vt viator, non quaſi diſtans à termino, ſed vt in termino via exiſtens.* Ex quo Caietanus hic, §. *Ad hæc,* colligit: *Quod via Angelorum ex duobus inſtantibus integratur. Sed alterum ita eſt via, quod non terminus, alterum verè eſt ſimul via, & terminus.* Reſpondetur enim cum Ferrarienſi 3. Contra gentes, cap. 100. §. *Ad quartum dubium,* Diuum Thomam non loqui ſecundum propriam ſententiam, ſed iuxta opinionem quorundam, qui dixerunt Angelos non fuiſſe in gratia creatos, ſed

in

in puris naturalibus, & poſt primum inſtans creationis gratiam illis fuiſſe collatam ſimul cum gloria. Quam opinionem in 2. ſenten. diſt.4.quęſt.1.art. 3. ait, tunc fuiſſe communiorem. Et diſt.5.art.2.& quodlibeto citato oſtendit ex multis modis, quibus illa ſententia defendebatur, probabiliorem eſſe, qui dicit Angelum ſimul meruiſſe, & fuiſſe beatum, meritumque non præceſſiſſe pręmium tempore, ſed natura, ſicut vltima diſpoſitio ad gratiam, non tempore, ſed natura pręcedit infuſionem gratię. Illa tamen opinionem ipſe non tenet, neque ibi, neque hic ſup. q. 62. art. 3. ſed potius contrariam quæ aſſerit Angelos fuiſſe in gratia creatos, hancque prius ordine temporis; vel inſtantis in eis fuiſſe, quam gloriam,

Dicendum eſt 2. A creatione malorum Angelorum vſque ad eorum damnationem incluſiuè tria inſtantia numeranda eſſe: in quorum primo creati in gratia meruerunt, in ſecundo peccauerunt, & in tertio damnati, & è cœlo eiecti ſunt: vnde eorum via duobus inſtantibus fuit completa. Hoc colligitur ex Diuo Thoma hic aſſerente: *quod ſtatim poſt primum inſtans ſuę creationis diabolus peccauerit*. Et ad quartum. *In primo inſtanti omnes fuerunt boni, ſed in ſecundo fuerunt boni à malis diſtincti*. Tertium verò inſtans pro damnatione eorum conſtituendum eſſe, colligitur ex eodem S. Doctore ſupra q 62. art.5.ad 2. conſtituente in Angelis bonis diuerſum inſtans in, quo fuerũt beati ab eo in, quo beatitudinem meruerunt; nulla eſt enim

ma-

maior ratio cur etiam in malis Angelis non ſit conſtitueudum diuerſum inſtans in quo fuerunt damnati ab eo in quo per peccatum meritum beatitudinis mortificantes meruerunt damnationem.

Nec huius oppoſitũ docet D.Th.hic: licèt enim dicat, nullam fuiſſe moram inter creationem, & lapſum Angeli; lapſus tamen nomine, peccatum intelligit Et quamuis idem peccatum ſimul cum damnatione manſerit, non tamen idem inſtans: quia pœna, & ſupplicium, acceſſit. Sicut, licèt cum beatitudine manſerit idem actus charitatis, diuerſum inſtans conſtituitur propter præmium, quod boni Angeli conſequuti ſunt.

Quæri hic ſolet, an primum inſtans in quo mali Angeli fuerunt in gratia, & meruerunt, fuerit, tam formaliter, quam virtualiter indiuiſibile, ita, vt non tempori, aut durationi temporis noſtri diuiſibili, ſed inſtanti indiuiſibili ſolum creationis correſpõderit? Quibuſdam videtur illud primum inſtans durationem fuiſſe, notabili noſtri tẽporis latitudini reſpondentem, idque ſignificari verbis illis Ezechielis 18. verſ. 14 *Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te.* Geneſis etiam primo, verſ. 31. ſexto enim die conditionis mundi, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ergo cum Angeli primo die creati fuerint, ab illo vſque ad ſextum omnes boni fuerunt. Magis etiam naturale

turale eſt cuique intellectui, & voluntati createę permanere aliquantulum in actu liberè elicito, quam immediatè poſt inſtans indiuiſibile ad alium tranſire, hoc enim nimiā mutabilitatem indicat; ergo veriſimilius eſt diabolum in actu bono quem habuit aliquātulum permanſiſſe, Deus quoque valdè parcè, & quodammodo auarè ſe geſſiſſet cum Lucifero, & eius ſequacibus ſolum ad inſtans omnino indiuiſibile gratiam ſuam illis cōcedens, quod non eſt de Deo dicendum.

Sed D. Tho. valdè inſinuat illud primum inſtans in quo mali Angeli fuerunt in gratia, & meruerunt omnino indiuiſibile eſſe, tam formaliter, & in ſe, quam virtualiter, & per coexiſtentiam ad noſtrum tempus, dum ait probabiliorem opinionem, & ſanctorum dictis magis conſonantem eſſe: *Quod ſtatim poſt primum inſtans ſuę creationis diabolus peccauerit*. Conſulto enim non ſolum dixit: *Poſt primum inſtans*, ſed *ſuę creationis* addidit, vt denotaret illud inſtans non tempori, ſed inſtanti temporis correſpondiſſe, ſicut, & durationem creationis, quæ omnino inſtantanea, & indiuiſibilis eſt. Quod etiam dicit ad 3. *Angelus habet liberum arbitrium inflexibile poſt electionem: & ideo niſi ſtatim poſt primum inſtans in quo naturalem motū habuit ad bonum, impedimentum beatitudini præſtitiſſet, fuiſſet firmatus in bono* Idem confirmat: Cum enim poſt primum inſtans creationis omnino indiuiſibile, poſſit Angelus peccare, ſi diabolus in amore Dei perſtitiſſet, talis actus plenè liber fuiſſet, ac proinde ex electione,

P ſicque

ſicque in illo ſemper permanſiſſet, & non peccaret, nam hæc eſt conditio naturæ angelicæ, vt poſt actum, quem omnino liberè, & ex electione elicit, habeat liberum arbitrium inflexibile, de quo quæſt. ſeq. art. 2. latius agemus

Ad verba autem Ezechielis adducta pro contraria ſententia reſpondet D. Thom. hic ad 1. *Quod per motus corporales, qui per tempus menſurantur, quandoque in ſacra Scriptura intelliguntur metaphoricè motus ſpirituales inſtantanei: & ſic per deambulationem intelligitur motus liberi arbitrii tendentes in bonum.* Per vias etiam denotatur pluralitas actuum inter ſe ſubordinatorum, quos in illo inſtanti habuit. Illud denique, A *die conditionis tuæ, &c.* non denotat moram aliquam temporis, ſicut nec deambulatio, ſed in illo die inſtantaneo fuiſſe perfectum quouſque peccauit.

Ad locum Gen. 1. reſpondetur intelligendum eſſe de operibus, quæ ibi proprio nomine à Deo creata referuntur, quales non ſunt Angeli. Vel ſi ad hos illum extendas, intelligendus eſt de omnibus operibus Dei, vt à Deo procedebant; ſicut, & intelligitur illud Eccleſiaſtici 39. v. 21. *Opera Domini vniuerſa bona valdè.*

Ad id verò, quod dicitur magis naturale eſſe permanere in actu liberè elicito, reſpondetur verum eſſe de actu plenè libero & elicito ex omnimoda electione, & quamuis permanere in actu bono, etiam ſi non habeat omnimodam libertatem, ſit magis na-

tu-

turale, quam ad alium tranſire, ſolum ſequitur dæmonem peccando contra naturam egiſſe, quod eo modo aſſerendum eſt, quo dicitur peccatum eſſe contra naturam.

Denique Deus illiberalitatis argui non poteſt, quia quantum eſt ex ſe non ad vnicum inſtans, ſed ad perpetuas æternitates Lucifero, & eius ſequacibus gratiam conceſſit. Per ipſos tamen ſtetit, ne amplius, quam per inſtans in ea perſeuerarent.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Angelus ſupremus inter peccantes fuerit ſupremus inter omnes.

Concluſio eſt affirmans.

QVamuis D. Damaſcenus dixerit maiorem eorum Angelorum, qui peccauerunt, fuiſſe de infimo ordine: tamen D. Gregorius dicit: *Quod ille, qui peccauit fuit ſuperior inter omnes.* Ait vero D. Tho. *Et hoc videtur probabilius.*

ARTICVLVS VII.

Vtrum peccatum primi Angeli fuerit alijs cauſa peccandi.

Concluſio eſt affirmans.

APocal. *Pſ.* 12 verſ. 4. de dragone, qui vocatur diabolus, dicitur: *Cauda*

eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, Quem locum D. Thom. hic adducit, & ad Angelorum lapſum, quos ſecum eorum principes de cœlo pari ruina detraxit, refert, eſtque communis,tam Scholaſticorum, quã ſacrorum Interpretum ſenſus, Quod quamuis enim ſcopus ſit agere de damno dæmon hominibus importat; poteſt tamen id vſurpari ad probandum quanta ſit dæmonis ipſius potentia, & ad eam ponderandam ex damno, quod cœlo inuexit. Cauda autem traxiſſe tertiam partem ſtellarum cœli dicitur diabolus, quod magnam partem Angelorũ ſecum, ſiue poſt ſe traxerit; ſic enim exponit eam phraſim Origenes tract. 30. in Matthæum. Aretas caudæ nomine diaboli elationem, ſiue ſuperbiam intelligit. Poteſt etiam iuxta doctrinam D. Hieron. Iſaię 10. peruerſa diaboli ſuaſio per caudam intelligi. Hæc ergo cauda diabolus ſecum traxit alios Angelos, quia vt hic ait D Thom. *Peccatum primi Angeli fuit aliis cauſa peccandi: non quidem cogens, ſed quadam quaſi exhortatione inducens*. Sed quid ſuaſit, & ad quid eos induxit? Vt ipſum imitarentur proprium decorem intuentes, ac ſuam virtutem attendentes. In quo nihil eis propoſuit malum ex parte obiecti; ad hoc tamen bonum propriæ excellentiæ, pulchritudinis, & poteſtatis illi ſicut, & ille conuerſi, in ſeipſis remanſerunt, & facti ſunt nox per ſuperbiam intumeſcentes. Quod boni Angeli facere noluerunt, ſed ad laudem Dei conuerſi, in eius caſto amore permanſerunt. Et hæc volun-

luntatum, & operationum differentia fuit prę-
lium, quod factum eſt in cœlo inter bonos, & malos Angelos. Ad quod, vt hic ad 1. docet D. Thom. non fuit opus temporis mora, ſed totum in inſtanti indiuiſibili fieri potuit, vt explicat Caietanus, *Quemadmodum quotcumque illuminationes ordinatæ in eodem ſunt inſtanti*.

Circa art. 9. nihil ſe offert dicendum.

QVAESTIO LXIV.

De pœna dæmonum.

ARTICVLVS I.

Vtrum intellectus dæmonis ſit obtenebratus per priuationem cognitionis omnis veritatis.

Concluſio eſt negans.

DVplex eſt cognitio veritatis, naturalis, & ſupernaturalis; & hæc quędam ſpeculatiua tantum, altera affectiua. Licet autem, inquit D. Thomas, cognitione affectiua ſicut, & charitate totaliter ſint dæmones priuati, & cognitio ſupernaturalis ſpeculatiua de diuinis ſecretis ſit in eis diminuta; nihilominus tamen *naturalis cognitio in eis integra manet*, vt etiam docet D. Dion. cap. 4 de diu. nom.

ARTICVLVS II.

Vtrum voluntas dæmonum ſit obſtinata in malo.

Concluſio eſt affirmans.

OPpoſitum docuit Origenes, aſſerens voluntatem dęmonum propter libertatem arbitrij poſſe flecti in bonum. Illum tamen propter hoc, & alia reprobauit Eccleſia, vt ait D. Auguſt. lib. 21. de Ciui. Dei, cap. 17. Vnde merito D. Thom. hic ait: *Hæc poſitio eſt tanquam erronea, reputanda, & tenendum eſt firmiter ſecundum fidem Catholicam, quod & voluntas bonorum Angelorum confirmata eſt in bono, & voluntas dæmonum obſtinata eſt in malo.* Quid autem ſit obſtinatio explicat, idem Diuus Thomas, quæſt. 24. de verit. art. 11. dicens: *Obſtinatio importat quandam firmitatem in peccato, per quam aliquis à peccato reuerti non poſſit.*

Dub. I. Quænam ſit cauſa obſtinationis dæmonum.

QVidam dicunt: vnicam, & propriam cauſam obſtinationis dęmonum eſſe ſubtractionem diuinæ gratię, quam propter eorum peccata iuſto iudicio Deus abſtulit; inflexibilitatem vero liberi arbitrij eorum, nec cauſam eſſe talis obſtinationis, nec libero arbitrio eorum conuenire, & hoc probant.

Pri-

Primo ex Diuo Damaſceno lib. 2. de fide, cap. 3 vbi diffinit naturam Angeli his verbis: *Eſt igitur Angelus natura, rationis particeps, intelligens perpetuo motu arbitrijque libertate præditus voluntatis, ac ſententiæ ratione mutabilis, hoc eſt liberam in vtramque partem voluntatem habens*. At cum his non ſtat liberi arbitrij inflexibilitas; ergo &c. Confirmatur; nam de Angelis ibidem ait: *Nunc verò ea iam conditione ſunt; vt nec vix quidem moueri, atque inflecti queant, quod tamen non eorum naturæ, ſed gratię tribuendum eſt*. At ſi eſſent liberi arbitrij inflexibilis, id naturæ eorum tribuendum eſſet; ergo &c.

Secundò, ex D. Fulgentio lib 1. de fide ad Petrum cap. 3. qui to. 3. operum D. Aug. inſertus eſt; vbi ait recuperare iuſtitiam diuini muneris eſſe, non naturę, & ſubdit: *Quod ſi poſſibile eſſet, vt humana natura poſtquam à Deo auerſa bonitatem perdidit voluntatis, ex ipſa rurſum eam habere potuiſſet, multo poſſibilius hoc haberet Angelica*. At ſi eſſet liberi arbitrij inflexibilis, hoc non haberet, ergo, &c.

Tertiò; Quia conſtat dęmones mutaſſe electionem, & iudicium quod prius habuerant circa mortem Chriſti; prius enim diabolus, cum miſit in cor Iudæ, vt traderet Chriſtum Iudæis, Ioan. 13. diligenter mortem Chriſti procurauit; poſtea vero per vxorem Pilati Matth. 27. ſuadere conatus eſt Pilato, vt Chriſtum non crucifigeret: ſed hoc non eſſet, ſi poſt electionem, & iudicium eſſent liberi arbitrij inflexibilis; ergo &c. Cō-

ſirmatur: nam conſtat etiam omnes Angelos, qui peccauerunt mutaſſe priorem voluntatem in qua creati ſunt, quamque in primo inſtanti habuerunt; ergo &c.

Quarto; Angelus peccauit ex inconſiderantia: ſed modo videt ſe non conſideraſſe quod debuerat: ergo poteſt prauam illam electionem reuocare vtcumque. Confirmatur: Voluntas Angeli non eſt minus libera poſt electionem, quam ante illam: ſed antea poterat non eligere: ergo poſtea poteſt electionem reuocare.

Dicendum tamen eſt 1. Obſtinationis dæmonum, quæ eſt quædam illorum pœna, præter cauſam meritoriam, peccatum ſcilicet præcedens, duas alias quaſi phyſicas eſſe aſſignandas cauſas: vnam intrinſecam ex parte liberi arbitrij dæmonum: alteram extrinſecam ex parte Dei, hancque eſſe ſubtractionem diuinæ gratiæ. Probatur 1. ex D. Thoma q. 24. de verit. art. 10. vbi de hac obſtinatione dæmonum loquens ait: *Cuius quidem rationem ex illa parte oportet accipere, vnde cauſatur liberatio à peccato, ad quam duo concurrunt: diuina gratia principaliter operans, & humana voluntas gratia cooperans: quia ſecundum Aug. Qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te, ſine te. Cauſa igitur confirmationis in malo partim quidem accipienda eſt ex Deo, partim ex libero arbitrio.* Et ſtatim explicat quomodo ex Deo accipienda ſit, ſubdens: *Ex Deo quidem non ſicut faciente, vel conſeruante malitiam, ſed ſicut non largiente gratiam. Quod quidem eius iuſtitia depoſcit; iuſtum eſt enim, vt qui*

qui bene velle dum poſſent noluerunt, ad hanc miſeriam deducantur, vt bene velle omnino non poſsint;

Secundò probatur cum eodem D.Thoma. q. 16. de malo, art. 5. *Mutatur enim in nobis liberum arbitrium ex cauſa intrinſeca, & ex cauſa extrinſeca.* A ſe ipſo ſcilicet, & a Deo: ergo ſi voluntas dæmonum eſt immutabilis, & obſtinata in malo, hoc ex duplici cauſa debet prouenire, intrinſeca ſcilicet ex parte liberi arbitrij, & extrinſeca ex parte Dei, quæ non eſt alia, quam ſubtractio diuinę gratię: nam, vt ibidem ait S. Doctor: *Non pertinet ad rationem diuinæ ſapientiæ, vt vlterius dæmonibus gratia infundatur, per quā reuocentur à malo primæ auerſionis, in qua immobiliter perſeuerāt* Et rationem aſſignat, quia non ſunt in ſtatu viatorum. Et in ſolutione tertij ibidem inquit: *Quod Deus eſt cauſa ſtatus Angelorum, in quo ſunt obſtinati in malo, non quidem ſicut cauſando, vel conſeruando malitiam, ſed ſicut non impartiendo gratiam. Sic enim dicitur aliquos indurare ſecundum illud Roman. 9. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Tertiò probatur: Obſtinatio voluntatis dęmonum duo importat: nempe motum voluntatis adhærentis malo, & ſubtractionem gratiæ: tum, quia hæc teſte Diuo Thoma 1. 2. quæſtione 79. articulo 3. importat obduratio: tum etiam, quia, vt ait Diuus Auguſt. vel Diuus Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. tertio: *Omnes illi preuaricatores Angeli Nec mala poſſunt vnquam voluntate carere, nec pœna.* Ergo quantum ad vtrumque eſt aſſi-

gnanda cauſa talis obſtinationis. At Deus tantum eſt illius cauſa quãtum ad ſubtractionem gratiæ; nam non eſt cauſa peccati; ergo quantum ad motum voluntatis adhærentis malo, aſſignanda eſt cauſa talis obſtinationis ex parte liberi arbitrij dæmonum.

Dicendum eſt 2. ex parte liberi arbitrij dæmonum cauſam obſtinationis eſſe inflexibilitatem eiuſdem liberi arbitrij. Docet hoc Diu. Thom hic, & probatur: nam nulla alia aſſignari poteſt, vnde enim ex parte voluntatis prouenire poteſt, non poſſe reuerti à peccato, quam ex eius inflebilitate? Ob hanc dæmones ſunt incapaces pœnitentiæ, & ſuperbia eorum aſcendit ſemper. Confirmatur: animus obfirmatus peccandi, in quo malitia obſtinationis conſiſtit, habet pro cauſa voluntatem immobiliter adhærentem malo; ergo voluntatem inflexibilem.

Dæmones autem voluntatem, ſeu lib. arbitrium hãc inflexibilitatem habere probat D. Thom. Vis appetitiua in omnibus proportionatur apprehenſiuę: ſed Angelus apprehẽdit immobiliter per intellectum ſicut, & nos prima principia; ergo eius voluntas immobiliter adhæret, poſtquam adhæſit alicui, ac proindè licet ante electionem liberum arbitrium Angeli ſit flexibile ad vtrumque oppoſitum, ſed non poſt. Maiorem probat, quia ſicut ſenſus eſt apprehenſiuus ſingularium, ita & appetitus ſenſitiuus eſt boni particularis, & ſicut intellectus eſt apprehenſiuus vniuerſalium, ita voluntas eſt boni vniuerſalis. Præſertim vero debere proportionari in immobili-

bilitate patet, quia omnino manente immoto iudicio, aut apprehenſione intellectus nunquam eſt, nec eſſe poteſt mutatio in appetitu, ſeu motu voluntatis. Minorem etiam probat, quia Angelus apprehendit ſine diſcurſu de vno in aliud, ac proindè ſine motu, & q. 16. de malo, art. 5. quia Angelus cum actu habeat notitiam omnium quæ naturaliter ſcire poteſt, ſicut nos naturaliter actu habemus notitiam principiorum, immutabiliter apprehendit omnia quæ pertinent ad ordinem naturæ; ergo cum ſupernaturalium cognitio ei adueniat ſecundum modum ſuæ naturæ, nam omne, quod recipitur, per modum recipientis recipitur, & gratia perficit naturam modo conformi naturæ etiam ſupernaturalia immobiliter apprehendit: ſicut & nos eo modo (quamuis non ex euidentia) cognoſcimus, & iudicamus de ſupernaturalibus, quo de naturalibus.

Si quæras; an eadem liberi arbitrij inflexibilitas ſit ratio, & cauſa obſtinationis in hominibus damnatis? Reſpondeo: eſſe; licet enim ſubtractio diuinæ gratiæ ſit ex parte Dei, cauſa obſtinationis eorum, vt eſt quædam pœna; cauſa tamen malitię illius, quæ ex parte damnatorum ſe tenet, voluntas inflexibilis eorum eſt. Vnde D. Thom. q. 24. de verit. art 11. ait: *Anima ſeparata Angelo conformatur, & quantum ad modum intelligendi, & quantum ad indiuiſibilitatem appetitus quæ erant cauſa obſtinationis in Angelo peccante. Vnde per eandem rationem in anima ſeparata obſtinatio erit. In reſurrectione autem corpus ſe-*

quetur animæ conditionem; & ita tunc eadem obſtinationis ratio manebit. Ex quo ſequitur apprehenſionem, qua homo antequam moreretur iudicabat non eſſe ſibi conueniens pœnitere, aut eſſe ſummum bonum, quod verè non erat, fieri poſt mortem immutabilem in inſtanti, quo incipit eius voluntas eſſe obſtinata, ſiue ſit primum inſtans ſeparationis à corpore, ſiue aliud inſtans, de quo vide Ferrarienſem 4. Contra gentes, cap. 95. §. *Ad tertium dicitur.*

Si quęras etiam, an ſi Angelus Deus longiorem viam conceſſiſſet, centum videlicet annorum, mali etiam toto illo tempore ſuæ vitę eſſent in malo obſtinati, & boni Angeli in bono confirmati neceſſario? Reſpondetur: Obſtinationem malorum toto illo tempore vię non forè obſtinationem ſimpliciter, & completam, ſed ſecundum quid, & incompletam, qualem in quibuſdam hominibus in ſtatu viæ, inueniri docet D. Thomas quęſtione 24. de veritate, artic. 11. quamuis obſtinatio malorum Angelorum in via maior eſſet obſtinatione hominum in via. Ratio huius eſt: nam ad obſtinationem completam requiritr immobilitas in malo proueniens, tam ex cauſa intrinſeca, quam extrinſeca; licet autem tunc eſſent mali Angeli immobiles ex cauſa intrinſeca, non tamen ex cauſa extrinſeca; ideo enim nunc teſte Diuo Thoma, quæſtione 16. de malo, art. 5. *Ex parte extrinſeca immutabiles ſunt in malo poſt primam electionem, quia tunc finitur in eis ſtatus viatoris.* At in caſu de quo loquimur,

mur, non finiretur in eis ſtatim poſt primam electionem ſtatus viatoris, & ita dum talis ſtatus viatoris permaneret, Deus eſſet paratus ad auxilia neceſſaria eis conferendum, & ad eius prouidentiam pertineret prouidere illis de remedio, quo eorum durities, & obſtinatio emolliretur, & pœnitere poſſent. Boni etiam Angeli non neceſſario poſt primam bonam electionem eſſent confirmati in bono: nam inflexibilitas eorum naturalis licet ſufficeret ad perſeuerandum in volitione, & amore Dei, & beatitudinis ſupernaturalis inefficaci, & naturali, qualis eſt, quo peccatores, & hæretici dicunt ſe diligere Deum, & velle ſaluari; non tamen ſufficeret ſine gratia ad perſeuerandum in amore efficaci, & ſupernaturali Dei Auctoris ſupernaturalis qui incompoſſibilis eſt cum peccato mortali, ac proinde poſſet Deus, ſi vellet; auxilium gratiæ ad hoc requiſitum denegare, & permittere, vt manente amore illo inefficaci in eis, peccarent mortaliter, & amorem efficacem, & ſupernaturalem amitterent.

Ad 1. reſpondetur: D. Damaſc. intelligendum eſſe de Angelo ante lapſum; poſt lapſum enim ibi, & cap. 4. docet, Angelis non eſſe pœnitentię locum, nec eſſe pœnitentiæ capaces. Huius autem incapaces ſunt, non ſolum ob diuinæ gratiæ ſubtractionem, ſed etiam ob animum obfirmatum peccandi, & voluntatem inflexibilem ad dolendum de peccato, quod commiſſerunt: propter quod D. Iſidorus lib. 1. de ſum. bono, cap. 10. dicit; *Diabolus ideo non petit veniam, quia non*

com-

compungitur ad pœnitentiam. Circa alia non dubito diabolum etiam nunc eſſe mutabilem, quia per liberum arbitrium poteſt diuerſa eligere: ab eo tamen, quod ſemel elegit, moueri non poteſt, vnde D. Thomas q. 16. de malo, art. 5 ad 17. ait: *Appetitus diaboli poteſt quidem diuerſa appetere, ſed tamen in omnibus quæ appetit, in malo immobiliter perſeuerat*. Ad confirmationem patet ex dictis negandam eſſe minorem; nam vt diximus inflexibilitas arbitrij Angelorum non erat ſufficiens ſine gratia ad conſeruandum Dei amorem ſupernaturalem, & perſeuerandum in bono, & præſeruandum eos à peccato.

Ad ſecundum reſpondetur negando minorem: nam flexibilitas arbitrij non eſt ratio & cauſa recuperandi bonitatem amiſſam, ſed virtus, quæ non eſt minor, quam quæ requiritur ad ſuſcitandum mortuum; maius enim opus eſt iuſtificatio impij, quam mortui ſuſcitatio. Vndè, quia virtus angelicæ maior eſt virtute naturæ humanę, rectè ibi dicitur, ſi natura humana potuiſſet ex ſe ipſa habere bonitatem, quam perdidit voluntatis, multo poſſibilius hoc eſſet naturę angelicę: ſicut rectè dicere poſſumus ſi arundo exiſtẽs in ripa fluminis poſſet pertingere ad mœnia ciuitatis, multo magis id poſſet pinus magna in eadem ripa exiſtens: nam quamuis arundo flecti poſſit verſus ciuitatem, & pinus inflexibilis ſit: ratio tamen pertingẽdi ad mœnia magis penſatur ex magnitudine, in qua pinus excedit arundinem, quam ex flexibilitate, quę ſoli arundini conuenit.

Ad

Ad tertium reſpondetur cum Caietano hic illud iudicium dæmonum non fuiſſe totale, & completum, ſed dubium, & coniecturale, ſicut & bonorum Angelorum pugnantium apud Danielem: tale autem iudicium mutare poſſunt Angeli, non tamen certam extimationem, nam vt ait D.Th.q 24.de verit.a.10. *Angeli extimationem quam ſemel accipiunt, deponere non poſſunt, ſiue ſit vera, ſiue falſ* . Sicut nec nos errorem, qui circa principia accideret, de quo vide S. Doctorem 4. Contra gentes cap 95. Idem dicendum eſt de electione, quæ ſequitur iudicium: vndè non mirum ſi eam circa mortem Chriſti procurandam, mutauerit diabolus: non enim fuit plena, non quia non ſufficeret ad peccatum mortale, ſed quia ex iudicio dubio procedebat. Talis autem non fuit prima Angeli praua electio, ob quam de cœlo eiectus eſt, ſed ex iudicio certo, ac plena deliberatione procedens. Ad confirmationem cum eodem Caietano reſpondetur; voluntatem, in qua Angeli creati ſunt, fuiſſe quidem liberam, non tamen plene deliberatam; quia non proceſſit ex iudicio indifferenti ad bonum, & malum, ſed determinato ad bonum, & ſpecialiter Deo tribuebatur; vndè peccatum eſſe non potuit, vt diximus quæſt. prec. art.4.

Quamuis enim ad perfectam libertatem non requiratur potentia peccandi: quia tamen hic defectus conſequitur libertatem in natura creata vt diximus queſt.preced.ar.1. dub.1.ad 1.voluntas quam in primo inſtanti habuit Angelus, non dicitur plene, & com-

ple-

plete libera, libertate ſcilicet, quæ creaturę poteſt conuenire. Et hanc optimè potuit Angelus mutare: non tamen, quam habuit in ſecundo inſtanti, quę ex completa libertate proceſſit; & in ipſum Angelum ſe deliberatè applicantem, & mouentem reducebatur.

Ad 4. reſpondetur, Angelum ſpeculatiuè poſſe cognoſcere ſuam conſiderationem, & culpam, non tamen practicè, & affectiuè: nam, vt ait D. Thom. q. 16. de malo art. 5 ad 5. *Diabolus non poteſt in ſe propriè loquendo culpam ſentire, ita ſcilicet, quod apprehendat. & refugiat quaſi malum culpæ ſuum peccatum, quia hoc pertineret ad mutationem liberi arbitrij.* Vnde D. Gregor. lib 34. moral. cap. 14. de diabolo ait: *Appetitum itaque celſitudinis vertit in rigorem mentis, vt damnatus iam per duritiam ſe male egiſſe non ſentiat.* Perſeuerat igitur in eo iudicium, quo quando peccauit iudicauit eligendam ſibi fore beatitudinem non conſiderando modum, quo eſſet appetenda. Et licet ſpeculatiuè ſciat nō poſſe obtinere beatitudinem per vires ſuæ naturæ, quod eſt ceſſare in eo inconſiderationem, quam haberet ſpeculatiuè, ex parte tamen modi appetendi ſcilicet præſumptuosè, & ſuperbè perſeuerat in eo inconſideratio, quia ſic eam appetit, ac ſi eam poſſet viribus proprijs obtinere, quod eſt inconſiderate appetere, de quo vide, quæ diximus quæſt. pręced. ar. 3. dub. 3. Et hoc eſt, quod hic: ad 3. ait D. Thom. *Quod adhuc manet in diabolo peccatum, quo primo peccauit quantum ad appetitum, licet non quantum ad hoc, quod credat ſe poſſe obtinere.* Non quia aliquando

do crediderit expreſſe beatitudinem finalem poſſe obtinere per vires ſuæ naturæ, ſed quia, hoc quod implicitè opinari conuincebatur ex modo appetendi, nunc videns ſe priuatū beatitudine, cognoſcit eſſe impoſſibile, ſicque ceſſat in eo conſideratio ſpeculatiuè, non tamen affectiuè, nam eo ipſo, ac appetit ſuperbè beatitudinem, inconſideratè appetit. Licèt autem modo ſpeculatiuè cognoſcat conſideraſſe, quod debuerat, quia tamen practice non cognoſcit; nec ſe male egiſſe ſentit, nullo modo prauam illam electionem reuocare poteſt, nam ſi reuocaret, ſe male egiſſe ſentiret. Ad confirmationem reſpondetur cum D. Thom. q 16 de malo a. 5. ad 8. *Quod ſicut motus auerſionis à Deo fuit in diabolo voluntarius, ita etiam, & quies in eo, quod voluit, eſt voluntaria, nam voluntariè perſeuerat in malo. Sed tamen voluntas eius in hoc immutabiliter manet.* Et ad 11. *Quod ſicut ebrius tenetur non peccare, non quidem conſiderato præſenti ſtatu, ſed conſiderata ebrietatis voluntaria cauſa, ſecundum quam imputatur ei aliquid ad culpam: ita etiam poteſt intelligi, quod diabolus tenetur conuerti ad Deum, quamuis hoc ei ſit impoſſibile ſecundum præſentem ſtatum; quia in hunc ſtatum ex voluntaria cauſa deuenit.* Ad libertatem ergo voluntatis, quam habet poſt electionem, non requiritur, vt illam poſſit Angelus reuocare, ſed ſufficit, vt illam potuerit non habere, quando ad illam ſe determinauit. Hoc hic aduertendum eſt; immobilitati apprehēſionis Angeli nihil obſtare, quod aliquando mutato obiecto, aut cir-

circunſtantij diuerſa habeat iudicia, aut electiones; poteſt enim velle occidere, & occidendum eſſe iudicare hominem, qui ſuæ tentationi non conſentit, & poſtea ipſo homine conſentiente velle ipſum non occidere, & iudicare non eſſe occidendum. Sufficit ergo ad immobilitatem apprehenſionis, & electionis Angeli, vt re inuariata manente perſeueret in iudicio, & electione ſemel factis.

Dubium 2. An dæmones ita ſint in malo obſtinati, vt non poſſint bonum aliquod opus morale efficere.

PArtem affirmantem tenent Scotus in 2. d. 7. qu. 1. art. 3. & Durandus qu. 2. Probabatur 1. Sap. 5. damnati deſcribuntur pœnitentiam agentes, & errorem anteactæ vitæ ſuæ recognoſcentes, quod bonum eſſe videtur. Lucæ etiam 16 v. 17. diues ille epulo ſepultus in inferno bonum feciſſe videtur dicens Abraham: *Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patr is mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur il is, nec & ipſi veniant in hunc lo um tormentorum.* Sed eadem eſt ratio de dæmonibus; ergo &c.

Secundò: quia vt hic art. 1. docet D. Tho cum Sancto Dionyſio, dona naturalia manent integra in dæmonibus: ſed opus morale ex omni circumſtantia bonum, non eſt ſupra naturalem facultatem Angeli; ergo illud poteſt dæmon efficere.

Tertiò: Voluntas finis, quem ſibi conſtitue-

fuerunt dæmones, quando peccauerunt, non inficit neceſſariò omnes ſequentes voluntates; ergo poſſunt bonam aliquam habere. Antecedens probatur: Tum, quia voluntas praua, qua peccat homo mortaliter, non inficit alias ſequentes omnes, nam poteſt bonum morale operari: ſed quantum ad hoc non videtur eſſe differentia inter hominem peccatorem in via, & ipſum, vel Angelum in termino; ergo, &c. Tum etiam, quia, vt voluntas aliqua finis præterita, inficiat ſequẽtes voluntates, opus eſt in eas ſaltem remote aliquid operari: ſed prima dæmonis praua voluntas nihil operatur in ſequentes, nam hæ ab illa non deriuantur connexione quadam continuatę; ergo &c.

Dicendum tamen eſt: dæmones non poſſe bonum aliquod morale efficere. Probatur, nam in Script ſacra diabolus abſolutè malus vocatur, Matth. 13 ver. 19. *Venit malus, &c.* id eſt, diabolus; vnde Lucæ 8. v. 12. *Venit diabolus* dicitur. Et in oratione Dominica cum petimus, *Sed libera nos à malo*, per malum, diabolus intelligitur, interprete Diuo Chriſ. hom. 20. in Matth. quem ſic vocari ait. *Propter exceſſum malitię*. Quæ tanta eſt, vt abſolutè malus ſit, nihil moralis bonitatis habens, vnde S. Gregor. lib. 18. mor. cap. 1. inquit; *Omnis voluntas diaboli iniuſta eſt*. Et D. Auguſt. lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 27. ait; propter meritum primæ voluntatis malæ ita obduratum eſſe Angelum malum: *Vt iam bonam voluntatem vlterius non haberet*. Et D. Thomas hic ad 3 de actu dæmonis ex volun-

tate

tate deliberata procedente dicit: *Talis actus dæmonis ſemper eſt malus. Quia, etſi aliquando bonum faciat, non tamen bene facit, ſicut dum veritatem dicit, vt decipiat, & dum non voluntariè credit, & confitetur, ſed rerum euidentia coactus.*

Secundò probatur ratione ſumpta ex Diuo Thoma in 2. diſtin. 7. quæſt. 1. art 2. vbi ſic ait: *Sicut impoſſibile eſt à voluntate indeclinabiliter adhærente recto fini, procedere opus peccati; ita è contrario impoſſibile eſt à voluntate adhærente inconuertibiliter peruerſo fini, aliquod rectum opus prouenire,* Sed talis eſt voluntas dæmonum, & damnatorum hominum; ergo,&c. Maior patet; quia ſicut confirmatio in bono, per quam voluntas indeclinabiliter adhæret recto fini, eſt quædam determinatio ad bonum honeſtum ſaltem quoad ſpecificationem; ita, & obſtinatio in malo, per quam voluntas inconuertibiliter adhæret peruerſo fini, eſt quædam determinatio ad malum morale ſaltem quoad ſpecificationem; ergo ſicut à voluntate confirmata in bono non poteſt procedere opus peccati, aliàs poſſet malum appetere, & ſic non eſſet ad bonum determinata quoad ſpecificationem: ita à voluntate obſtinata in malo non poteſt bonum aliquod opus procedere; aliàs poſſet bonum velle, & ſic non eſſet ad malum determinata, quoad ſpecificationem. Confirmatur cum Caietano hic: Per obſtinationem manet voluntas determinata quoad ſpecificationem ad finem vltimum, ad quem ſe cõuertit per peccatum mortale, ipſum vide-

licet peccantem, eodem prorſus modo, quo eadē voluntas eſt naturaliter determinata ad bonum, & beatitudinem in communi; ergo ſicut in omni actu voluntatis noſtrę ſaluatur virtualiter appetitus beatitudinis, nam quicquid, volumus, vt participemus beatitudinem volumus: ita in omni actu voluntatis obſtinatæ erit virtualiter appetitus illius finis vltimi, ad quem ſe conuertit per peccatum mortale; & cui immobiliter adhæret; non eſt enim ille finis particularis, ſed vniuerſalis, vtpotè vltimus, ad quem omnia diriguntur: ſed nulla actio, quę virtualiter eſt propter finem prauum, poteſt eſſe bona; ergo, &c. Vnde ſicut cōfirmati in bono, licet non poſſint peccare, poſſunt tamen bonum facere, & mereri, ſi ſint in ſtatu vię: ita obſtinati in malo licet non poſſint bonum facere, peccare tamen poſſunt, & de facto peccant in omni actu deliberato.

Ad primum vero reſpondetur: pœnitentiam illam damnatorum, & diuitis epulonis petitionem ex ſuperbia, & inuidia fuiſſe; nam contra propriam excellentiam eſſe iudicabant, vt ipſi, vel fratres torquerentur, & ægrè ferebant, quod ipſis, aut fratribus damnatis alij ſaluarentur, & de hoc erat eorum dolor. Vel certè de pœna, quam patiebantur, aut, quæ augeretur ex fratrum damnatione, qui dolor atteſtatur bonitati naturæ, vt ait D Thom. art. ſeq ad 3.

Ad ſecundum reſpondetur: dona naturalia in Angelis manſiſſe integra quantum ad ea, quæ pertinent ad ordinem naturæ, qua-

lis

lis eſt cognitio, & dilectio naturalis Dei Auctoris naturæ; quoad ea tamen, quæ pertinent ad ordinem moralem, maximè læſam eſſe, cum totus ordo moralis ex intentione finis pendeat, & finis intentio in damnatis dæmonibus deprauata ſit. Vnde licèt opus bonum moraliter non excedat facultatem voluntatis abſolutè ſumptæ; ipſius tamen iam obſtinatæ, & ſub praua affectione mali finis conſideratæ, non ſolum ſuperat facultatem, ſed etiam repugnat illi tale bonum opus velle.

Ad tertium reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem patet ex dictis differentia inter hominem peccatorem in via, & ipſum, vel Angelum in termino: nam hi, cum habeant voluntatem obſtinatam in malo, habent illam determinatam ad malum morale quantum ad ſpecificationem, & ſic non poſſunt bonum aliquod honeſtum velle, malo morali oppoſitum. At peccator in via, cum non ſit obſtinatus in malo, non habet voluntatem determinatam, ſed indifferentem ad bonum, & malum morale.

Ad ſecundum probationem nego minorem, quia cum in ſequentibus voluntatibus maneat ſaltem virtualiter prima Angeli praua voluntas, & dæmones quæcumque volunt, ordinent ad finem ſuperbiæ, quæ fuit primum eorum peccatum, non poteſt non operari aliquid prima dęmonis praua voluntas in ſequentes eius prauas voluntates.

ARTICVLVS III.

Vtrum dolor ſit in dæmonibus.

Concluſio eſt affirmans.

CErtam eſſe ſecundum fidem colligitur; nam Apoc 20 v.10. & 2. Petri 2. v.4. & Lucę 16. v. 24. conſtat dæmones, & animas damnatorum cruciari igne inferni. Cum autem dolor in dæmonibus eſſe dicitur, non ſumitur pro paſſione appetitus ſenſitiui ſed pro ſimplici actu voluntatis, qui, vt D. Thom. hic ait: *Nihil eſt aliud, quam reniſus voluntatis ad id, quod eſt, vel non eſt*, quando ſcilicet eſſe, vel non eſſe rei percipitur, vt malum proprium, & coniunctum: nam, vt idem S. Doct. ait 1. 2. quæſt. 35 art. 1 *Ad dolorem duo requiruntur ſcilicet coniunctio alicuius mali, & perceptio huiuſmodi coniunctionis.* Vnde cum dæmones multa vellent eſſe, quę non ſunt, & non eſſe, quę ſunt, & hęc, vt mala propria, & coniuncta percipiant, in eis dolorem eſſe, neceſſe eſt, non ſolum metaphoricè, vt in Deo, ſed etiam proprie.

An verò huiuſmodi dęmonum dolor pertineat ad pœnam damni, vel ſenſus, quęri hic ſolet. Quidam exiſtimant, omnem dolorem ex quocunque malo apprehenſo proueniat, eſſe pœnam ſenſus. Nam pœna damni nihil aliud eſt quam damnum, quod re ipſa patiuntur damnati, in priuatione alicuius boni, viſionis ſcilicet Dei, conſiſtens,

etiam

etiam ſi abſque vlla eius cognitione ſit, vt in pueris in Limbo exiſtentibus inuenitur. Pęna vero ſenſus dicitur malum, ea ſolum ratione diſconueniens, quatenus ſentitur, & cognoſcitur, cognitio enim omnis ſenſus vocari ſolet, ergo cum omnis dolor, & triſtitia ex cogitatione oriatur, ad pœnam ſenſus pertinebit, etiam illa, quę ex carentia diuinę viſionis prouenit.

Sed D. Thomas oppoſitum docet: nam in 4. d. 44. q. 3. art. 2 quæſt. 1. Auicennam dicentem, pœnam malorum in hoc tantum conſiſtere; *Quod triſtabuntur de hoc quod ſeparantur à fine, cuius ineſt deſiderium naturale* impugnans dicit; *Sed quia in pœna damnatorum non ſolum erit pœna damni, ſed etiam pœna ſenſus, ideo non ſufficit prædictum modum punitionis ponere.* Sentit ergo triſtitiam de ſeparatione à fine, aut carentia viſionis Dei ad pœnam damni pertinere. Quod, & ex eodem ſancto Doctore ibidem diſtin. 21. quæſt. 1. art. 1. q. 3. & quæſt. 5. de Malo art. 3. & 3. Contra gentes; cap. 145 colligitur. Ratione probatur; gaudium, & delectatio de viſione Dei pertinet ad beatitudinem eſſentialem, vt accidens perficiens illam; ergo, & dolor, & triſtitia de carentia diuinæ viſionis ad pœnam eſſentialem, qualis eſt pœna dãni pertinebit, vt eius accidentale complemẽtum. Ad pœnam vero ſenſus ſolus ille dolor pertinebit, qui prouenit ex cruciatu ignis, vel aliorum.

Diffinitiones autem pœnæ damni, & ſenſus adductæ ab Auctoribus oppoſitæ ſententiæ,

tię, ab ipſis exogitatæ ſunt: nam Theologi qui primum his nominibus vti cęperunt pœ eam ſenſus eam dixerunt, quæ eſt afflictiua ſenſuum, qualis eſt combuſtio ignis, fætor, horrenda viſio, &c. Pœnam vero damni carentiam diuinæ viſionis, ob quam damnati dicuntur. Sed quia in anima ſeparata, & in dęmonibus non ſunt corporei ſenſus, placuit ipſis pœnam ſenſus appellare, omnem aliam à carentia diuinæ viſionis cum omnibus illis, quæ ad eam pertinent tanquam pœnæ dãni complementum, diſtinctam.

Circa ſolutionem primi quæri etiam ſolet, an dæmones, & damnati de aliquo gaudere, & lætari poſſint? Ad quod breuiter dico, gaudere, & lætari de hominum peccatis, vt dicit D. Aug. loco in primo argumento articuli citato, & in Soliloquijs, vbi ait: *Quoties à bono deuiamus, diabolum lętificamus* Hoc tamen gaudium nihil eis de pœna minuit: ſicque non eſt gaudium verum, ſed phantaſticum, quatenus ſcilicet impletur, quod ipſi deſiderant, vt inquit D. Thomas in 4. diſt. 45. q. 2. artic. 2. q. 1. ad 4. Non autem dicitur hoc gaudium phantaſticum, ſeu apparens, quaſi dæmones videantur ſibi delectari, cum re vera non delectentur; ſed quia ita ſe habent; ac ſi verè delectarentur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum aër iſte ſit locus pœnalis dæmonum.

Concluſio eſt affirmans.

INdubitatum, eſt aërem eſſe locum dæmonũ: nam, vt ait D. Hierony. ad Epheſ. 6. *Hæc omnium Doctorum opinio eſt, quod aër iſte, qui cœlum, & terram medius diuidens inane appellatur, plenus ſit contrarijs fortitudinibus*. Propter quod inquit, Apoſtolum ibi appellaſſe dęmones, *Spiritualia nequitiæ in cœleſtibus*. Non quia dęmones in cœlo commorentur, ſed qnia aër cœlum in Scriptura appellari ſolet, vnde aues volucres cœli dicuntur. Docet vero D. Thomas, dæmones in hoc aëre caliginoſo eſſe ad noſtrum exercitium, licèt eorum aliqui etiam nunc in inferno ſint. Quamuis autem dęmones in aëre ſint, non tamen ſunt ſine pæna: nam aër iſte eſt locus pœnalis dæmonum.

Quęri autem poteſt, à quo pœna, quam in aëre exiſtentes dęmones patiuntur, cauſetur tanquam ab inſtrumento diuinę iuſtitię, & virtutis, an ab aëre, an vero ab igne, qui eis paratus eſt in inferno? Ad quod reſpondetur: ab vtroque aëre ſcilicet iſto, & igne inferni, pœnam eorum cauſari, vt colligitur ex ſolutione primi, & tertij. Ad primum enim reſpondet D. Tho. locum, aerem ſcilicet, non eſſe pœnalem Angelo, quaſi afficientem alterando naturam, ſed quaſi affi-

cien-

cientem voluntatem contriſtando, dum Angelus apprehendit, ſe eſſe in loco non conuenienti ſuæ voluntati: propter quod D. Aug. citatus in arg. *Sed contra* ait lib. 3. ſuper Gen. ad lit. c. 10. *Quod aër caliginoſus eſt quaſi carcer dęmonibus vſque ad tempus iudicij.* Carcer autem pœnam infert. Ad 3 vero reſpondens idem S. D. inquit: *Quod dæmones licèt non actu alligentur gehennali igni, dum ſunt in aëre iſto caliginoſo; tamen ex hoc ipſo, quod ſciunt illā alligationem ſibi deberi: eorum pœna non diminuitur.* Quam ſcilicet ab igne gehennali patiuntur. *Vnde dicitur in quadam gloſſa Iacobi 3. quod portant ſecum ignem gehennæ quocunque vadunt*: quia ſcilicet ab illo torquentur vbicumq. fuerint, etiam ſi non ſint illi vniti, & alligati.

Hoc poſſumus explicare ſupponendo cum D. Tho. 4. Cont. gent. cap. 90. & in 4. diſt. 44. q. 3 art. 3. quæſt. 3. & quæſt. 16. de verit. art. 1. dæmones ab igne, vel alio corporè, vt Dei inſtrumento nihil aliud noxium ipſis immediatè pati, quam alligationem in loco corporeo contra eorum voluntatem, & detentionem tanquam in ergaſtulo, & carcere. Ex huius tamen apprehenſione (ad quam etiam concurrit ignis, vt Dei inſtrumētum, applicando intellectum ad talem apprehenſionem, eo genere applicationis, quo voluntas applicat intellectum ad exercitium alicuius conſiderationis) reſultat in voluntate dęmonum dolor, triſtitia, & afflictio, quæ, vtpote pœna inflicta à Deo, maior eſſe poteſt & eſt quacumque afflictione, quam nos hic

experimur. Cauſatur autem hæc triſtitia ex apprehenſione non ſolum alligationis præſentis ſed etiam debitæ ad quam ſunt dæmones damnati. Sicut, & qui damnatus eſt ad pœnam carceris perpetui, quãdo ob aliquod commodum Reipublicæ datur ei ad tempus ciuitas pro carcere, & de hoc carcere præſenti triſtatur, magis verò de eo, ad quem perpetuo damnatus eſt. Ita ergo dæmones aereo temporali carcere affliguntur, ſicque aer locus pœnalis illorum eſt; magis tamen triſtantur de igne ęterno qui eis paratus eſt.

Multi cum Magiſtro Soto in 4. diſtinct. 50 quęſtione vnica, art. 2. dicunt dæmones, & animas ab igne inferni diuina virtute, vt à carcere, & vinculis affligi, non ſolum ea triſtitia, quæ ex tormento carceris, & vinculorum reſultat, ſed etiam ea, qua affligerentur, ſi haberent corpora ſibi naturaliter vnita, & hęc comburerentur. Et iuxta hanc ſententiam dici poteſt, dæmones carcere aereo cruciari ea triſtitia, quę ex tormento carceris reſultat; ab igne vero inferni, quem ſciunt ipſis eſſe paratum, eo genere triſtitię quam in eis cauſaret, ſi haberent corpora, & hęc cremarentur; Deo enim non eſt impoſſibile hanc triſtitiam ſine dolore corporeo cauſare. Sed de his in additionibus ad 3. partem Deo dante agemus.

QVAE-

QVAESTIO LXV.

De opere creationis creaturę corporalis.

ARTICVLVS I.

Vtrum creatura corporalis ſit à Deo

Concluſio eſt affirmans.

SEcundum fidem certa eſt hęc concluſio: vnde in Symbolo fidei credimus, Deum creatorem eſſe viſibilium, contra errorem Manichęorum, & aliorum hęreticorum dicentium, mundum hunc corporeum, non eſſe à bono Deo, ſed à diabolo creatum. Præcipuum eorum fundamentum erat: quia de diabolo dicitur 2. Cor. 4. ver. 4. *Deus huius ſęculi excæcauit mentes infidelium.* Sed ad hoc reſpondet D. Thom. hic: diabolum appellari Deum huius ſæculi, non quod hunc mundum corporeum creauerit, ſed quia ſeculariter viuentes ei ſeruiunt: ſicut, & venter aliquorum Deus dicitur ad Phil. 3. v. 19. Poteſt etiam ſecundo reſponderi cum Diuo Hierony. ibi, & D. Chriſ. hom. 8. & D. Auguſt. lib. 21. Contra fauſtum cap. 2. ibi non eſſe ſermonem de diabolo, ſed de vniuerſorum Deo, eſſeque ibi hypertabon, & tranſpoſitionem verborum, & ſenſum eſſe: Deus excęcauit mentes infidelium huius ſæculi.

Vel ſi nulla ſit verborum tranſpoſitio, nihil ibi contineri, quod Deo vero non conueniat: nam Deus huius ſæculi eſt; & excęcationem, vt pœna eſt, cauſat, & culpam eius permittit.

ARTICVLVS II.

Vtrum creatura corporalis ſit facta propter Dei bonitatem.

Concluſio eſt affirmans.

PEr hanc excluditur error Origenis dicẽtis, creaturam corporalem non eſſe factam ex prima Dei intentione, ſed ad pœnam creaturæ ſpiritualis peccantis. Contra quem errorem Diuus Cyrillus, lib. 1. in Ioann. cap. 9. argumenta 23. adducit, & in Concilio Bracharenſi. 1. cap. 6. diffinitur oppoſitum talis erroris.

ARTICVLVS III.

Vtrum creatura corporalis ſit producta à Deo mediantibus Angelis.

Concluſio eſt negans.

COlligit eam D. Thom. ex illo Gen. 1. v. 1 *In principio creauit Deus Cęlum, & terram*. Per cœlum enim, & terram crea-

creatura corporalis intelligitur. Deus autem ibi Hebraico nomine *Elohim*, pluralis formæ appellatur, quod cum verbo ſingulari conſtruatur, vnitatem Eſſentię diuinæ, & Trinitatem Perſonarum denotare multi volunt. Alij potius id conſuetudini linguę adſcribũt, & pluralem numerum magnitudinem diuinæ Omnipotentiæ innuere dicunt, vt Elephas Iob 40. v. 10. *Behemoth* plurali nomine nuncupatur ob magnitudinem, quod inſtar multarum beſtiarum cenſeatur. Verbum, *Creauit*, productionem ex nihilo denotat, quæ eſt propriè creatio, vt oſtendit D. Thomas ſupra q. 45. art. 1. qui & art. 5. probat ſolius Dei eſſe creare; ita, vt creaturæ, nec inſtrumentaliter poſſit conuenire, & hinc oſtendit hic creaturam corpoream, quę per creationem fuit productam à Deo, non fuiſſe, productam mediantibus Angelis. Denique illud, *In principio*, tripliciter exponit S. Doctor ſupra q. 46. art. 3. Primo, *In principio ſcilicet temporis*. Secundo. *Id eſt, in Filio*. Tertio. *Id eſt, ante omnia*, hancque poſtremam expoſitionem excludere, ait, errorem illorum, qui *dixerunt corporalia eſſe creata à Deo mediantibus creaturis ſpiritualibus*.

Circa articulum quartum nihil ſe offert dicendum.

QVÆSTIO LXVI.

De Ordine creationis ad diſtinctionem.

ARTICVLVS I.

Vtrum informitas materiæ tempore præceſſerit formationem ipſius.

Concluſio eſt negans.

INformitas dupliciter accipi poteſt, primo, vt excludit omnem formam. Secundò vt ſolum excludit iſtam formoſitatem, & decorem, qui nunc apparet in corporea creatura. Si de hac ſecunda informitate ſit ſermo, cum Sanctis Baſilio, Amb. & Chriſoſt. aſſerendum eſt (inquit D. Thom.) informitatem materiæ tempore præceſſiſſe eius formationem. Vndè cum Gen. 1. dixiſſet Moſes, *In principio creauit Deus Cœlum, & terram;* informitatem cœli expreſſit ſubdens: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Carentia enim pulchritudinis lucis, informitas cœli eſt. Terræ verò informitatem dicens: *Terra autem erat inanis, & vacua*, hoc eſt inuiſibilis, quia aquis erat cooperta, & non ornata herbis, & plantis: ſicque pulchritudine carebat ea, quam modo habet, quamque Deus ei contulit tertia die.

Si verò loquamur de prima informitate, vt

vt loquitur D.Aug.qui nomine terræ intelligit materiam primam, & per informitatem eius carentiam omnis formæ, aſſerendum eſt, quod concluſio propoſita dicit, informitatem materiæ non præceſſiſſe tempore eius formationem. Probatur: *Si enim materia informis* (inquit D. Thomas) *præceſſit duratione, hæc erat iam in actu hoc enim duratio importat. Creationis enim terminus eſſe ens in actu: ipſum autem quod eſt actu, eſt forma. Dicere eſſe igitur materiã præcedere ſine forma, eſt dicere ens actu ſine actu. Quod implicat contradictionem.* ℟ Pro huius explicatione aduerte primo: materiam primam ſecundum ſe ſumptam nullum habere actum etiam entitatiuum. Tum, quia eſt pura potentia, ſicut autem purus actus nihil potentiæ habet, ita pura potentia nihil actus. Tum etiam, quia cum ipſa non componatur ex actu, & potentia, tota ipſa deberet eſſe actus: ſed neque eſt actus informans, quid enim informat? Neque ſubſiſtens ſicut formæ ſeparatæ perfectior nãque eſſet forma ipſam informante; ergo nullum actum habet. Tum deinde, nam actum quem res ſecundum ſe ſumpta habet, etiam ſi ſolum abſtractiuè, ſcilicet ſecundum eſſentiam abſtrahendo ab exiſtentia cognoſcatur, intelligitur illum habere, vt verbi gratia, hominem habere formam ſubſtantialem, & Angelum eſſe formam ſeparatam: at ſi materia prima ſolum abſtractiuè cognoſcatur, nullus in ea apparet actus, quis enim? ergo ſecundum ſe ſumpta, nullum habet actum. Tum denique, nam actus entitatiuus poten-

tiæ obiectiuæ reſpondens non poteſt materię primæ ſecundum ſe; & eſſentialiter conuenire: quia nihil aliud eſt, quam extra nihil, vel ſuas cauſas eſſe, quod nulli creaturæ ſecundum ſe, & eſſentialiter conuenire poteſt, aliàs enim non poſſet ab ea ſeparari, & auferri, etiam per Dei potentiam abſolutam, ſicut non poteſt ab homine auferri rationalitas; ergo ſecundum ſe nullum actum habet, etiam entitatiuum materia prima. Vndè D. Tho. 1. Contra gentes, cap. 43. ratione 3. ait *In rebus inuenitur aliquid, quod eſt potentia tantum, vt materia prima, aliquid, quod eſt actus tantum, vt Deus, aliquid, quod eſt actus, & potentia, vt res creata.*

Secundò aduerte: ens in actu, quod eſt terminus creationis, non ſolum habere actualitatem exiſtentię, ſed etiam, & multo magis actualitatem eſſentiæ propriam, eam ſcilicet, quę intra latitudinem eſſentiæ continetur. Tum, quia ſicut exiſtentia præſupponit eſſentiam, ità actualitas exiſtentię actualitatem propriam eſſentię. Tum etiam, quia homo in actu non ſolum habet actualitatem exiſtentiæ, ſed etiam eam, quæ intra limites eſſentiæ continetur qualis eſt forma ſubſtantialis, & idem eſt de alijs; ergo &c.

Tertiò aduerte; actualitatem propriam eſſentiæ non ab alio, quam à forma tanquam ab actu eſſentiali prouenire; forma enim eſt, quæ dat eſſe rei eſſentiale, ac proinde actualitatem propriam eſſentiæ: nam quid aliud eſt actualitas propria eſſentię hominis, quam ipſum eſſe hominis? hoc autem dat forma

materiæ ipſàm ad eſſe hominis determinando; ipſa verò materia nihil aliud habet, quàm eſſe puram potentiam propter, quod, & habet eſſe partem eſſentiæ hominis, quæ ex actu, & potentia compòſita eſt.

Hinc ratio D. Thom. patet: nam ens in actu; quod eſt terminus creationis, non ſolum actualitatem exiſtentiæ, ſed etiam eam que eſt propria eſſentiæ habet: ſed ſine forma non poteſt materia actualitatem eſſentiæ habere, cum actus eſſentialis ſit ipſa forma quæ dat eſſe rei eſſentiale; ergo nòn poteſt materia ſine forma eſſe terminus creationis, ſicque neque à Deo produci ſine ea. Alia, quæ hic deſiderari poſſunt, petenda ſunt ex lib. 1. Phyſ. vbi ex profeſſo diſputatur, poſſitnè materia prima eſſe abſque omni forma.

ARTICVLVS II.

Vtrum vna ſit materia informis omnium corporalium.

Concluſio eſt affirmans.

PLato in Timèo circa finem, & omnes Philoſophi ante Ariſtotelem dixerunt, omnia corpora etiam cœleſtia eſſe de natura quatuor elementorum, ſicque omnia eſſe ex ſua natura corruptibilia, vnamque eſſe omnium materiam. Hanc ſententiam ſequuti ſunt multi ſancti Patres, qui eam confirmant ex Scriptura ſacra: nam de cœlis

rerum ſublunarium, ſed hoc incorruptibilitati cœlorum repugnat; ergo, &c. Minor patet; nam haberet materia cœlorum priuationem formarum rerum ſublunarium, nihil enim aliud eſt priuatio, quam carentia formæ in ſubiecto apto nato; ergo cum materia annexa priuationi alterius formæ ſit principium corruptionis, non eſſent cœli ex ſua natura incorruptibiles. Maior vero probatur: quia materia cœli non reſpiceret, vt actum adæquatũ formam cœli, ſed formam communem formæ cœli, & rerum ſublunarium, quam conſtat eſſe vnam ſolum ſecundum genus; ſed materia, & potentia, quæ formam vnam ſecundum genus tanquam actum adæquatum reſpicit, quando eſt actuata vna forma, adhuc eſt in potentia ad alias; ergo materia cœli actuata forma cœleſti, adhuc erit in potentia ad formas rerum ſublunarium. Si dicas formam cœli eſſe perfectiorem his inferioribus, & eas virtualiter continere, ſicque materiæ cœleſtis potentia n ſatiare, vt formas rerum corruptibilium non appetat. Contra hoc eſt; Tum, quia forma cœli non eſt perfectior forma hominis, immo nec formis aliorum viuentium, nec eas virtualiter continet. Tum etiam quia appetitus naturalis non aufertur, niſi potentia ſit actuata per formam altiorem formaliter eminenter continentem omnem perfectionem inferiorem, & eodem modo tribuentem omnem formalem effectum, quæ tribuit forma inferior, & alium nobiliorem; ſed forma cœli non eſt huiuſmodi;

quam;

quamuis formas non viuentium virtualiter contineat, vt cauſa illorum; ergo, &c.

Hinc colligitur neque orbium cœleſtium eſſe vnam materiam; ſed eorum materias ſpecie inter ſe diſtingui; aliàs enim materia lunæ potentiam haberet ad formam ſolis, illiuſque priuatione, ſicque luna non eſſet ex ſua natura incorruptibilis, vndè vniuſcuiuſq; cœli materia tanquam actum adæquatum reſpicit formam talis cœli.

ARTICVLVS III.

Vtrum cœlum Empyreum ſit concreatum materiæ informi.

Concluſio eſt affirmans.

SEntentia Strabi, Bedæ, & Baſilij aſſerentium conſtituendum eſſe cœlum Empyreum, quam hic approbat D. Thom. adeò ſemper recepta fuit, vt eam ſupponentes Patres in Cõcilio apud Peñam Fidelem congregati dixerint: *Virgo Maria, &c. Ildefonſum, &c. deſcendens de cęlo Empyreo corporaliter viſitauit.* Hoc cœlum, vt hic ait D. Thom. *Dicitur Empyreum, id eſt igneum, non ab ardore, ſed ab ſplendore.* Quia tamen, vt idem S. Doctor dicit in ſolutione quarti. *Habet lucem cęlum Empyreum non condenſatam vt radios emittat, ſicut corpus ſolis.* non ſequitur aërem continuò illuminari, & nunquam eſſe noctem.

Crea-

Creatum à Deo eſt, vt ſit locus, vbi Sancti vident Dei Eſſentiam, æternaque beatitudine perfruuntur: propter, quod Matth. 25. v. 34. in die iudicij: *Dicet Rex, his, qui à dexteris erunt. Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* Quia ſcilicet à principio mundi factum eſt cœlum Empyreum, quod eſt locus beatorum, vt ibi exponit Lyra.

Immobile eſſe cœlum Empyreum docet D. Thom. hic ad 1. & in ſolutione 2. ait: ſatis probabile eſſe cœlum Empyreum non habere influentiam in hęc inferiora corpora; probabilius tamen eſſe, influentiam habere ſuper corpora, quę mouentur, licèt ipſum non moueatur, & in primum mobile influere virtutem continendi, & cauſandi. Vide eundem S. Doctorem quodlibet 6. art. 16. vbi de cęlo Empyreo loquens ait: *Videtur autem proprius effectus eius eſſe perpetuitas, & permanſio in inferioribus corporibus.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum tempus ſit concreatum materiæ informi.

Concluſio eſt affirmans.

QVatuor (inquit D. Thomas) communiter dicitur, eſſe primo creata: *ſcilicet naturam angelicam, cœlum Empyreum, materiam corporalem informem, & tem-*

tempus. Quodnam ſit huiuſmodi tempus; explicat S. Doctor in 2. diſt. 12. q. 1. a. 5. ad 3. dicens, *Motus cœli incepit ſecunda die: ſed non omnia ſimul creata ſunt. Vnde non poteſt intelligi de tempore, quod eſt numerus motus primi mobilis: ſed oportet, quod, vel per tempus ſignificetur æuum, vt quidam dicunt: vel tempus large ſumatur pro numero cuiuſcunque ſucceſſionis, vt ſic tempus primo creatum dicatur, quod menſurat ipſam creationem rerum, qua poſt non eſſe, in eſſe res prodierunt*. Vbi aduerte, quod ait, motum cœli incępiſſe ſecunda die, dixiſſe non ex propria ſententia, ſed ex ſententia eorum, qui dixerunt primum mobile, ſcilicet firmamentum, factum fuiſſe ſecunda die, quo ad ſubſtantiam: vnde hic ad 3. non dixit illud abſolutè, ſed ſub conditione. *Si motus firmamenti non ſtatim à principio incępit*. Iuxta quam ſententiam dicendum eſt, tempus concreatum materiæ informi eſſe numerum cuiuſcunque motus cōtinui, vel diſcreti, qualis à principio fuit, *Ad minus ſecundum ſucceſſionem conceptionum in mente angelica*, vt ait D. Thom. Iuxta ſententiam vero, quam ipſe D. Thom. magis approbat infra q. 68. art. 1. aſſerentem ſubſtantiam firmamenti productam fuiſſe prima die, qua Deus creauit cœlum, & terram, aſſerendum eſt, etiam hoc tempus continuum, quod eſt numerus motus primi cœli mobilis, fuiſſe concreatum materiæ informi. Ad quod ſatis eſt, primum eſſe rerum permanentium productarum fuiſſe vltimum non eſſe motus primi mobilis, ac temporis; hoc

hoc enim modo entia ſucceſſiua incipiunt. Neque eſt inconueniens, Angelos ipſo ſuæ creationis inſtanti, & antequam gloriam conſequerentur, fuiſſe deputatos ad mouendos cœlos; nam licèt ex motoribus cœlorum aliqui peccaſſent, poterat Deus loco illorum alios ſubſtituere. Potuit etiam Deus, eos ad cœlos mouendos eligere, quos nouerat non caſuros.

QVÆSTIO LXVII.

De opere diſtinctionis ſecundum ſe.

ARTICVLVS I.

Vtrum Lux propriè in ſpiritualibus dicatur.

Concluſio eſt: Si accipiatur nomen luminis ſecundum ſuam primam impoſitionem, metaphoricè in ſpiritualibus dicitur, vt Amb. dicit. Si autem accipiatur ſecundum quod eſt in vſu loquentium ad omnem manifeſtationem extenſum, ſic propriè in ſpiritualibus dicitur.

Circa articulum 2. & 3. nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum conuenienter lucis productio in prima die ponatur.

Concluſio eſt affirmans.

CVm lux, vt ex articulo primo conſtat, etiam in ſpiritualibus propriè dicatur, quęri poteſt, an lux, quæ Geneſis 1. verſ 3. prima die facta commemoratur, fuerit corporalis, aut ſpiritualis? De quo (ait Diuus Thomas) *Eſt duplex opinio*. D. Auguſtinus libro 11. de Ciuitate Dei, cap. 9. & 13. videtur docère creationem naturæ angelicę non fuiſſe à Moyſe prætermiſſam, ſed creatione cæli ſignificatam. *Et ideo dicit, quod cum dicitur: In principio creauit Deus cœlum, & terram, per cœlum intelligitur ſpiritualis natura adhuc informis: per terram autem intelligitur materia informis corporalis creatura.* Aſſerit præterea conſequenter, lucem primo die productam fuiſſe ſpiritualem, ſcilicet gratiam, cum qua natura angelica creata eſt, ac per eam perfecta, & formata. Per quam lucem facta eſt diuiſio à tenebris ſpiritualibus peccatorum non, quæ tunc eſſent, quia diabolus non fuit creatus malus, ſed, quas Deus futuras præuidit, vt dicitur in ſolutione quarti.

Alijs videtur prętermiſſam eſſe à Moyſe productionem naturę angelicę; cujus rationem

nem aſſignat D. Baſil. hom. 1. Hexæmeron, quia de rebus ſenſibilibus, quę in tempore ſunt, & ante temporis principium non fuerunt, diſſerit Moyſ. hoc, quæ fuit ſuæ narrationis inſtitutum D. Chriſoſt. hom. 2. in Gen. Id Moyſen feciſſe aſſerit, ne inde Hebręus populus occaſionem ſumeret idololatrię, & Angelos, vt Deos adorarent: nam qui ſolem lunam, & ſtellas tanquam Deos coluerunt, multo magis Angelos Deos eſſe reputaſſent. Iuxta hanc ſententiam lux primo die facta corporalis fuit corporiſque alicuius qualitas. Si quęras cuius? Explicat hoc D. Th. hic ad 2. dicens: *Quidam dicunt lucem illam fuiſſe quandam nubem lucidam: quę poſtmodum facto ſole in materiam præiacentem rediјt.* Hoc impugnat S. D. *Quia Scriptura in principio Geneſ. commemorat inſtitutionem naturæ, quæ poſtmodum perſeuerat.* Confirmat id Hebraicum verbum *Iebi* id eſt *Erit*, quo vſus eſt Moſes, licèt vulgatus interpres tranſtulerit, *Fiat lux*: nã conſtantiam, & perennitatem in ſcriptura deſignat. Eccleſ. 3. v. 14. *Omnia opera, quę fecit Deus perſeuerant in perpetuum* Hebr. *Omne, quod fecit Deus, ipſum, Iebi, erit in ſæculum*: Idcirco videtur Moſes vſus futuris eſſendi in deſcriptione creationis, vt conſtantiam, & ſtabilitatem eorum, quæ Deus condiderat, indicaret: futurum enim tria tempora includit, & perpetuitatem innuit. Hoc, & alijs reiectis D. Th. cum S Dionyſ. dicit: *Quod illa lux fuit lux ſolis, ſed adhuc informis quantum ad hoc, quod iam erat ſubſtantia ſolis, & habebat virtutem illuminatiuam in communi, ſed poſt-*

modum

modum data eſt ei ſpecialis, & determinata virtus ad particulares effectus. Scilicet quarta die, de quo vide D.Th qu.70 ar.1 ad 2.

In productione huius lucis, effectu ſcilicet illuminationis inquit D Th. *Diſtincta eſt lux à tenebris*, iuxta quod dicitur Geneſis primo v. 4. *Et diuiſit lucem à tenebris*. Moſ. vſus eſt verbo *Badal* in Hiphil, ad ſignificandã magnam diſt. inter lucem, ac tenebras *iabdal* diuiſit, ſeparauit, ſeiunxit, diſcreuit, ſegregauit, diſtinxit magno diſcrimine, & interuallo naturæ, loci, & temporis. Quod explicat D. Thom. hic ad 2. dicens: *Diſtincta eſt lux à tenebris, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad cauſam ſecundum, quod in ſubſtantia ſolis erat cauſa luminis; in opacitate terræ cauſa tenebrarum. Secundò quantum ad locum: quia in vno emiſpherio erat lumen, in alio tenebra. Tertio quantum ad tempus: quia in eodem emiſpherio ſecundum vnam partem temporis erat lumen, ſecundum aliam tenebræ. Et hoc eſt, quod dicitur, lucem vocauit diem, & tenebras noctem* Hic dies, & nox pro artificialibus ſumuntur, vt dies duodecim, totidemque nox horas contineat. Diem autem, ac noctem faciebat motus communis toti cælo, vt hic ad 3. docet Diuus Thomas, motus ſcilicet primi mobilis, cuius numerus eſt tempus, quod concreatum materiæ informi fuiſſe diximus quæſt. 66. art. 4. De die autem naturali viginti quatuor horarum, diem noctemque complectente ſubdit ſacer textus: *Factumque eſt veſpere, & mane dies vnus*.

QVAE-

QVÆSTIO LXVIII.

De opere ſecundæ diei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum firmamentum ſit factum ſecunda die.

Concluſio eſt affirmans.

FIrmamentum ſecunda die factum fuiſſe conſtat ex ipſo textu Gen. 1. v. 7. Quid autem firmamenti nomine Moſes intellexerit, difficultas eſt, quam hic explicat D. Thomas dicens, hoc dupliciter intelligi poſſe: *Vno modo de firmamento in quo ſunt ſydera.* Cui expoſitioni fauet Hebraicum nomen *Rakigh*, quod extenſionem, & expanſionē compactam, & ſtabilem, ac firmam indicat, id eſt rem expanſam, & diductam, quę firma, compacta, & ſtabilis ſit: vnde recte Latini Græcos ſequuti. *Firmamentum* dixerunt. Quod cœlis conuenire conſtat, cum de eis dicatur Iob. 37. v. 18. *Qui ſolidiſſimi quaſi ex ære fuſi ſunt.* Et Iſaiæ 42. v. 5. Deus dicatur, *Creans cœlos, & extendens eos.* Item prædicto nomine nonnulli intelligi volunt, aulęum, periſtroma, ſeu pannum variegatū, & varie contextum; cui ſimile eſſe cœlum, indicat illud Pſ. 105. v. 3. *extendens cœlum ſicut pellem, cortinam: aulæum*, & Iſaiæ 40. v. 22. *Qui extendit velut telam, pellem, conopeum,*

peum, aulæum, cortinā cœlos. Sic multi legunt: Quomodo huiuſmodi cœlum dicatur factum ſecunda die, diuerſimode exponit D. Thomas. Secundum opinionem Empedoclis aſſerentis firmamentum illud eſſe ex elementis compoſitum, ait: *Abſolute poſſet concedi, quod firmamentum factum fuerit ſecunda die, etiam ſecundum ſuam ſubſtantiam*; Secundum opinionem vero Platonis, *Qui poſuit corpus cœleſte eſſe elementum ignis*. Aut Ariſtotelis dicentis cœlum non eſſe de natura quatuor elementorum, ſed quintum corpus eſſe pręter quatuor elementa ex ſua natura incorruptibile, dici non poteſt, firmamentum ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe factū ſecunda die; nam productio elementorum pertinet ad opus creationis, ſicque fuit ante ſecundum diem; & cœlum, cum ſit incorruptibile, habet materiam, quę non poteſt ſubeſſe alteri formæ, ac per conſequens non potuit fieri ex materia prius tempore exiſtēte: hęc enim alteri formę ſubeſſet, nam abſque omni forma nequit exiſtere, ſicque nec fieri ſecunda die. Vnde aſſerendum eſt, productionem ſubſtantię firmamenti, hoc eſt cœli in quo ſunt ſydera, ad opus creationis pertinere; ad ſecundum vero diem ſolum ſpectare aliquam eius formationem; ratione cuius ſecunda die factum dicitur: nam in Scriptura ſæpe fieri dicitur aliquid, quando, licèt non de nouo producatur, aliquid ei de nouo communicatur, aut aliter diſponitur, vt Iſaię 64. v. 17. *Ecce ego creo cœlos nouos, &c.* Vide, quę dicemus infra quęſt. 70. art. 1.

Po-

Poteſt autem, & alio modo (ſubdit D. Thom.) *intelligi, vt per firmamentum, quod legitur ſecunda die factum, non intelligatur firmamentum illud, in quo fixe ſunt ſtelle, ſed illa pars aeris, in qua condenſantur nubes. Et dicitur firmamentum propter ſpiſſitudinem aeris in parte illa.* Sed cum aer ſimul cum alijs elementis ante ſecundum diem productus ſit, aſſerendum eſt, in ſecunda die factum fuiſſe firmamentum: quia illa firmitas, ac ſoliditas data eſt, vt ſupra ſe poſſet continere nubes grauidas pluuiſj, niuibus, & grandinibus.

ARTICVLVS II.

An aquæ ſint ſupra firmamentum.

Concluſio eſt affirmans.

PAtet ex Gen. I. v. 7. *Diuiſitque aquas quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſupra firmamentum.* Quales aquæ ibi ſint explicans D. Thom. dicit: ſi firmamentum eſſet de natura quatuor elementorum, credi poſſet, aquas illas eſſe eiuſdem naturæ cum aquis elementaribus. Si verò dicamus cœlum Syderum eſſe incorruptibile, & diuerſæ naturæ ab elementis, aſſerendum eſt, ſupra cœlum Syderum eſſe aliud cœlum aqueum, ſiue Chriſtallinum, propter ſolam diaphaneitatem ſic appellatum, ſicut aliud cœlum Empyreum, id eſt, ignium, dicitur propter ſolum ſplendorem, & hoc cœlum aqueum ſiue Chriſtallinum nomine aquarũ

in-

intelligi. Si autem per firmamentum intelligatur pars aëris, in qua nubes condenſantur; ſic aquæ quæ ſupra firmamentum ſunt, ſunt aquæ, quæ vaporabiliter reſolutæ ſupra aliquam partem aëris eleuantur, ex quibus pluuię generantur.

Huic tertiæ expoſitioni quidam ita adhærent, vt ſecundam impugnent. Primo, quia firmamentum, hoc eſt octaua ſphera ſecunda die ſolum diuiſiſſet aquas hoc eſt cęlum Chriſtallinum, ab aquis elementaribus ſecundum aliquam qualitatem; nam quoad locum ſubſtantiam,& alia per ſe diuiſæ erant tales aquæ ex vi creationis earum factæ prima die: at non poteſt dari aliqua qualitas huiuſmodi; ergo, &c.

Secundo, quia nullus vnquam Philoſophorum primum mobile, aut cœlum, quod eſt ſupra octauam ſpheram, appellauit aquam.

Tertio: Quia reliqui orbes cœleſtes non minus merentur nomen aquarum, cum etiam ſint diaphani.

Quartò: Quia prima die abſoluta eſt diſtinctio cœlorum, ergo materia, & opus ſecundæ diei debet eſſe diſtinctio aeris, & non diſtinctio cœli.

Sed quamuis tertia expoſitio valdè probabilis ſit, ſecundā tamen impugnare non decet verum D. Thomæ diſcipulum, cum S. Doctor non ſolum tradat eam hic, ſed etiam in 2. diſtin. 14. quęſt. 1. art. 1. probabiliorem tertia eſſe dicat his verbis: *Sed tamen melius poſſumus dicere, quod intelligatur de firmamento, quod eſt cœlum Sydereum ſupra, quod ſunt*

aquæ

aqua, non quidem de natura huius aquę, quę apud nos eſt, ſed de natura quintæ eſſentię, habentis ſimilitudinem cum hac aqua, ratione cuius nomen aquæ ſcriptura eis attribuit, occulta ſenſibilia nota manifeſtari.

Ad 1. reſpondetur, firmamentum per id diuidere aquas ſuperiores ab inferioribus, per quod factum eſt firmamentum; id enim ſignificat, quod dicitur Geneſ. 1. verſu ſexto. *Fiat firmamentum in medio aquarum; & diuidat aquas ab aquis.* Firmamentum autem hoc eſt cœlum ſydereum, non eſt factum ſecunda die ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed ſecundum aliquam formationem, vt docet D. Thomas hic art. 1. ac per conſequens ſecundum hanc diuiſit aquas ab aquis. Quæ nam autem fuerit hæc formatio, non explicat Diuus Thomas. Quidam communicationem alicuius qualitatis nobis ignotæ eſſe exiſtimant. Mihi tamen videtur, nihil aliud eſſe, quam cœlum Sydereum, ſeu octauam ſphęram apparere, ſeu videri poſſe. Hoc enim cœlum firmamentum factum eſt, quia extenſum, & expanſum eſt; nam hoc Hebraicum nomen *Rakiagh* ſignificat, vt diximus art. 1. Quomodo autem cœlum extendi, & expandi dicatur, colligitur ex eius complicatione, & inuolutione, de qua Iſai. ait, cap. 34. v. 4. *Complicabuntur ſicut liber cęli.* Et Io. Apoc. 6. v. 14. *Cælum receſſit ſicut liber inuolutus.* Vnde ſicut cœlum complicari, & inuolui dicetur in die iudicij, quia obſcurabitur, & non apparebunt in eo ſydera: ita cœlum Sydereum dicitur expan-

R ſum,

ſum, & extenſum ſecunda die, quia tunc eius ſydera apparere cęperunt, Deo ipſis cõferente virtutem, qua lumen, quod à ſole recipiunt, ad nos redderent. Et per hoc aquas ſuperiores ab inferioribus diuiſit, vltimum enim, quod apparet, ea quæ vltra, & citra ipſum ſunt dicitur diuidere. Alias expoſitiones, vide apud Caiet.Geneſ.1.Burgenſem in additione ad idem caput, & alios Expoſitores.

Ad ſecundum reſpondetur: Aegyptios alioſque antiquos Philoſophos exiſtimaſſe cœlum aquam ſiue humorem concretum eſſe. Ex his verò, qui cœlum incorruptibile, & quintam eſſentiam eſſe cum Ariſtotele dixerunt, ſatis fuiſſet viro præſertim Thomiſtæ D.Thomam ſic cęlum Chriſtallinum appellaſſe. Cuius nuncupationis inuenio fundamentũ in nomine ipſo, quo cœli Hebraicè appellantur, nempè *Samaim*. Quidã illud deducunt à *Sam*, quod locum remotũ ſignificat, & remotionem corruptibilitatis etiam indicat. Alij ab *Es* ideſt ignis, & *Maim*, ideſt aquæ: non quod ex aqua, & igne conflati ſint cæli, ſed quia in eis ſunt ſydera, quæ veluti quidam ignes apparent, & color cęruleus, quem in eis videmus, ſimilis eſt viſioni maris, & aquarum. Vnde cum in cœlo, quod eſt ſupra octauam ſpheram, nulla ſint aſtra, inquit D. Thom. in 2. d.14 q.1.art.1. *Ideo ſicut cœlum Empyreũ dicitur, quod eſt ſimile igni in hoc, quod eſt lucidum totum; ita etiam cœlum Chriſtallinum, vel aqueum dicitur, in quantum conuenit cum aqua*

in

in hoc, quod eſt diaphanum, ſine eo, quod ſit aliqua pars eius lucens, ſicut eſt in cœlo Sydereo, cuius quidem partes lucent, ſcilicet ſtella, & aliqua pars eſt diaphana.

Ad tertium patet ex dictis cur alij orbes cœleſtes non appellentur aquæ ſicut cęlum Chriſtallinum, qui ſcilicet non ſunt toti diaphani, ſed ſydera habent.

Ad quartum reſpondetur prima die abſolutam fuiſſe diſtinctionem cęlorum inter ſe per diuiſionem lucis à tenebris: non tamen in ordine ad hæc inferiora.

ARTICVLVS III.

Vtrum firmamentum diuidat aquas ab aquis.

Concluſio eſt affirmans.

SI nomine firmamenti intelligamus Cęlum in, quo ſunt ſydera, explicuimus art. præced. quomodo diuidat aquas ab aquis. Si vero intelligamus ſpatium aëris nebuloſum, ait D. Thomas hic, *Aer nebuloſus diſtinguit ſuperioris aeris partem, in qua generantur pluuiæ, & huiuſmodi impreſſionis ab inferiori parte aeris, quæ aquæ connectitur, & ſub nomine aquarum intelligitur.* Et ad 1. dicit: ſuperiorem partem eſſe locum generationis aquarum, inferiorem vero partem eſſe locum quietis earundem aquarum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ſit vnum cœlum tantum.

Concluſio eſt negans.

QVamuis ex D. Thom. hic ſolum eſſe decem orbes, ſeu ſphęras cæleſtes videatur colligi: nam de cœlo propriè, & naturaliter ſumpto loquens ait: *Secundum hoc ponuntur tres cæli. Primum totaliter lucidum, quod vocatur Empyreum. Secundum totaliter diaphanum, quod vocatur cœlum aqueum, & Chriſtallinum. Tertium partim diaphanum, & partim lucidum actu, quod vocatur cœlum Sydereum, & diuiditur in octo ſphęras.* Vndecim tamen eſſe communis tenet opinio, & colligitur etiam ex D.Thom. nam in 2. diſt. 14. quæſt. 1. artic. 1. cœlum aqueum diuidit in duas ſphęras, nonam ſcilicet, & decimam; ex quo apertè colligitur cœlum Empyreum vndecimum eſſe orbem cœleſtem.

QVAE-

QVÆSTIO LXIX.

De opere Tertiæ diei.

ARTICVLVS I.

Vtrum aquarum congregatio conuenienter dicatur facta tertia die.

Concluſio eſt affirmans.

PRæcipua huius difficultas eſt, quomodo fuerint aquæ in locum vnum congregatæ, D. Thom. hic ad 2. tribus modis id fieri poſſe dicit. *Vno modo, vt aquæ in maiorem altitudinem ſint eleuatę in loco vbi ſunt congregatę; nam mare eſt altius terra, vt experimento compertum eſt in mari rubro, vt Baſilius dicit. Secundò, vt dicatur, quod rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione denſata eſt. Tertiò modo, vt dicatur, quod terra potuit aliquas partes præbere concauas, quibus confluentes aquę reciperentur.* Hunc tertium modum videtur innuere Hebraicum verbũ K*auah*, a quo latinum *Cauo* factum, vt quidam dicunt: vnde, quod nos legimus Gen. 1. ver. 9. *Congregentur aquæ*: ita ipſi ex Hebræo reddunt *Excauabuntur aquæ*: idque dici aſſerunt, quod in caua, ſeu vacuitates terræ tunc aquæ ſint infuſę. Notantque aquas inferiores tunc, & condenſatas à Deo, & in-

magnas terrę cauitates, & cuniculos immiſſas, nudaſſe terram: inde maria reſultaſſe: & terram in montes, & colles aſſurrexiſſe, & ſubſediſſe, quę prius tota vndique cooperta aquis erat.

Sed prima explicatio D.Tho. videtur probabilior, ait enim: *Inter, quas prima videtur probabilior*. Illamque graues quidam eius interpretes ſignificari dicũt Eccleſiaſtici 39. vėr. 22. vbi dicitur: *In verbo eius ſtetit aqua ſicut congeries, vel quaſi cumulus*. De hac enim congregatione aquarum à principio facta ibi eſſe ſermonem, aſſerit ſibi Gloſ.& Pſal.32.v.7. cum dicitur: *Congregans ſicut in vtre aquas maris*. Aqua enim in vtre tumorem, & eleuationem habet; non tamen defluit; ita maris aquæ eleuatiores terra ſunt, & ſupra montes ſtant tanquam illis ſuperiores, non tamen defluunt, ſed Dei præcepto detinentur, vt colligitur ex Pſ. 103. v.9. & Ieremię 5. v. 22. & Iob 38. ver. 10. verbum etiam *Kauah*, huic expoſitioni fauet: nam ſignificat congregare, colligere, quod tunc fit in cumulum, aut aliud ſimile aliquid aſſurgit.

Hinc optime intelligitur, quod dicitur Eccleſiaſtes 1. v.7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vndè exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*. Nam cum mare ſit eleuatius terra diſcoperta, ex ipſo, aquæ per terrę meatus, ac venas deriuari poſſunt, vt fiant flumina. Neque his obſtat motus fluuiorum à terra in mare. Nam partes maris quæ terram diſcoopertam contingunt, inferiores illa ſunt; quo magis verò ab

ab illa diſtant, magis exurgunt, quouſque ad altitudinem maris veniatur. Non tamen conuertentur operire terram, quia mari Deus præceptum poſuit, quod non præteribit; ſed ea propenſione qua eius aquæ in vnum locũ collectæ, & congregatæ ſunt (vt verbum *Kauah* ſignificat; eſt enim quibuſdam magno deſiderio, & propenſione in aliquid intendere) ibi manebunt ſaltem ob vniuerſi bonum; ob quod; ne ſcilicet detur vacuum, aquam ſurſum aſcendere videmus. Quid, quod aqua naturaliter ſiccitatem fugiens, loca arida ne infundat, ſe ipſam continet. Et cum guttas aquæ, rotundæ figuræ eſſe videamus, quam ſæpe diu conſeruant in herbis exiſtentes; hãc figuram naturalem aquæ colligimus, quam vt conſeruet aqua maris non deſcendet, neque conuertetur operire terram.

Mira hęc ſunt, ſed mirabilia etiam in fontibus experimur, Præter miracula commemorata à Plinio lib. 2. cap. 103. hęc accipito. Alcodij (patria quę me genuit eſt, vnumque ex præcipuis Regni Valentini oppidis) tres mirabiles fontes ſunt. Primus de Benizaidò dicitur, qui nec pluuijs creſcit, nec ſiccitatis tempore minuitur, ſed quamuis vel cœlo clauſo omnia arida ſint, vel catharactis cœli apertis inundent omnia, ipſe idem ſemper, ac perennis perſeuerat. Secundus, qui de Molinar appellatur, muro concluſus eſt; ſi tamen in aquęductus oſtio quicquam ponas, quod egreſſum impediat aquarum, nõ tumẽt hæ, nec fons ſcaturit, quo autem diuertat, Deus ſcit. Tertius de Barchell nominatur,

& mirabilior eſt: nam quatuordecim annis plus minus manat copioſiſſimè, ita vt fluuiũ paruum efficiat, peractis annis quatuordecim ſiccatur, ita vt nec guttam aquæ emittat, aliorum quatuordecim annorum ſpatio; quo tranſacto, iterum magno impetu fluit. Qui huic fonti has viciſitudines cõtulit, mari dedit, vt ſe ſe contineat, & non conuertatur operire terram, quamuis illa altior ſit.

ARTICVLVS II.

Vtrum plantarum productio conuenienter tertia die facta legatur.

Concluſio eſt affirmans.

Contra illam obijci poteſt illud Gen. 2. v. 4. *Iſtæ ſunt generationes cœli, & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Deus cœlũ, & terram, & in virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret.* Quo videtur ſignificari non tertia, productas fuiſſe herbas, & plantas, ſed prima die, in qua Deus fecit cœlum, & terram.

Hoc teſtimonio conuictus S. Auguſt. dixit omnes dies, quo Moſes commemorat, vnum fuiſſe diem ſeptempliciter rebus præſentatũ, & quem dicit tertium diem, nihil aliud eſſe, quam cognitionem, quà Angeli cognouerunt tertium diuinum opus, quod fuit productio plantarum, non quidem actu in ſuis ſpecie-

bus

bus, ſed antequam orirentur in terra, id eſt potentialiter. Vndè quod dicitur Gen. 1. ver 12. tertio die protuliſſe terram herbam virentem, lignumque faciens fructum, intelligendum eſſe inquit cauſaliter, id eſt producendi accepiſſe virtutem.

Sed quamuis Auctoritas D. Aug. huic ſententiæ probabilitatem conferat; communiter tamen alij Sancti, & expoſitores dicunt, plantas fuiſse acto in ſuis ſpeciebus productas tertia die, & ſeptem dies à Moſe commemoratos, non vnum ſed diſtinctos fuiſſe dies.

Ad teſtimonium autem adductum dupliciter reſponderi poteſt. Primo ibi non eſſe ſermonem de productione omnis virgulti, & herbæ facta tertia, ſed prima die, tertia enim die productæ ſunt plantæ actu in ſuis ſpeciebus; prima vero die ſolum potentialiter, quod ſignificat illud, *antequam oriretur terra*, vt dicit D. Thom. infra quæſt. 74. ar. 2. ad 1. Quæ eſt etiam ſolutio D. Greg. lib. 32. moral. cap. 10. vbi ſic ait: *Primo die creata terra dicitur: & tertio arbuſta condita, & cuncta terræ virentia deſcribuntur, ſed hoc, quod die tertio ſe in ſpecie protulit, nimirum primo die in ipſa, de qua ortum eſt terræ ſubſtantia fuit.* Reſpondetur 2. ibi ſermonem eſſe de productione plantarum actu in ſuis ſpeciebus, quæ facta eſt tertia die, vt hic docet D. Thom. vbi illud, *Antequam oriretur in terra.* Et, *Priuſquam germinaret*, intelligendum eſſe docet, *Id eſt, antequam ex ſimilibus ſimilia producerentur; ſicut, & nunc naturaliter fieri videmus*

mus ſecundum viam ſeminationis. Quomodo autem plantæ dicantur factæ in die, quo fecit Deus cœlum, & terram, qui primus eſſe videtur, cum tertia die productæ ſint, non explicat D. Thom. hic. Super illum vero locum Gen. 2. ait: *Per diem intelligit totum tempus ſex dierum, vel productionis rerum. Scriptura enim habet iſtum modum, quod quandoque diem accipit pro tempore*. Patet hoc Ioan. 8. ver. 16. *Abraham exultauit, vt videret diem meum*, id eſt, tempus mei aduentus.

Circa ſolutionem ſecundi aduerte, quibuſdam viſum fuiſſe terram tertia die non protuliſſe ſpinas, ſed ob peccatum Adæ poſtea fuiſſe exortas dicente Deo Geneſ. 3. v. 18. *Spinas, & tribulos geminabit tibi*. Quam ſententiam docere videtur D. Baſil. hom. 5. Hexameron dicens: *Verum roſa tunc ſpinis carebat; poſtea vero pulchritudini floris adiunctæ ſunt ſpinæ, quo voluptatis oblectamento reos inde capiendæ propinquo afficiamur dolore recordatione delicti; cauſa cuius factum eſt, vt ſpinas, & tribulos tellus nobis offerret*. Sed D. Thom. hic ad 2. oppoſitum docet, ait namque: *Dicendum; quod ante etiam illam maledictionem ſpinæ, & tribuli producti erant, vel virtute, vel actu, ſed non erant producti homini in pœnam, vt ſcilicet terra, quam propter cibum coleret infructuoſa quædam, & noxia germinaret. Vnde dictum eſt, germinabit tibi*. Hanc etiam ſententiã tenuit D. Aug. quem ſequitur Gloſſa in illud Geneſ. 1. v. 11. *Germinet terra, &c.* Explicari etiam poteſt D. Baſilius; tunc ſpinas non fuiſſe productas in pœnam hominum;

num ; bene tamen in eſcam multorum, quæ eis veſcuntur animalium : ſicut, & ibidem dixerat: *Et exorta ſunt tunc in iis quæ alunt, & ipſę etiam exitiales herbę venenoſęque, &c. Aut enim nonnullis animalibus expertibus rationis ſunt pabulum, &c. Nam cicuta quidem ſturni veſcuntur, &c.*

Aduertendum denique eſt: plantas tertia die fuiſſe productas cum ſeminibus ſuis, & fructibus iam maturis, & perfectis : id enim indicant verba illa Gen. 2. v. 11. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundum ſuam ſpeciem ſuam.* Vnde in Paradiſo arbores cum fructibus iam maturis fuiſſe conſtat nam mulier ſerpenti reſpondit : *De fructu lignorum, quę ſunt in Paradiſo veſcimur.* Gen. 3. verſ 2.

Hinc multi occaſionem ſumpſerunt autumandi mundum in autumno conditum fuiſſe; hoc enim tempore arbores fructus maturos, & perfectos habent. Sed communior, & probabilior ſententia eſt : mundum fuiſſe creatum : *Die Dominico verno tempore in æquinoctio, quod eſt octauo* Kalendarum *Aprilium, luna plenam*; vt dicitur in Concilio Paleſtino ſub Victore, quod extat apud Beda libro de Aequinoctio vernali, quod licèt non fuerit generale, ſed prouinciale, eiuſque proindè, diffinitiones non ſint de fide, magnæ tamen auctoritatis eſt. Hanc ſententiam etiam docent inter alios innumeros Diuus Auguſtinus in ſecunda parte quæſtionum ex Nouo teſta-

mento, quæſtio 55 & in quæſtio. Noui, & Væteris teſtamenti, quęſtio. 106. & D. Thomas in Geneſ. 1. verſ. 11. (Si verus eius ſunt illa commentaria, nam illorum auctorem multi Thomam Angelicum eſſe dicunt) vbi, & ait: *Ex quo illi fructus non fuerunt educti per generationem, non oportuit, quod expectarent maturitatem. Fuit enim illa per vim diuinam, quæ ſubito poteſt totum facere, & probabilius fuit, & rationabilius, quod fieret in vernali tempore, in quo naturaliter germinant omnia communiter, quam in autumno, in quo ſupernaturaliter fieri oporteret germinationem, & maturationem.* Ex quo ad fundamentum oppoſitę ſententiæ facilè reſpondetur. Eodem menſe, & die, quo mundus conditus eſt, nempè octauo Kalendas Aprilis, ſeu vigeſimo quinto die Martij, Chriſtum fuiſſe conceptum, & paſſum, docent Diuus Auguſtinus vbi ſupra, & Diuus Athanaſius, quæſtione decimaſeptima ad Antiochum, & alij. Die etiam Dominico, in quo mundum fuiſſe conditum, diximus, & probat Concilium Paleſtinum citatum, *Cum nouiſſimum diem ſignet Sabbathum, quis poteſt eſſe primus niſi Dominicus dies?* Chriſtum natum eſſe, ac ſurrexiſſe à mortuis conſtat.

QVAE-

QVÆSTIO LXX.

De opere ornatus quantum ad quartam diem.

ARTICVLVS PRIMVS;

Vtrum luminaria debuerint pro-duci quarta die.

Concluſio eſt affirmans.

QVarta die dixit Deus Gen. 1. verſ. 14. *Fiant luminaria in firmamento cœli.* Heb. *Erit luminaria*. Verbo ſingulari adiunxit plurale ſuppoſitum, vt forſan indicaret omnia cœli luminaria ab vno maximo luminari Sole tanquam à fonte haurire vim luminis. Vel diſtributiuè, *Sit luminaria*, id eſt vnumquodque ex luminaribus. Sic enim loqui ſolent Hæbrei, vt Geneſis 49. verſ 22. *Filiæ incedebant ſuper muros*: id eſt vnaquæque vna poſt aliam; & Ioſuè 2. verſ. 4 *Accepit mulier duos viros, & abſcondit eum*, id eſt vtrũque. Illud vero, *in firmamento cœli*, valde indicat firmamentum factum ſecunda die, non fuiſſe aëreum; ſed ſydereum, vt notauit D. Thomas in ſecundo diſtinctione quartadecima, quæſt. 1. art. 1. *Niſi forte firmamentum æquiuocè ſumatur, ſicut Rabbi Moyſes dicit.* Vide etiam S. Doctorem hic ad tertium.

Aduertendum tamen maximè eſt in Scriptura non ſolum dici fieri, quod de nouo pro-

producitur ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed etiam, quod aptatur, vel ornatur. Vnde illud Exo. 38. v. 8. *Fecit, & labrum æneum cum baſiſua de ſpeculis mulierum*, quidam explicant, id eſt aptauit vel ornauit, & quod dicitur 1. Reg. 12. verſ. 6. *Dominus qui fecit Moyſen, & Aaron*, Multi exponunt: id eſt magnificauit, auxit, ornauit, qui eos claros, & illuſtres magnis per eos editis operibus fecit. Et vbi nos legimus 2. Reg. 19. ver. 24. *Illotis pedibus, & intonſa barba*, in Hebræo eſt, *Et non fecerat pedes ſuos, & non fecerat muſtacam ſuam*, id eſt non aptauerat: Hiſp. etiam dicimus *Hizerſe labarba*. Cum ergo opus quartæ diei non ſit opus creationis, ſed ornatus, vt titulus huius quæſtionis indicat; luminaria non dicuntur facta quarta die, quia tunc ſecundum ſubſtantiam fuerint producta, hoc enim modo prima die facta ſunt vna cum cœlo; ſed quia tunc virtutem influendi varios ac particulares effectus in his inferioribus acceperunt, vt docet S. Thom. hic ad 1. & 2.

Circa ſolutionem 5. aduerte; Mathematicos affirmare, ſolem continere magnitudinē terræ centies ſexagies ſexies: terram vero excedere lunæ magnitudinem trigeſies nouies; ſtellas autem maiores habere magnitudinem terræ centies, & ſepties, & ferme ſextam vnius. Vnde recte S. Thomas ait, lunam non vocari luminare maius, quia ſit maioris quantitatis quam ſtellæ, ſed quia *Effectus lunæ magis ſentitur in iſtis inferioribus, & etiam ſecundum ſenſum maior apparet.*

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum conuenienter cauſa productionis luminarium deſcribatur.

Concluſio eſt affirmans.

CAuſam productionis luminarium deſcripſit Moſes Gen. 1. v. 14. Ait vero D. Thomas. *Illam ſolam cauſam tetigit ſecundum, quod ſunt facta ad vtilitatem hominum.* Prima autem vtilitas eſt quantum ad viſum; *Et quantum ad hoc dicit, vt luceant in firmamento, & illuminent terram.* Vbi aduerto hanc illuminationem nō eſſe intelligendam ſolum quoad communem rationem lucis (hæc enim iam ante quartam diem erat, nā ſol primo die quo facta lux dicitur, luxit in firmamento cœli, & tertio die, quo diſcooperta eſt terra, illam illuminauit) ſed etiam quoad alios particulares, & determinatos effectus, quos mediante luce producunt luminaria. Et quamuis non omnes huiuſmodi effectus ſunt vtiles, aut deſeruiant viſui, non propterea male dixit D. Thomas vtilitatem quantum ad viſum ſignificatam fuiſſe prædictis verbis: nam per vtilitatem quantum ad viſum, non intelligit D. Tho. eam quæ ſolius viſus eſt, ſed quæ prouenit terrę ex eo quod viſui eſt neceſſarium, quale eſt lumē.

Secunda vtilitas eſt quantum ad viciſſitudines temporum. *Et quantum ad hoc dicit, vt ſint in tempora, & dies, & annos.* Per tempora,

pora, quidam menſes intelligunt, alioquin eorum non meminiſſet Moſes. Alij feſta, ſolemnitates, ferias, ſtata; id enim ſignificat nomen Hebraicum *Moghadim* Leuit. 23. v. 2 D. Tho. hic, & alij ſtata tempora veris, ſtatis, autumni, hiemis: item meſſis, vindemię, oliuationis; rurſus efloritionis, maturitatis, collectionis fructuum, &c. Fauet nomen *Moghadim*, quod proprie ſtata, conſtituta, certa, diffinita, condicta tempora ſignificat. Inquit autem S. Doctor hic ad 3. *Quod prima die, facta eſt communis diſtinctio temporis per diem, & noctem ſecundum motum diurnum, qui eſt communis totius cœli. qui poteſt intelligi incepiſſe primo die. Sed ſpeciales diſtinctiones dierum, & temporum, ſecundum quod dies, eſt calidior die, & tempus, tempore, & annus, anno, fiunt ſecundum ſpeciales motus ſtellarum, qui poſſunt intelligi quarto die incœpiſſe.*

Tertia vtilitas eſt quantum ad oportunitatem negotiorum, & operum, *Et quantum ad hoc dicit, vt ſint in ſigna.* Nomen Hebraicum *Oth* eſt ſignum generaliter, aliquando prodigium, portentum ab *Athah* id eſt venit, quod faciat venire, & eſſe, quod indicat, & deſignat, vel quod ventura deſignet, & portendat. *V*nde per hęc ſigna quidam intelligunt prodigia, portenta, prognoſtica, vt bellorum, mortium principum, magnarum mutationum rerum, euerſionis imperiorum; hęc enim Dei nutu, & prouidentia ſolent interdum cometis, figuris, ſignis in cœlo portendi. D. Baſil. homil. 6. Hexameron, intelligi etiam poſſe dicit ſigna

iudicij, de quibus Lucæ 21. verſ. 25. inquit enim: *Hæc vniuerſi conſummationis ſunt ſigna.* Vnde ſicut cœlum Empyreum creando parauit Deus regnum electis, vt colligitur ex Matth. cap. 25. verſ. 34 ita cum luminaria fecit in firmamento cœli, ea parata eſſe voluit, vt ſint in ſigna, quę diem extremi iudicij præcedent. D. Tho. hic intelligit ſigna caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, ſerenitatis, pluuiarum, ventorum, tempeſtatum, & huiuſmodi: vnde Chriſtus Matth. 16. v. 2. *Facto veſpere dicitis: ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum. Et mane tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum.* Non tamen ſunt cœli luminaria ſigna certo indicantia euentus futuros contingentes ex libera hominum voluntate pendentes.

Circa tertium nihil ſe offert dicendum.

QVÆSTIO LXXI.

De opere quintę diei.

ARTICVLVS I.

Vtrum opus quintæ diei conuenienter deſcribatur.

Coclusio eſt affirmans.

OPus quintæ diei fuit productio auium, & piſcium; quam deſcribit Moſes. Gen. 1. verſ 20. his verbis: *Dixit etiam Deus producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli:* Repti-

Reptile Hebraice *Seretz* dicitur, quod nomen collectiuum eſt ſeu vniuerſitatis comprehendens generaliter omnia, quę pedibus carent, aut quę breues admodum habent, ita vt pedes illis non ſint apti ad gradiendum in terra, ſed tantum ad repcndum. Cum autem ſint reptilia, & aquatilia, & terreſtria, hic de aquatilibus eſt ſermo, nam terreſtria ad opus ſextę diei pertinent. Et licèt inter piſces (vt dicitur in 4. arg. huius art.) *Quidam habeant pedes quibus gradiuntur in terra, ſicut vituli marini*. Conuenienter tamen productio piſcium per productionem reptilium deſignatur: eo quod piſces communiter reptant. *Tamen, vt includantur omnia huiuſmodi, quæ habent aliquid ſpeciale inter piſcis, ſubiungit poſtquam dixerat, Producant aquæ reptile animę viuentis: Creauit Deus cœte grandia, &c.* Inquit D. Thom. hic ad 4. Vnde Hebraicum nomen plurale *Thaninem* vniuersè omnes maximos piſces, vt Balenas, Cetos, Priſtes, Phyſiteres, Arbores, &c. ſignificat. Et *Romeſeth* participium fœmineum, loco cuius Vulgatus *Motabilem* vertit, propriè calcantem, quatientem, gradientem ſignificat, iudicatque ea etiam aquatilia, quę pedibus ſublatis calcant, & gradiuntur, vt Fibri, Lutrię, Hippopotami, Vituli marini.

Productio auium, quę in ſecunda parte teſtimonij adducti deſcribitur, plus nobis faceſſit negotij. Difficultas enim eſt, fuerit ne facta ex aqua ſicut productio piſcium, an ex terra fuiſſe aues formatas, ac productas multi exiſtimant, Probant id ex illo

Geneſ.

Geneſis 2. verſu 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli*. Ad teſtimonium autem adductum ex Geneſ. 1. dicunt, in Hebręo ſic haberi: *Et volatile volabit ſuper terram*. Accentumque diſtinctiuum Athnach appoſitum voci *Caiach* ideſt *Vitæ*, oſtendere eſſe alterum membrum, ſeu hemiſtichium, aliamque ſententiam de auibus, ſicque inde non conuinci aquas volatilia produxiſſe.

Sed D. Thomas hic in corp & ad tertium docet aquarum naturam produxiſſe piſces, & aues, & productionem auium aquę adſcribi. Quę eſt etiam ſententia D. Auguſtini libro 3. de Geneſ. ad lit cap. 3. & lib. 9. cap. 1. Patet ex teſtimonio Geneſ. 1. adducto, in quo Vulgatus conſulto omiſit verbum, *Volabit*, quod eſt in Hebręo: vidit enim ſubaudiendum, *Aſcer*, ideſt *Quod*, vt ſenſus eſſet: *Et volatile quod volabit ſuper terram*. Vnde Caldęus, *Et autem, qua volet ſuper terram*, LXX. *Et volatilia volantia ſuper terram*. Et quia hoc, eundem ſenſum reddit; verbum, *Volabit*, omittere placuit. Certè ſi non ex aqua, ſed ex terra aues fuiſſent formatę, non die quinta, ſed ſexta earum productionis mentionem feciſſet Moſes.

Ad fundamentum autem oppoſitę ſententię dupliciter reſpondet D. Auguſt. lib. 9. de Gen. ad litteram, cap. 1. Primò, in loco illo Gen. 2. humi, ſeu terrę, nomine terram cũ aquis eſſe intelligendam, ex vtraque enim vna ſphera conſtituitur, & nomine terrę, vtraque comprehenditur *Pſ.* 142. cum dicitur:

tur: *Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyſſi*. Secundò: *Tacuiſſe nunc vnde finxerit volatilia cœli: quia, & tacitum poſſet occurrere, vt non de terra vtrumque accipiatur finxiſſe, ſed tantummodò beſtias agri: vt volatilia cœli etiã tacente Scriptura intelligamus vnde finxerit, velut, qui ſciamus in prima cauſatum rationum conditione ex aquis ea eſſe producta*. Quare verba loci prędicti reſpectiuè exponi debent, & nomen, *volatilibus*, non ad *de humo*, ſed tantum ad *formatis* referendum eſt, vt ſit ſenſus: formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ, & formatis vniuerſis volatilibus cœli, Dominus Deus adduxit ea ad Adam.

QVAESTIO LXXII.

De opere ſextæ diei.

ARTICVLVS I.

Vtrum opus ſextæ diei conuenienter deſcribatur.

Concluſio eſt affirmans.

SExtæ diei opus, quod eſt terræ ornatus, fuit productio animalium terreſtrium, quam his verbis deſcribit Moieſ Gen. 1. v. 24. *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ,*

Se-

ſecundum ſpecies ſuas. D.Thomas hic in primo argumento quęrit, cur animalia terreſtria vocat animam viuentem; piſces verò, reptile animę viuentis?

Reſpondet: *Piſces vocat non animam viuentem, ſed reptile animę viuentis. Sed terrena animalia vocat animam viuentem propter perfectionem vitę in eis, ac ſi piſces ſint corpora habentia aliquid animæ, terreſtria vero animalia propter perfectionem vitę ſint quaſi animę dominantes corporibus*. Alij inter hęc nullam differētiam agnoſcunt, nam volunt animam, ſeu *Ne his* Hebraicum ibi poni pro corpore altera parte compoſiti, in quo eſt anima, quod Paulus dixit: *Corpus animale*, ſicut, & Pſal. 104. v. 18. *Ferrum pertranſijt animam eius*, id eſt corpus eius viuens, & Pſ. 105. v. 15. *Miſit ſaturitatem in animas eorum*: hoc eſt corpora viuentia: vnde anima viuens idem eſt, ac corpus viuens, & reptile animę viuentis idem eſt, ac reptile corporis animalis viui.

In ſolutione ſecundi explicat D. Thomas quid per *iumenta* intelligendum ſit, & ait: *Per iumenta, vel pecora intelliguntur animalia domeſtica, quę homini ſeruiunt qualitercumque*. Et rectè; non ſingulare, ſed collectiuum *Beh ameh* quando iungitur cũ nomine *Chaÿath*, vt loco citato ſignificat manſueta, domeſtica, ac cicura animalia, quæ ratione carent, & hominum arbitrio reguntur, illiſque in multiplices vſus inſeruiunt. Item ait S. Doct. *Per reptilia animalia, quæ non habent pedes, quibus eleuentur à terra, vt ſerpentes: vel habent*

bent breues, quibus parum eleuantur, vt lacer te formice. Et etiam bene: nam nomen Hebraicum, *Rames*, cum à verbo, *Ramas*, quod reptare ſignificat, deducatur, prædicta animalia ſignificat. Addit etiam Diuus Thomas; *Per beſtias autem intelliguntur animalia ſeua, vt vrſi, leones.* Et recte quoque: nam *Chaiah*, iunctum cum *Behemah* feras ſignificat, quæ tamen ſunt quadrupedes, & altè ſuper terram pedibus gradiuntur; nempe animalia ſylueſtria in quibus eſt magna viuacitas, vt quidam tradunt, vel, vt alij dicunt, animalia carniuora, & minoris ſtaturę quam *Behemah*; modo non ſint volatilia cœli, aut reptilia terræ, vt leones, lupi, tigrides, &c. Denique ait D. Th. *Sed quia ſunt quædam animalia quę ſub nullo horum comprehenduntur vt cerui, & capreæ: vt etiam iſta comprehenderentur, addidit quadrupedia.* Quæ verba indicant, D. Tho. vſum fuiſſe antiqua tranſlatione Latina, in qua *quadrupedia* addebantur. In noſtra tamen ſub iumentis comprehenduntur; quibus voce Hebræa innuente, ſpecies animalium, quæ herbas comedunt, ſiue ſylueſtria ſint, ſiue domeſtica, ſignificantur.

QVAESTIO LXXIII.

De iis quæ pertinent ad ſeptimum diem.

ARTICVLVS I.

Vtrum completio diuinorum operum debeat ſeptimo diei adſcribi.

Concluſio eſt affirmans.

EXplicat doctrina huius artic. illud Gen. 2. v. 2. *Compleuitq. Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat*: Cuius ſenſus eſt: Deũ die ſeptimo compleuiſſe opus ſuum, ab illo ceſſando, quod præcedentibus diebus fecerat, & facere decreuerat, & nihil aliud producendo de nouo, ſed, quod fecerat conſeruando, & adminiſtrando.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus ſeptima die requieuerit ab omni opere ſuo.

Concluſio eſt affirmans.

DOctrina huius ar explicat, quod Gen. 2.v.2. dicitu: *Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat*. Quod mul-

multi nihil aliud eſſe dicunt, quam explicationem verborum præcedentium Fauet D. Tho. hic dicens ſenſum eſſe *Die ſeptimo ceſſauit nouas creaturas condere*. Addit tamen S. D aliam expoſitionem: *Requieuit vtique in ſeipſo, quia ſufficit ſibi, & implet deſiderium ſuum*. Vide illum.

ARTICVLVS III.

Vtrum benedictio, & ſanctificatio debeatur diei ſeptimæ.

Concluſio eſt affirmans.

PAtet ex illo Gen. 2. v. 3. *Benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum*. Quidam hic benedictionem, & ſanctificationem idé eſſe dicunt, & priora verba per poſteriora exponi, idemque eſſe benedixt, & ſanctificauit, ac benedixit, id eſt ſanctificauit; ſic enim ſolet iſta dictio, & accipi aliquando, vt Matth. 13. v. 41. *Colligent ſcandala, & eis, qui faciunt iniquitatem*. Vbi, & idem, eſt ac, id eſt. Sed D. Th. benedictionem refert ad multiplicatione rerum, quæ fit per adminiſtrationem creaturæ, ſecundum quam ex ſim libus ſimilia generantur; ſanctificationem verò ad requiem, qua Deus poſt opera requieuit in ſe ipſo Vides propriè ſanctificauit, ſanciuit, conſecrauit, dedicauit, accommodauit vſibus diuinis, ad ſacrum vſum deſtinauit. Quidam reddunt: Separauit, ſepoſuit ſibi, id eſt ſibi

tri-

tribui voluit diem ſeptimum, in quo homines à ſeruilibus operibus ceſſarent, & Dei cultui tantum vacarēt. Nec dubitant primos homines populi Dei hunc diem coluiſſe, iam inde ab Adamo, quem poſtea Moyſes Exod.20.v.10. lege, & præcepto confirmauit. Quod prçceptum non de lege naturæ, ſed cæremoniale eſſe docet D.Th.1.2.q.100. art.7.ad 2.& 3.& 2.2.q.122.ar4.

QVÆSTIO LXXIV.

De omnibus ſeptem diebus in communi.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſufficienter iſti dies enumerentur.

Concluſio eſt affirmans.

QVæri hic poteſt, quomodo Deus in his diebus produxerit opus ſuum, vt ratione illius ſex dies numerentur; ſeptimus verò, quia ab omni opere, quod patrarat requieuit? Hugo dè Sancto Victore lib.1.Eruditionis Theologiæ de Sacramentis cap. 16. gemina reſponſione huic quęſtioni obuiat. *Aut enim Dicemus Deum in illis ſex diebus operationem ſuam ita continua perſeuerā-*

tia produxiſſe, vt nullo temporis interuallo ab-operando deſierit. Aut ita ſex diebus operatum, vt nullum quidem diem in operando intermiſerit, non quod nullo temporis ſpatio operari ceſſauerit. Iuxta primam reſponſionem, & conſequenter ad illam ſubdit: *Nec ſolummodo opus eius fuiſſe, quod lux facta eſt, ſed quod directa in ſe gubernante, & dirigente curſum expleuerit.* Sed nihilominus de ſecunda reſponſione addit: *Facilior eſt, & ſe propius ad intelligendum accommodat rationi.* Adhuc tamen eſt in hac ſecunda reſponſione difficultas, an opera ſingulorum dierum produxerit in tempore, aut in iſtanti indiuiſibili? Quidam in inſtanti ea produxiſſe affirmant, & probant ex D. Tho. art.ſeq.ad.4.vbi hoc antecedens argumenti: *Totum opus, quod vni diei adſcribitur: in inſtanti perfecit, cum in ſingulis operibus dicatur, Dixit, & factum eſt:* videtur concedere. Ratione etiam: quia Deus omnia fecit verbo, & imperio ſuo, quod inſtantaneè operatur ſic enim oſtenditur Dei omnipotentia, quæ neſcit tarda molimina.

Mihi tamen videtur, dici non poſſe de omnibus operibus, ſingula fuiſſe facta in inſtanti: nam congregationem aquarum, cum facta fuerit per motum earum de vno loco in alium, conſtat nõ potuiſſe fieri in inſtanti. Probabile vero eſſe exiſtimo, ſingula producta fuiſſe in tempore. Quod colligo ex D.T. hic ad 1.vbi opus diſtinctionis, & ornatus diſtinguit ab opere creationis. *Quod opus diſtinctionis, & ornatus attenditur ſecundum aliquam mutationem creaturæ, quæ tempore menſu-*

ſuratur. Opus autem creationis conſiſtit in ſola actione in inſtanti rerum ſubſtantiam producetis. Et ideo quodlibet opus diſtinctionis, & ornatus dicitur factum in die, creatio autē dicitur facta in principio, quòd ſonat aliquid indiuiſibile. In his enim verbis non obſcurè inſinuat S D. ſolum opus creationis factum fuiſſe in inſtanti indiuiſibili, quodlibet autē opus diſtinctionis, & ornatus factum fuiſſe in tempore ſecundū aliquam mutationem creaturę, quę tempore menſuratur. Nec obſtat, quod explicans illud Gen. 1. v. 11. *Germinet terra, &c.* ait D. Baſilius hom 5. Hexameron. *Poſt hoc praeceptum opificis, ſine vlla mora protinus omnes quidem ſyluę ſurgebant, &c. Roſæ, lauri, mirthi vniuerſa temporis vno momento, cum antea non eſſent, extitere.* Dici enim poteſt momenti nomine non intellexiſſe Diuum Baſilium inſtans indiuiſibile, ſed breuiſſimum tempus, quomodo enim in inſtanti indiuiſibili ſyluæ poſſent ſurgere, quod motum localem; qui rerum augmentum comitatur denotat? Non obſtat etiam lucis productio, quam in inſtanti fuiſſe factam videtur. Reſponderi namque poteſt; lucem, ſicut non eſt producta ſimul cum ſuo ſubiecto, nam, vt ait D. Thomas art. ſeq. *Poſt primā, productionem creaturæ fuit aliquod tempus; in quo non erat lux*: ita nec fuiſſe productam prima die in inſtanti indiuiſibili, ſed prius imperfectam fuiſſe communicatam ſoli, & paulatim ad perfectionem quam habet excreuiſſe tempore breuiſſimo, ſicut & de plantis diximus.

Ad argumentum autem oppoſitæ ſententię reſpondetur: D. Thomam ibi antecedens illud non conceſſiſſe, quin potius dixiſſe. *Quod non eſt ex impotentia Dei quaſi indigentis tempore ad operandum, quod omnia non ſint ſimul diſtincta, & ornata: ſed, vt ordo ſeruaretur in rerum inſtitutione.* Qui ordo proceſſum ab imperfecto ad perfectum denotat. Per hoc patet ad rationem factam quid ſit dicendum.

ARTICVLVS II.

Vtrum omnes iſti ſex dies ſint vnus dies.

Concluſio eſt: Duas eſſe de hac re opiniones, alteram D. Auguſt affirmantem: alteram aliorum Expoſitorum negantem, & vt neutri preiudicetur, vtriuſque rationibus reſpondendum eſſe.
Opinio affirmans eſt: *Quod omnes, qui dicuntur ſeptem dies ſunt vnus dies ſeptempliciter rebus præſentatus.* Docet namque D. Auguſt. omnia ſimplicia Angelos ſcilicet, cœlum, & elementa fuiſſe creata vnico temporis inſtanti; in quo mixta, vt plantæ, animalia, & quæcunque ex elementis oriuntur, ſolum cauſaliter, & quaſi in ſeminalibus rationibus fuerunt producta. Diſtinxiſſe vero Moyſen mundi creationem, quæ vnico inſtanti facta eſt, in ſeptem dies, intelligens per diē cognitionem angelicam; quę propriè, & verè

rè dies appellari poteſt, cum lux, quę eſt cauſa diei, proprie inueniatur in ſpiritualibus, vt ſupra dictum eſt. Cuius diei mane fuiſſe, ait, cognitionem rerum in Verbo, quę matutina appellatur; veſperè verò cognitionem earũdem rerum in propria natura, quę veſpertina dicitur. Hunc autem vnum diem cognitionis angelicę diſtingui in ſeptem, non ſecundum ſucceſſionem cognitionis, ſed ſecundum naturalem ordinem rerum cognitarum, non quidem prioritate temporis; ſed originis, vel naturę. Vnde primus dies fuit cognitio primi operis diuini. Secundus cognitio ſecundi operis, & ſic de alijs.

Opinio negans, quam alij Sancti, & Expoſitores ferè omnes, ac Theologi ſcholaſtici docent, eſt; *Quod fuerunt ſeptem dies diverſi, & non vnus tantum.* Per quos ſucceſſio dierum temporalium, & productionis rerum oſtenditur; quilibetque talium dierum propriè naturalis fuit, hoc eſt viginti quatuor horarum, complectens diem artificialem, & noctem: & in quolibet facta fuerunt, quę narrat Moſes Geneſ. 1. Argumenta pro hac ſententia contra primam nõ minus quam 34. adducit D. Thomas, q. 4. de Potentia, art. 2. ibique ad illa reſpondet. Pro prima opinione contra hanc ſecundam 10. ibique etiam ad illa reſpondet. In 2. verò d. 12 quæſt. 1. non fuit contentus ſecundo articulo, quo ad vtriuſque ſententię argumenta reſpondet, ſed etiam addidit tertium ſpecialiter ad ſententiam D. Auguſt. tuendam, de qua art. 2. dixerat: *Hac opinio plus*

mihi placet Hic verò doctior ſe ipſo iam factus S. Doct. proponens argumenta pro ſententia D Aug. in principio art. 1 argumentũ vero *Sed contra* pro ſententia aliorum Sanctorum Patrum, licèt omnia diſſoluat; & opinionem D. Auguſt ob tanti Patris auctoritatem, vt probabilem defendat, in contrariam inclinare videtur: vnde eam libentiùs eius diſcipuli amplectuntur; cum maiori enim proprietate verborum caput primum Geneſeos explicat. Ad argumenta autem primæ ſententiæ reſpondet optimè Diuus Thomas hic.

ARTICVLVS III.

Vtrum Scriptura vtatur conuenientibus verbis ad exprimendum opera ſex dierum.

Concluſio eſt affirmans.

QVæ colligitur, & probatur ex ſolutionibus argumentorum; ex ſolis enim argumentis, & eorum ſolutionibus conſtat hic art. 4.

Circa ſolutionem primi aduerte, quod nonnulli adnotarunt linguæ Hebraicæ periti: Moſen in deſcriptione creationis rerum, vſum potius fuiſſe verbo, *Amar* dixit, quam verbo *Dabar* loquutus eſt, quod *Omer*, dictum, ſermò, pronunciatum, logos, ſit potius nomen filij Dei, quo eum Ioann. cap. 1

ap-

appellat quam *Dabar*, quod eloquium, & rem, ſeu ordinem rerum magis ſignificat, quam ſermonem, & per filium Deus dixerit decretum: & totum ordinem creationis, iſque fuerit ſermo, per quem cõdita ſunt vniuerſa. *Amar* cum Deo tribuitur, fortiùs quiddam, & efficaciùs ſæpè ſignificat, ſimul atque includit decretum, ordinationem ex ſuſcitationem, vt ſit interdum velle, iubere, decernere, conſtituere. Vnde rectè D Thomas hic ad 1. ait: *Per hoc quod dicitur, Dixit Deus, importatur diuinum imperium*.

Circa ſolutionem ſexti aduerte, nonnullos affirmare, Moſen. Gen. 1. v. 5. aſſerentem, *Factumque eſt veſpere, & mane dies vnus*. Ideo prepoſuiſſe veſper luci, quod tenebrę lucem antecesſerunt ipſam; & quod in Scriptura dies naturalis, & feſta à veſpere incipiant, more apud Hebræos, & alias gentes recepto. Ex quo colligunt mundum noctu fuiſſe productum, & primum duodecim horis iacuiſſe in tenebris, & alijs duodecim horis primum fuiſiſſe lucem: & hæ viginti quatuor horas conſtituiſſe primum diem naturalem mundi. Sed hæc D. Thomæ hic aduerſantur dicenti *Præmittitur autem veſpere, quia cum à luce dies incœperit, prius occurrit terminus lucis, quod eſt veſpere, quam terminus tenebrarum, & noctis, quod eſt mane, vel ſecundum Chriſoſt. vt deſignetur, quod dies naturalis non terminatur in veſpere, ſed in mane*. Et ad 7. *Diem conſummari per reditum ſolis ad vnum, & idem punctum*. Fateor mundum in tene-

bris fuiſſe productum; id enim ſignificat illud Gen. 1. v. 2: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*; Heb. *Super facies*, vt vtrumque hemiſpherium deſignetur; duodecim tamen horis iacuiſſe in tenebris non video vnde colligi poſſit, cum id non dicat Scriptura: & Sancti, & cum eis D. Thom. ſupra q. 68. artic. 4. ad 1. & hic art 2. ſolum aſſerant: *Poſt primam productionem fuit, aliquod tempus, in quo non erat lux*. Et non definiant quantum fuerit tale tempus. Præterea: tenebras illas, quæ prçceſſerunt productionem lucis, non fuiſſe veſper, ex quo, & mane componitur dies naturalis, ſed ante omnem diem fuiſſe docet D Thom. in 2. diſt. 33. q. 1. art. 4. ad 1. nam ait: *Prius tempore fuit opus creationis, & poſtea per aliquod interuallum temporis formata eſt lux, & tunc dies primò incepit, vnde dicunt creationis opus ante omnem diem fuiſſe. Et hoc quidem magis conſonat litteræ Geneſis, ſecundum ſuum ſenſum planum: ſtatim enim poſita creatione, tenebras ſuper faciem abyſſi commemorat, & poſtmodum de lucis productione dicit: nec tamen eſt inconueniens tenebras præcedentes, non in genere priuationis ponere, quia priuatio eſſe non potuit antequam natura habitus oppoſiti ſcilicet lucis corporibus indita eſſet ſicut nec catulus ante nonum diem cæcus, vel priuatus viſu dicitur*. Ex quibus verbis, & quod diximus colligitur, & cuidam obiectioni, quç contra doctrinam in eis traditam fieri poteſt, poſſumus reſpondere.

Obiectio eſt; lux eſt qualitas propria con-

ſe-

ſequens formam ſubſtantialem ſolis, ſicut calor formam ignis, vt docet D. Thom. ſupra quæſt. 67. art. 3. ergo cum rei ſubſtantia, & forma non producatur ſine ſuis proprietatibus, vt ignis ſine calore, ſubſtantia cœli,& ſolis non fuit producta ſine luce. Reſpondetur: lucem cum à D. Thoma dicatur indita corporibus, ita eſſe qualitatem propriam ſolis, vt ab eius eſſentia non manauerit abſque ſpeciali actione, qua Deus, poſtquam creauit ſubſtantiam ſolis, & cœli, dixit, Fiat lux: & naturalem eſſe ſoli, ſicut ſpecies per quas Angeli intelligũt naturales ipſis eſſe diximus ſupra q. 55. art. 2. dub. 2. non tamen ſtatim atque productus eſt ſol, collatam ipſi fuiſſe lucem, ſed poſt aliquod interuallum temporis. Nam ſicut viſus non conſequitur formam catuli ante nonum diem: ita nec lux conſequuta eſt formam ſolis, antequam Deus diceret; Fiat lux; nondum enim habebat perfectionem accidentalem ad hoc requiſitam forma ſolis, *vnde per tenebras præcedentes lucem imperfectio corporalis naturæ oſtenditur*, vt ſtatim poſt verba citata ſubdit D. Thom.

QVÆSTIO LXXV.

De homine, qui ex ſpirituali, & corporali ſubſtantia componitur, & primo quantum ad eſſentiam animæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum anima ſit corpus.

Concluſio eſt negans.

ARiſt. lib. 1. de Anima, cap 2. varias ſententias refert de animi quidditate, & ſubſtantia. *Democritus ignem quendam, & calorem eum eſſe dicit. Plato in Timæo animum ex elementis fecit. Diogenes autem quemadmodum etiam nonnulli alij hunc aërem putauit omnium eſſe tenuiſſimum. Nonnulli aquam etiam eum eſſe dixerunt, vt Hippon. Alij autem in ijs Cretias ſanguinem eum eſſe ponunt.* Has omnes ſententias ſequentibus capitibus refellit: quibus impugnatis ipſe ſuam ſententiam proponit lib. 2. cap. 1. lect. 1. apud D. Thom. ſic animam definiens. *Primus actus corporis phyſici, & organici.* Cuius definitionis ſingulas particulas hic oportet explicare. Prima eſt *Actus*, quę loco generis ponitur. Eſt autem actus non accidentalis, ſed ſubſtantialis; vnde cum Ariſt. diuiſiſſet ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum;

ait;

ait; *Neceſſe eſt ergo animam ſubſtantiam eſſe ſicut ſpeciem*, hoc eſt formam. Vnde Galen. lib. Quod animi mores corporis temperaturas ſequantur, tom. 2. non rectè dixit ca. 3. & 4. animam temperiem eſſe qualitatum humiditatis, ſiccitatis, frigoris, & caloris: hęc enim non forma, ſeu ſpecies ſubſtantialis, ſed accidentalis eſt. Caietanus lib. 2. de Anima, commento 11. per hanc particulam animam à materia, quæ pura potentia eſt diſtingui affirmat.

Secunda eſt *Primus*, per quam non ſolum diſtinguitur anima ab operatione, quæ eſt actus ſecundus, ſed etiam ab alijs formis naturalibus, præſertim elementorum, vnde D. Thom. ibi ait: *Philoſophus dicit animam eſſe actum primum, non ſolum, vt diſtinguat animam ab actu, qui eſt operatio, ſed etiam, vt diſtinguat eam à formis elementorum, quæ ſemper habent ſuam actionem, niſi impediantur.* Quod quidam eius diſcipuli recentiores ita explicant. Putant enim animam etiam vegetatiuam ab intrinſeco, & ex propria ratione habere, vt aliquando ceſſet ab omni opere ſibi proprio, nam animalia non ſemper generant ſibi ſimile, nec in quolibet inſtanti nutriuntur, nec per totam vitam inceſſanter augentur. Formæ vero naturales quantum eſt ex ſe ſemper operantur; etſi aliqnando vacant ab opere, ab extrinſeco hoc illis accidit: nam lapis ſemper deſcendit, niſi ab extrinſeco impediatur. Sed hoc difficultate non caret, nam vt ait D. Thomas, 2. Contra gentes, cap. 97. ratio 2. *Omnis ſubſtantia*

viuens habet aliquam operationem vitæ in actu ex ſua natura, quæ ineſt ei ſemper. Talis eſt motus cordis in animalibus, & nutritio etiam in vegetantibus. Vnde alij dicunt ſufficere animam ceſſare ab aliquo actu, quamuis non ceſſet ab omnibus ſibi proprijs: nam formæ naturales à nullo opere ſibi proprio ceſſant, ſed ſemper operantur, niſi impediantur, aut non adſint conditiones requiſitæ ad operandum. Anima vero etiam vegetans licèt non ceſſet à nutriendo, ſæpe tamen ceſſat ab alijs actibus ſibi proprijs, quales ſunt augere, & generare ſibi ſimile.

Tertia eſt *Corporis*, per quam, vt ait Caiet. vbi ſupra diſtinguitur anima ab habitibus, qui licèt ſint actus primi, non tamen corporis, ſed animæ.

Quarta eſt. *Phyſici*, per quam, vt idem Caiet. dicit, diſtinguitur anima à formis artificialibus, quæ ſunt actus corporis non phyſici, ſeu naturalis, ſed artefacti.

Quinta eſt. *Et organici*, per quam, vt ait Caiet. diſtinguitur anima à formis ſubſtantialibus corporum inanimatorum, quę non ſunt actus corporis organici: quia non requirunt diſtinctionem partium organicarum ſecundum complexionem, compoſitionem, figuram, &c. in ſubiecto: ſicut requirit anima propter eius nobilitatem, & diuerſitatem operationum, quæ per vnam partem fieri non poſſunt; viſio enim fieri non poteſt per pedem, nec ambulatio per oculum.

Quomodo autem dicatur anima actus corporis phyſici, & organici, difficultate non caret;

caret; materia enim, cuius forma eſt actus, ad illam præſupponi debet, licèt autem materia nudè ſumpta, quæ præſupponitur ad animã aliquo modo poſſit dici corpus phyſicum, non tamen organicum. Sed hoc dupliciter explicari poteſt: Primò cum D. Th. q. vnica de Spirit. creat. art. 3. ad 2. vbi ſic habet: *Cum forma perfectiſſima det omnia quæ dant formæ imperfectiores, & adhuc amplius, materia pro vt ab ea perficitur eo modo perfectionis, quo perficitur à formis imperfectioribus, conſideratur, vt materia propria etiam illius modi perfectionis quam addit perfectior forma ſuper alias, ita tamen, quod non intelligatur hæc diſtinctio in formis ſecundum eſſentiam, ſed ſolum ſecundum intelligibilem rationem. Sic ergo ipſa materia, ſecundũ, quod intelligitur, vt perfecta in eſſe corporeo ſuſceptiuo vitæ, eſt propriũ ſubiectũ animæ.*

Vnde anima ſecundum rationem communem formæ corporis, dat eſſe corporeum ſuſceptiuum vitæ, atque adeo organicum, quod ad ipſum ſecundum rationem particularem animæ præſupponitur; atque adeo anima ſupponit corpus organicum, vt eius proprium ſubiectum.

Secundò, cum eodem S. Doctore, q. vnica, de Anima, art. 1. ad 15. vbi ita ait: *In definitionibus formarum aliquãdo ponitur ſubiectũ, vt informe, ſicut cum dicitur, motus eſt actus exiſtentis in potentia. Aliquando autem ponitur ſubiectum formatum, ſicut cum dicitur, motus eſt actus mobilis, lumen eſt actus lucidi. Et hoc modo dicitur anima actus corporis organici phyſici, quia anima facit ipſum eſſe corpus organi-*

ganicum, ſicut lumen facit aliquid eſſe lucidum. Idem dicit hic q. 76. artic. 4. ad 1. Iuxta quem modum dicendi ſubiectum, quod reſpicit anima, vt actus, non præſupponitur ad animam, ſed per ipſam fit tale, corpus ſcilicet phyſicum, & organicum: quod totum compoſitum; & effectum formalem animæ denotat. Nec eſt inconueniens, definitionem quidditatiuam dari per poſteriora quantum ad aliquam particulam, maxime quando definitum non eſt completa ſubſtantia, & omnino abſoluta, quæ in ſua definitione nihil extrinſecum aut poſterius exigit. Si enim ſubſtantia aliqua definiatur in quantū eſt cauſa, neceſſariò per effectum poſteriorē definienda eſt, ſic namque natura definitur, per motū, qui eſt effectus eius poſterior ipſa.

Sexta particula ſolet huic definitioni addi nempe: *Potentia vitam habentis*. Quæ ſolum additur maioris explicationis gratia: nam vt ait D. Thomas lib. 2. de Anima, lect. 1. *Non oportet addere potentia vitam habentis, loco enim huius ponitur organicum*. Corpus namque organicum eſt potentia vitam habens. Iuxta primam quidem expoſitionem particulæ præcedentis: quia corpus organicum factum per animam ſecundum communem rationem formæ corporis, capax eſt vitæ, & in potentia ad illam, etiam vt ſumitur pro eſſe viuentis, tanquam ſubiectum, & materia diſpoſita. Iuxta ſecundam verò expoſitionem; quia cum organicum conſtituatur per animam, vt anima eſt, vitam habet actu, quatenus eſt eſſe viuentium, & in potentia, qua-

quatenus vita ſumitur pro operatione vitali. Caietanus vbi ſupra ait; per hanc particulam diſtiugui animam à forma ſubſtantiali cadaueris, quod eſt organicum ſaltem ſecundum ſimilitudinem, ſed non habens vitam, id eſt operationes vitales in potentia ſcilicet propinqua.

Ex hac definitione concluſio articuli apertè colligitur; ſi enim anima eſt corporis actus, ergo non eſt corpus. Probat autem illā Ariſtoteles vbi ſupra, lect. 4. apud Diuum Thomam, quia anima eſt, qua viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò. Quam rationem ſic explicat D. Thomas hic; Anima eſt primum vitę principium ergo non eſt corpus, ſed corporis actus. Probatur conſequentia: quia quamuis aliquod corpus poſſit eſſe quoddam vitæ principiū, vt cor in animali; non tamen primum: nam eſſe principium vitę, non conuenit corpori vt corpus eſt, alioquin omne corpus eſſet principium vitę, ſed quia tale corpus eſt: eſſe autem actu tale habet ab aliquo principio, quod eſt actus eius, ac proinde non ipſum corpus, ſed quod actus eius eſt, primum principium eſt vitæ; ergo cum anima ſit primum vitę principium, non corpus, ſed corporis actus erit.

ARTICVLVS. II.

Vtrum anima humana ſit aliquid ſubſiſtens.

Concluſio eſt affirmans.

NOn ſolum ſubſiſtentem, ſed etiam incorpoream eſſe animam humanam, docet Diuus Thom. vnde concludit. *Relinquitur igitur, animam humanam, quæ dicitur intellectus, vel mens, eſſe aliquid incorporeum, & ſubſiſtens.*

Dubium. An ſit omninò certum animam humanam eſſe incorpoream, & ſubſiſtentem.

TErtullianus lib. de Anima, humanam animam incorpoream eſſe negat. Probat 1. capit. 7. ex Euangelio Lucæ 16. *Dolet apud inferos anima cuiuſdam, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digito animæ fœlicioris implorat ſolatium roris.* Sed linguam, & digitum, & corporalia membra habere, & pati à corporeo igne, non poteſt conuenire rei omninò incorporeę, ergo &c. Confirmat cap. 9. Anima humana flatus vitæ dicitur Gen. 2. v. 7. Flatus autem, ſiue aër aliquid corporeum eſt; ergo, & anima.

Secundo probat cap. 6. *Enim vero ſi ab alio moueri corporis eſt, quanto magis mouere aliud? Anima autem mouet corpus.* Ergo corporea eſt. Confirmat. c. 3. *Tangere enim, & tangi niſi corpus nulla poteſt res.* Sed anima tangit corpus, & ab eo tangitur ergo corporea eſt.

Tertiò probatur non eſſe ſubſiſtentem: Omne ſubſiſtens eſt ſuppoſitum, aut ſubſtantia completa: ſed anima rationalis non eſt huiuſmodi, ſed pars naturæ humanæ; ergo non eſt ſubſiſtens.

Quartò Anima rationalis pendet à corpore quantum ad eſſe, & operationem; ergo non eſt ſubſiſtens. Antecedens quoad primã partem probatur: eſſe animæ rationalis non eſt aliud quam eſſe hominis: ſed hoc, corpore mortuo perit; ergo, & eſſe animæ. Quoad ſecundam patet: nam quantum ad intellectionem pendet a phantaſmatibus, quæ corporea ſunt.

Dicendum tamen eſt 1. Certum eſſe ſecundum fidem animam humanam eſſe incorpoream, & ſubſiſtentem. Probatur 1. Ex ſacra Scrip. conſtat animas hominum à corpore ſeparatas viuere Sap. 3. v. 1. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, &c. Viſi ſunt oculis inſipientium mori &c. illi autẽ ſunt in pace.* Apoc. 6. v. 9. *Vidi ſubtus altare animas interfectorũ, &c. Et clamabãt &c.* Sed quod per ſe exiſtit, & operatur abſq; corpore, ſubſiſtens, & incorporeum eſt; ergo ſecundum fidem certum eſt animas hominum eſſe ſubſiſtẽtes, & incorporeas. Vnde D. Auguſt. lib. 10. de Trinitate cap. 7. errare dicit eos, qui opinantur humanam animam

non eſſe ſubſiſtentem, & incorpoream; & in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus dicitur: *Hominem credimus habere animam ſubſtantiuã, quæ exuta corpore viuit*. Confirmatur primò ex illo Matth 10. v. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ex quo S Hierony. ibi ita argumentatur: *Siqui corpus occidunt, animamq; non poſſunt occidere: ergo anima inuiſibilis, & incorporalis eſt.* Subſiſtens etiam, vtpote viuens corpore occiſo: Confirmatur ſecundo: nam in Scriptura ſæpe anima humana dicitur ſpiritus; Zacchar. 12. v. 1. *Fingens ſpiritum hominis in eo* Matth. 27. v. 51. *Emiſit Spiritum* Ioann. 19. v. v. 30. *Tradidit ſpiritum*. ad Galat. 5. v. 17. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem*. Sed hæc incorpoream, & ſubſiſtentem eſſe indicant, ergo &c.

Secundo probatur ex Conc. In Conſtantinopolitano 6. Actione 11. non longe poſt initium de Chriſto dicitur, *Naſcitur Deus humano corpore animam rationalem, & incorporeã habentem.* Et inferius *Intellectualia, & inuiſibilia nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur, &c. Sic hominum animæ permanent incorruptæ*. In Lateran. cap. *Firmiter*, de Sum. Trinit. aſſeritur Deum ab initio temporis vtramque condidiſſe creaturam ſpiritualem, & corporalem, *Ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore*, In Francofordienſi in libello ſacroſyllabo anima ſæpe incorporea dicitur; ergo &c.

Tertiò probatur, nam Tertulliani eiuſque ſequacium doctrina eſſe rens animam corpo-

poream eſſe tanquam hæretica damnata eſt: vnde 24.q.3 cap. *Quidam*; ex S. Iſidoro lib. 8. Ethim. c. 5 plures hereſes referuntur, & inter alias hæc Tertulliani ſtarum prædicantiũ, *Animã immortalem eſſe ſed corpoream*. Et S. Aug. lib. de Hæreſib. inter alias hæreſes hanc quæ eſt 86. commemorat: *Tertullianus animam dicit immortalem quidem, ſed eam effigiatum corpus eſſe contendit.* Hancque hæreſim impugnat lib. 10 de Gen. ad lit. c. 25 & 26. Cõfirmatur S. Chriſoſt. hom. 13 in Gen. duos errores de anima homines refert: *Nam alij anſam ex verbulo inſpirauit rapientes, aſſerunt ex Dei eſſentia eſſe animas: alij autem quod animæ in Brutorum ſubſtantiam tranſeunt.* Sicque corporeæ ſunt. Huncque poſtremum errorem impugnat ex diuerſo modo, quo homo, & reliqua animalia formata ſunt; de his enim dicitur: *Producat terra animam viuentem. De homine autem non ſic, ſed prius de terra corpus formatur, & poſtea vitalis ſpiritus datur, quæ ſcilicet anima eſt ſubſtantia. Et idcirco de brutis dicebat Moſes ſanguis eius anima eius, in homine autem ſubſtantia quadam eſt incorporea, & immortalis.*

Dicendum eſt 2. Ratione etiam naturali conſtare animam humanam incorpoream, & ſubſiſtentem eſſe. Probatur, nam id conuincit ratio D. Th. hic, nempe: quod eſt principium intellectualis operationis, eſt incorporeum, & ſubſiſtens: ſed anima humana eſt intellectualis operationis principium; ergo &c. Maior probatur, quod eſt intellectualis operationis principium non eſt corpus,

nec

nec intelligit per organum corporeum, ſed habet operationem per ſe cui non communicat corpus; ergo per ſe ſubſiſtens, & incorporeum eſt. Conſequentia patet, quia nihil poteſt per ſe operari, niſi quod per ſe ſubſiſtit; cum enim operari non ſit niſi entis in actu, eo modo aliquid operatur, quo eſt, ac proinde ſi per ſe operatur, per ſe ſubſiſtit. Operatio etiam, cui non communicat corpus, principium incorporeum requirit. Antecedens probatur: principium intellectualis operationis poteſt cognoſcere omnium corporum naturas; ergo non poteſt eſſe corpus, nec per corporeum organũ intelligere. Probatur conſequentia, quia cum omne corpus habeat naturam determinatam, ſi principium intellectualis operationis haberet in ſe naturam alicuius corporis, aut per organum corporeum intelligeret, non poſſet alia corpora intelligere. Sicut enim lingua infirmi, quæ infecta eſt cholerico, & amaro humore, non poteſt percipere aliquid dulce, ſed omnia videntur ei amara: & ſicut ſi aliquis determinatus color ſit non ſolum in pupilla, ſed etiam in vaſe vitreo, liquor infuſus, eiuſdem coloris videtur: ita ſi in principio intellectuali, aut in eius organo eſſet natura corporis, hæc impediret cognitionem aliorum corporum. Si dicas hoc argumento probari poſſe etiam animam, aut Angelum non poſſe cognoſcere aliarum rerum immaterialium naturas, cum habeat naturam immaterialem. Reſpondetur cum Caiet. hic, & ſupra quæſt. 56. art. 2. D.Tho-

D. Thom. non ſuperfluè appoſuiſſe illam propoſitionẽ; *Omne autem corpus habet aliquã naturam determinatã*. Quia enim talẽ naturã habet, ſi principiũ intellectualis operationis haberet in ſe naturã alicuius corporis nõ poſset alia corpora intelligere, quia nõ poſſet fieri alia. At natura immaterialis qualis eſt animæ noſtræ, & Angeli nõ eſt ſic determinata, ſed potiùs determinabilis per alias naturas, & propter ſuam immaterialitatem, & amplitudinem poteſt fieri aliã, & ſic non impedit aliorum cognitionem Vide etiam Ferrarienſem 2. Con. gen cap. 98. §. *Sed videtur*. Confirmatur. Anima humana non ſolum poteſt cognoſcere omnia corpora in particulari, ſed etiam rationem communem omnibus corporibus: at ſi eſſet corpus, aut non poſſet niſi per corporeum organum cognoſcere; non poſſet talem rationem communem cognoſcere, nam à corpore, aut per corporeum organum nequeunt vniuerſalia à ſingularibus abſtracta cognoſci; ergo, &c. Vide D. Thom. 2. Contra gentes, cap. 66.

Ad 1. vero reſpõdetur cum D. Auguſt. lib. 4. de Anima, & eius origine cap. 16. Sicut Deo in Scriptura membra corporis humani tribuuntur, non propriè, ſed metaphoricè: ita & animæ. Quomodo autem ignis corporeus in animam incorpoream poſſit agere, illamque torquere, diximus ſupra q 64. art. 4. poteſt enim id ignis efficere, vt Dei inſtrumentum, qua etiam ratione ſacramenta cauſant gratiam in anima. Ad confirmationem dico, ridiculum eſſe, quod Tertullianus

ibi

ibi affirmat: *Flatum illum diuina aſpiratione denſatum omni intus linea expreſſum eſſe, quam denſatum impleuerat, & veluti in forma gelaſſe.* Quodque antea dixerat animam aërei coloris eſſe, credens falſæ viſioni cuiuſdam muliercula montaniſticæ. Sicut ergo cum Chriſtus apparens Diſcipulis poſt Reſurrectionem, Ioann. 20 v 22. *Inſufflauit, & dixit eis accipite Spiritum ſanctum.* Flatus ille ſignificabat Spiritum ſanctum inuiſibilem, & immaterialem: ita Gen. 2. per flatum, ſeu ſpiraculum vitæ anima rationalis incorporea ſignificatur. Aduertit autem Sanctus Chriſoſt. Homil 13. in Geneſ. *Craſſiorum illorum verborum cauſam eſſe noſtram hebetudinem, & infirmitatẽ.* Non enim ſpiritualia, & incorporea niſi per corporea, & sẽſibilia intelligimus. *Igitur cum audis Scripturam dicentem, Formauit Deus hominem, cogita virtutem eandem, quam dum dixit, Fiat. Et iterum quando audis, inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, hoc, iterum cogita, quod viſum eſt ſibi. Et ſicut incorporeas virtutes produxit: ita certè corpus illud ex puluere rationalem animam habere iuſſit.* Alij aduertunt in Hebræo haberi *Spiraculum vitarum*: pluralemque numerum plures vitas indicare, vegetantem, ſentientem, & rationalem, aut quod duæ ſint vitę, præſens in hoc ſæculo animalis, & in altero ſuperiore ſæculo, vita ſpiritualis, beata, & ęterna. Ex quo ſequitur animam rationalem, quæ harum vitarum principium eſt, non corpoream, ſed incorpoream, & ſpiritualem eſſe: nihil enim corporeum poteſt principium eſſe

ſe viſionis beatæ, ſicut eſt intellectus modo explicato ſupra q. 12. art. 5. & 6.

Ad ſecundum reſpondet D. Tho. art. præced. ad 1. animam eſſe mouens, quod non mouetur per ſe, ſed per accidens moto corpore, licèt autem mouens, quod per ſe mouetur ſit corporeum, non tamen, quod ſolum per accidens mouetur. *Et quia antiqui naturales nihil eſſe credebant niſi corpora poſuerunt, quod omne mouens mouetur, & quod anima per ſe mouetur, & eſt corpus.* Illos Tertullianus imitatur, qui conſiderare debuiſſet inſipientes de anima dixiſſe Sap. 2. v. 2. *Fumus flatus eſt in naribus noſtris*, &c. Ad confirmationem reſpondet etiam D. Tho. artic. præced. ad 3. contactu quantitatis corpus non tangi niſi à corpore: contactu tamen virtutis corpus poſſe tangi à re incorporea, quæ mouet corpus, qualis eſt anima. Vide eundem S. D. 2. Contra gen. cap. 65.

Ad 3. reſpondetur cum D. Th hic ad 1. negando maiorem. Eſt namque duplex ſubſiſtens, completum ſcilicet, & incompletū. Subſiſtens incompletum excludit inhærentiam accidentis, & formę materialis, completum etiam imperfectionem partis. Licèt autem anima humana non ſit ſubſiſtens cōpletum, cum ſit pars humanę naturæ; eſt tamen ſubſiſtens incompletum; quia forma ſubſtantialis eſt, & incorporea independens à materia in eſſe, fieri, & conſeruari, ac etiam in operatione iutellectiua. Si autem quęras, ſit ne anima rationalis ſubſiſtens vt quo, vel vt quod? Reſpōdetur, à corpore ſeparatā ſub-

ſiſte-

ſiſtere, vt quod in omniũ ſententia. De ipſa tamẽ, vt eſt vnita corpori eſt inter diſcipulos D. Th. diſceptatio. Mihi vtrumque poſſe dici videtur, ſubſiſtere ſcilicet, vt quo; & vt quod; magis tamen proprie ſubſiſtere, vt quo. Probatur: nam vt hic ad 2. ait D. Th. *Poteſt dici intelligens, ſicut oculus videt: ſed magis proprie dicitur, quod homo intelligit per animam*. Ergo eodem modo poterit dici animam intellectiuam ſubſiſtere, vt quod, ſed magis proprie dicetur, hominem ſubſiſtere per animam, hancq. eſſe id, quo homo ſubſiſtit: quia vt idem S. D. inquit hic in cor.ar. *Eo modo aliquid operatur, quo eſt*. Confirmatur creari, vt docet D. Tho. ſupra q. 45. art. 4. proprium eſt ſubſiſtentium, vt quod: nam formæ, quę ſolum, vt quo ſubſiſtunt, non creari, ſed concreari dicuntur; at anima rationalis propriè creatur; ergo aliquo modo eſt ſubſiſtens, vt quod, nempe, vt quod incompletum, & forma independens à materia in eſſe, fieri; & conſeruari, & in operatione eius propria.

Ad 4. reſpondetur negando antecedens. Ad 1. probationem dico, veram eſſe maiorem: nam in homine non ſunt plures exiſtentiæ, ſed vna dumtaxat, vt patet ex dictis ſupra q. 3. art. 4. Eſſe tamen ſeu exiſtentia primo conuenit animæ, & deinde communicatur toti compoſito. Vnde Diu. Thom. infra quæſtione 76. articul. 1. ad 1. ait: *Anima illud eſſe in quo ſubſiſtit, communicat materiæ corporali; ex qua, & anima intellectiua fit vnum, ita quod illud eſſe, quod totius cõpoſiti, eſt etiã ip-*

ſiui animæ : Quod non accidit in alijs formis, quæ no ſunt ſubſiſtentes. Et propter hoc anima humana remanet in ſuo eſſe destructo corpore : non autem aliæ formæ. Ex quo patet falſam eſſe minorem : licèt enim corpore mortuo deſinat eſſe homo, & eius natura ſcilicet humanitas ; non tamen perit eius exiſtentia, nec ſubſiſtentia, ſed apud animam manet, quę reſumpto corpore in reſurrectione, iterum humanitati exiſtentiam, & ſubſiſtentiam communicabit. Vnde in morte hominis exiſtentia, & ſubſiſtentia ſolum deſinit communicari, & eſſe exiſtentia, & ſubſiſtentia hominis, vt ſic formaliter; manet tamen quãtum ad entitatẽ, & vt exiſtentia, & ſubſiſtẽtia animę Ex quo colligitur neq; exiſtentiã, neq; ſubſiſtentiam animæ ſeparatę eſſe dicendã incompletam, & partialem, ſed ſolum terminare naturam incompletam; ſicut neque ſubſiſtentia Verbi diuini, qua ſubſiſtebat anima Chriſti in triduo mortis ſeparata à corpore, poteſt dici incompleta. Eadem eſt enim hominis, & animæ exiſtentia, & ſubſiſtentia, quæ vt eſt animæ denominat illam exiſtentem, & ſubſiſtentem incompletè vt verò eſt hominis, denominat illum complete exiſtentem, & ſubſiſtentem. Ad probationem ſecundæ partis antecedentis reſpondet D. Tho. hic ad 3. Animam pro hoc ſtatu pendere à phantaſmatibus ſolum tanquam ab obiecto ; indigere autem corpore tanquam obiecto non obſtat ſubſiſtentię, *Alioquin animal non eſſet aliquid ſubſiſtens, cum indigeat exterioribus ſenſibilibus ad ſentiendum.*

T Cir-

Circa articulum 3. & 4. & 5. nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Anima humana ſit corruptibilis.

Concluſio eſt negans.

Dubium ſit nè omnino certum animam humanam eſſe incorrcptibilem, & immortalem.

Pars negans probatur 1. ex illo Eccleſiaſtes 3. v. 19. *Vnus in tertius eſt hominis, & iumentorum, &c. Et nihil habet homo iumento ampliùs, &c. Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendit ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Si dicas cum D. Thom. hic ad 1. *Quod Salomon inducit rationem illam ex perſona inſipientium.* Contra hoc eſt, nam D. Hieron. & alij interpretes, ibi oppoſitum videtur ſentire, Salomonem, ſcilicet, ex propria ſententia verba illa protuliſſe.

Secundò. Anima humana eſt generabilis; ergo, & corruptibilis. Conſequentia patet ex Ariſt. lib. 1. de Cœlo; cap. 12. tex. 126. dicente, omne generabile eſſe corruptibile. Antecedens probatur: Tum, quia id videtur colligi ex illis verbis Gen. 12. v. 5. *Et animas*

quas

quas fecerant in Haran, & gen. 6. v. 26 *Cunctæ animę, quæ egreſſæ ſunt de fœmore illius.* Tum etiam, quia per generationem producitur vltima diſpoſitio ad formam hominis; ergo, & ipſa hominis forma, quæ anima eſt. Tum denique, quia anima, ſicut, & quælibet alia forma rei, quæ generatur, eſt terminus formalis generationis; ergo per eam producitur.

Tertiò Quia aliàs corruptio hominis non eſſet ſubſtantialis: ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Maior probatur: nam nec corrumperetur materia prima, cum hæc ſit incorruptibilis: nec forma, ſi anima eſſet immortalis; nec ad corruptionem ſubſtantialem ſufficit ſola deſitio vnionis, vt patet, ſi Deus naturam angelicam aſſumeret, & poſtea dimitteret; ergo, &c.

Dicendum tamen eſt 1. Certum eſſe ſecundum fidem, animam humanam eſſe incorruptibilem, & immortalem. Probatur 1. nam veritas hęc diffinita eſt in Concilio Lateran. ſub Leone X. his verbis: *Hoc ſacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe.* Probat autem Concilium immortalem eſſe, *Ex Euangelio, cum Dominus ait: Animam autem occidere non poſſunt. Et alibi: Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Et cum æterna præmia, & æterna ſupplicia pro meritis vitæ iudicandis repromittit, aliàs Incarnatio, & alia Chriſti myſteria nobis minimè profuiſſent, nec reſurrectio ſperanda foret, ac ſancti, & iuſti miſera*-

biliores eſſent iuxta Apoſtolorum cunctis hominibus.

Secundò probatur argumento quo Chriſtus Lucæ 20. v. 37. contra Sadducæos probauit reſurrectionem eſſe; *Quia verò reſurgant mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Iacob, Deus autem non eſt mortuorum, ſed viuorum: omnes enim viuunt ei,*

Tertiò. Quia ad inſinuandam hanc veritatem, vt notauit D. Gregor. lib. 35. moral. cap. 16. cum ſancto Iob, omnia quę habuerat ante percuſſionem, duplicia reddita fuiſſe dicatur Iob 42. v. 10. liberos tamen non niſi totidem quot antea habuerat accepit, ſcilicet ſeptem filios, & tres filias. *Vt & ij, qui extincti fuerant, viuere demonſtrarentur. Dum enim dicitur, addidit Dominus quæcumque fuerant Iob duplicia, & tamen totidem filios ei reſtituit, quot amiſit, & liberos dupliciter addidit cui decem poſtmodum in carne reſtituit, decem vero, qui amiſſi fuerant, in occulta animarum vita reſeruauit.* Confirmatur: nam in Scriptura ſacra ſæpe mors hominis ſomnus, & dormitio appellatur: brutorum vero mors nequaquam: hoc autem fit ad prædictam veritatem inſinuandam, nam, qui dormit viuit, & vt ait Propheta Pſalm. 40. *Nunquid qui dormit non adijciet, vt reſurgat?* Iumento autem extincto nihil eius, quod viuat manet; ergo &c.

Dicendum eſt 2. Ratione etiam naturali conſtare animam hominis eſſe incorruptibilem,

lem, & immortalem. Probatur 1. nam D. Chriſoſt. ſer. 4. de Prouid. & fato, tom 5. adeo manifeſtam eſſe docet hanc veritatem, vt dicat: *Illis quidem qui nihil poſt vitam hanc eſſe, animamque; noſtrã exingui putant, nullam reddendam eſſe rationem cenſemus: forte etiam ridiculum ſi contradicatur vtpote inſanientibus, & mente deſtitutis. Neque enim ſiquis in meridie eſſe diem ad dubitet, ac de confeſſis ab omnibus hæſitet eum oportet ſermonibus multis admonere & ad dogma illum trahere*: Et poſt pauca ſubdit, Gentiles, Iudæos, hæreticos, & cuiuſcunque alterius ſectæ homines certam habere huius dogmatis veritatem: eos verò, qui confitentur poſt hanc vitam futurum eſſe nihil, neceſſariò confiteri neque Deum eſſe. *Nam ſi Deus eſt, iuſtus eſt ſi iuſtus eſt iuxta merita vnicuique diſtribuit. Si autem nihil eſt poſt hanc vitam, vbinam accipient ſinguli pro ſuis meritis. Aduerte item quod multi hic bene habent, & in honore habentur, licet mali: alij autem affliguntur, licet iuſtè viuant, Si igitur poſt hac nihil eſt emigrabunt iuſti affecti iniuria, iniuſti immerito felicitate potiti: vbi manebit ergo iuſtitia?*

Secundo probatur ratione Diui Thomæ hic: Omne quod corrumpitur, aut corrumpitur per ſe, aut per accidens: ſed anima rationalis, nec per ſe, nec per accidens corrumpi poteſt: ergo non eſt corruptibilis. Minor probatur: anima humana eſt forma ſubſiſtens, vt probatum eſt art. 2. ſed forma ſubſiſtens non poteſt corrumpi per ſe, aut per accidens; ergo neque anima. Minor proba-

tur: nam non poſſe corrumpi per accidens ad corruptionem alterius, ſicut accidens, & formæ materiales corrumpuntur ad corruptionem compoſitorum patet, *Sit enim compe- tit alicui generari, & corrumpi ſicut, & eſſe, quod per generationem acquiritur, & per corruptionem amittitur. Vndè, quod per ſe habet eſſe nō poteſt generari, vel corrūpi niſi per ſe.* Forma autem ſubſiſtens habet eſſe per ſe; ergo non poteſt corrumpi per accidens, ſed ſi corrūpitur per ſe, corrumpi neceſſe eſt. Per ſe autem non poſſe corrumpi, ita oſtendo: corruptio fit per ſeparationem formæ à materia, vel alicuius eſſe à ſubiecto, hoc manente, ſi enim nihil manet non corruptio, ſed anihilatio erit, ſed in forma ſubſiſtente nequit eſſe huiuſmodi ſeparatio; ergo neque corruptio. Minor probatur: nam in tali forma cum ſit incorporea, nulla eſt materia. Eſſe autem licèt poſſit ſimul cum illa deſtrui, non tamen ab ea ſeparari, ita, vt aliquid talis formę maneat; nam eſſe conuenit tali formę ſecundum ſe, hoc eſt non media alia forma, aut actione diſtincta ab ea, per quam eſt; ergo inſeparabile eſt ab ea actione, qua non deſtruatur ipſa forma, ſed aliquid eius maneat, quid enim hoc eſſet, quod maneret, & qua exiſtentia exiſteret eſſe formæ deſtructo? An vero formę ſubſiſtentes ſint etiam incorruptibiles reſpectu potentiæ Dei, dictum eſt ſupra q 50 ar. 5.

Ad 1. verò reſpondetur: optimam eſſe ſolutionem D. Thomæ, quæ eſt etiam D Greg. lib. 4. Dialog. cap. 4. vbi ait: *Hic liber idcirco concionator dicitur, quia Salomon in eo quaſi tu-*

mul-

multuantis turbæ ſuſcipit ſenſum, vt ea per inquiſitionem dicat, quæ fortaſſe per tentationem imperita mens ſentiat. Nam quot ſententias quaſi per inquiſitionem mouet, quaſi tot in ſe perſonas diuerſorum ſuſcipit. Et inferius. *Velut ex mente infirmantium humanæ ſuſpicionis ſententiam proponit dum dicit: vnus interitus eſt hominis, & iumentorum, &c.* Hoc verum eſſe colligitur ex verſu præcedente, *Dixi in corde meo de filijs hominum*, hoc eſt, non ex me, aut ex propria ſententia, ſed ex mente hominũ impiorum. Vnde quidam vertunt: *Secundum rationem filiorum hominis*. Alij: *Super loquela filiorum hominis*: Quaſi dicat: quæ ſequuntur, non dico ſecundum meam mentem, ſed ſecundum rationem humanam, & ſenſum inſipientium, & impiorum. D Hieronym. verò his non aduerſatur, ſed oſtendit, etiam ſi Salomon ex propria ſententia verba illa protuliſſet, non indicaſſe animam mortalem eſſe. *Hoc autem dicit, non quod animam putet perire cum corpore* ait Hieron. & inferius: *Non inter pecudes, & hominẽ ſecundũ animę dignitatem nihil intereſſe contendit: ſed adijciendo quis, difficultatem rei voluit demonſtrare. Pronomen enim, quis in Scripturis ſanctis non pro impoſſibili, ſed pro difficili ſemper accipitur.* Ex quo colligo non rectè quoſdam ex verbis Eccleſiaſtes intuliſſe, non poſſe naturali ratione demonſtrari animæ rationalis immortalitatem; ex illis enim ad ſummum inferri poteſt id eſſe difficilè. Impoſſibile autem penitus non eſſe patet: nam cum immortalitas ex ſua natura animæ rationali cõ-

ueniat, non poteſt non habere medium naturale, quo à priori, vel ſaltem à poſteriori demonſtretur, Quod ratio naturalis aſſequi non poteſt, & ſcire nequit, niſi vir aliquis Eccleſiaſticus, & diſciplinis cœleſtibus eruditus certus aſſertor ſit (vt D. Hieronym. loquitur) eſt, an ſpiritus hominis aſcendat ſurſum, hoc eſt in cœlum, ibique Dei Eſſentiam videat, ac beatitudine ſupernaturali perfruatur.

Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens; ait namque Ariſt. lib. 2. de generatione animalium, cap 3. *Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis*. Vide Ferrarienſem 2. contra gentes, cap. 79. vbi multis oſtendit Ariſtotelem animam humanam poſuiſſe immortalem. Ad primam probationem cum D. Thoma infra quæſt. 118. art. 2. ad primum reſpondetur; *Quod in auctoritate illa ponitur per ſynedochen pars pro toto, id eſt anima pro toto homine*. Ad ſecundam probationem dico, per generationem ſolum produci vltimam diſpoſitionem ad vnionem animæ rationalis cum corpore; hancque vnionem, ac proinde hominem, qui ex ea reſultat, per generationem produci, non animam rationalem, quæ à Deo immediatè creatur ex nihilo. Ad tertiam probationem dico, animam rationalem ſecundum ſuam entitatem, & ſuum eſſe eſſe terminum creationis; terminum autem generationis formalem non eſſe niſi quoad in eſſe, vel vnionem. Vel inquit Caietanus in-

fra

ſra quæſt. 118 art. 2. circa ſolutionem quarti: *Si propriè loqui volumus, anima ipſa eſt terminus creationis: vnio vero animæ, & corporis eſt terminus generationis.* Vel potius humanitas, quæ ex tali vnione reſultat eſt terminus formalis quo generationis, homo verò ipſe terminus totalis qui.

Ad tertium reſpondetur negando minorem. Ad probationem dico: licèt nec materia, nec forma corrumpatur, corruptionem hominis eſſe ſubſtantialem: quia ſubſtantia hominis, quę ex vnione materiæ, & formæ reſultat, eiuſque natura ſcilicet humanitas diſſoluitur per vtriuſque partis ſeparationem. Exemplum autem adductum in argumento non eſt ſimile: nam ex natura diuina, & angelica non reſultaret tertia natura, vel eſſentia ex illis compoſita, ſed ſuppoſitum compoſitum, quod per dimiſſionem naturæ angelicæ deſineret eſſe angelicum, & compoſitum.

Circa articulum ſeptimum nihil ſe offert dicendum.

QVAESTIO LXXVI.

De vnione animæ ad corpus.

ARTICVLVS I.

Vtrum intellectiuum principium vniatur corpori vt forma.

Concluſio eſt affirmans.

DEfinita eſt hæc veritas in Cócilio Vienneuſi à Clemente Quinto his verbis. Doctrinam omnem, ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectiuæ verè, & per ſe humani corporis non ſit forma: velut erroneam, ac veritati Catholicæ inimicam fidei, prædicto ſacro approbante Concilio, reprobamus. Definientes, quod quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, ſeu intellectiua, non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus. Hæc Concilium. Vide Clementinam vnicam de ſumma Trinit. §. *Porrò*, & ibi gloſſam, quæ tandem lectorem remittit ad hunc locum ſummæ D. Thomæ.

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum intellectiuum principium multipliciter ſecundum multiplicationem corporum.

Concluſio eſt affirmans.

HAec etiam veritas definita eſt in Concilio Lateranenſi à Leone X his verbis; Hoc ſacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes; cum illa non ſolum verè per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in canone fœlicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri, in generali Viennenſi Concilio edito continetur, verum, & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit. Hæc Concilium.

ARTICVLVS III.

Vtrum præter animam intellectiuam ſint in homine aliæ animæ per eſſentiam differentes.

Concluſio eſt negans.

ADeo certa eſt, vt opinio aſſerens in homine eſſe duas animas diſtinctas, intellectiuã, & ſenſitiuam maximè temeraria cenſeatur; ex illa enim ſequeretur in Chriſti morte aliquam eius animam, nempè ſenſitiuam interijſſe: ſicque aliquid quod Verbum diuinum aſſumpſit, dimiſiſſe, nam anima, quæ ſolum eſt ſenſitiua, non poteſt à corpore ſeparata manere: in corpore autem Chriſti non manſiſſe conſtat, aliàs mortuum non fuiſſet. Nec obſtat, quod dicitur 1. ad Theſſal. 5. v. 23. *Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus.* Nam in Concilio Francofordienſi in Libello ſacroſyllabo occaſione horum verborum quæritur: *Nunquid aliud eſt ſpiritus, & aliud anima?* Et reſpondetur; *Non diuiſit ſubſtantias ſed dignitatem diſtinxit.* D. Thom. etiam locum Pauli explicans inquit: *Non differt ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum potentiam.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum in homine ſit alia forma præter animam intellectiuam.

Concluſio eſt negans.

HAec non eſt tam certa ſicut concluſio præcedentis articuli: Scoto namque putat in homine præter animam intellectiuam eſſe aliam formam ſcilicet corporeitatis. Contra illum tamen militant rationes præcedentis, & præſentis articuli, quas optimè explicat Caiet. qui, & ad argumenta reſpondet Scoti hic §. *In reſponſione ad primum*.

Dubium. An anima intellectiua contineat formaliter eminenter animam ſenſitiuam, & vegetatiuam, & omnes inferiores formas.

DVæ ſunt de hac re extremæ ſententiæ: Prima eſt, animam intellectiuam non formaliter, ſed ſolum virtualiter continere prædicatas animas, & formas. Probatur primò ex Diuo Thoma: nam articulo præcedente ait: *Ariſtoteles in ſecundo de Anima comparat diuerſas animas ſpeciebus figurarum, quarum vna continet aliam: ſicut pentagonum continet tetragonum, & excedit. Sic igitur anima intellectiua continet in ſua virtute quicquid*

habet

habet anima ſenſitiua brutorum, & nutritiua plantarum. Et in hoc articulo inquit: *Nulla alia forma ſubſtantialis eſt in homine niſi ſola anima intellectiua, & ipſa ſicut virtute continet animam ſenſitiuam, & nutritiuam, ita virtute continet omnes inferiores formas*. Sentit ergo tam ipſe quam Ariſtoteles animam intellectiuam ſolum virtualiter continere animas, & formas inferiores, ſicut ſolum hoc modo, & non formaliter vna ſpecies figurarum continet aliam.

Secundo. Rationale formaliter ſumptum non includit formaliter ſenſibile, nec ſenſibile vegetabile: nam differentię inferiores formaliter ſumptæ non continent ſuperiores; ergo neque anima rationalis formaliter conſiderata continebit ſenſitiuam, nec ſenſitiua vegetatiuam.

Tertiò. Anima formaliter ſenſitiua, & vegetatiua eſt materialis ſicut, & operationes, quarum eſt principium: ſed anima rationalis non eſt formaliter materialis; ergo non eſt formaliter vegetatiua, & ſenſitiua.

Secunda ſententia eſt animam intellectiuam omnes prædictas animas, & formas continere formaliter eminenter. Probatur 1. ex D. Th. q. de Anima, ar. 11. vbi ſic ait: *Anima rationalis dat corpori humano quicquid dat anima ſenſibilis bruto, vegetabilis plantæ, & vlterius aliquid. Et propter hoc ipſa eſt in homine, & vegetabilis, & ſenſibilis, & rationalis*. Ergo ſentit etiam formaliter eſſe talem.

Secundò. Anima rationalis tribuit homini eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum, & cor-

po-

poreum formaliter; ergo ipſa eſt formaliter vegetatiua, & ſenſitiua, & corporea. Probatur conſequentia: quia nihil poteſt eſſe formaliter tale, niſi à forma quæ ſit formaliter talis, vnde, quia lux ſolis, ſolum virtualiter continet calorem, non tribuit ſoli eſſe formaliter calidum; forma enim non cauſat niſi per exhibitionem ſuæ propriæ entitatis, atque adeò dando ſuum eſſe eo modo, quo illum habet, ſicque ſi ſolum habet virtualiter, ſolum tribuit ſubiecto, vt illud habeat virtualiter.

Tertio, ſi anima rationalis ſolum virtualiter contineret prædictas formas, deberet habere aliquod eſſe formale, ratione cuius eas contineret: ſed non habet; ergo, &c. Probatur minor: nam neque hoc eſt ratio aliqua communis, nec ratio differentialis animę rationalis.

Dicendum tamen eſt primo. Animam rationalem formaliter eminenter eſſe ſenſitiuam, & vegetatiuam. Probatur: Anima rationalis has duas rationes ſenſitiuæ, & vegetatiuæ habet formaliter, & vnitas in ratione vtrique ſuperiori ſcilicet rationalis, ergo eſt formaliter eminenter vegetatiua, & ſenſitiua. Conſequentia patet, & ſupra qu. 1. art. 4 exemplis probata eſt. Antecedens probatur: quidem has duas rationes habere vnitas in ratione ſuperiori conſtat, continere vero illas formaliter probatur. Tum argumentis ſecundæ ſententię. Tum etiam, quia eſſe ſenſitiuam, & vegetatiuam formaliter, nihil aliud eſt, quam eſſe principium primi

vegetandi, & ſentiendi: ſed anima rationalis eſt formaliter principium primum vegetandi, & ſentiendi; ergo eſt formaliter ſenſitiua. Tum denique, quia vt ait D. Thom. q. de Anima, ar 11. ad 19. *Sicut animal inquantum animal, neque eſt rationale, neque irrationale, ſed ipſum animal rationale eſt homo: animal vero irrationale eſt animal brutum: ita anima ſenſibilis in quantum huiuſmodi, neque rationalis, neque irrationalis eſt, ſed ipſa anima ſenſibilis. In homine eſt rationalis, in bruto vero irrationalis.* Ergo ſicut animal rationale, vel homo formaliter eſt animal: ita anima rationalis formaliter eſt ſenſitiua.

Hinc ſequitur animam rationalem contrahere eſſentialiter ſenſitiuam, & vegetatiuam per ſpecialem modum ſentiendi, & vegetandi, perquem diſtinguitur ab alijs animabus ſenſitiuis, & vegetatiuis; hoc enim modo animal rationale, ſeu homo contrahit rationem animalis, & viuentis. Vnde D.Th. loco proximo citato ad 12. ait: *Anima ſenſibilis eſt nobilior in homine, quam in alijs animalibus, quia in homine non tantum ſenſibilis eſt, ſed etiam rationalis.* Et ad 14. *Si anima ſenſibilis, quæ eſt in brutis, & anima ſenſibilis, quæ eſt in homine, collocarentur ſecundum ſe in genere, vel ſpecie, non eſſent vnius generis.* Et ad 15. *Anima ſenſibilis in homine non eſt anima irrationalis, ſed eſt anima ſenſibilis, & rationalis ſimul.*

Dicendum eſt ſecundò: Animam rationalem nullo modo eſſe formaliter corporeã, ſed ſolum virtualiter. Probant hoc argumenta

ta primæ ſententiæ, docetque expreſsè Caiet. hic.

Secundò probatur: Anima rationalis eſt formaliter incorporea, & ſpiritualis, ergo nullo modo eſt formaliter corporea. Si dicas eſſe formaliter incorpoream, vt quod, formaliter tamen corpoream, vt, quo, qui eſt, id quo homo eſt corporeus. Contra hoc eſt, Tum, quia hæc eſt abſurdiſſima loquutio, ſicut, & ſi diceretur, anima eſt homo, vt quo. Tum etiam, quia quod eſt tale etiam, vt quo, abſolutè poteſt dici tale, ſicut eadem anima abſolute, & abſque addito dicitur ſenſitiua, & vegetatiua: quis autem abſolutè dicat animam rationalem eſſe corpoream? Tum denique, quia licet animæ rationali formaliter conueniat ratio vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, ſcilicet eſſe principium vegetandi, & ſentiendi quod, tam principio quod, quam quo, eſt commune, ratio tamen corporei nempè corporeitas, vel capacitas dimenſionum nullo modo conuenit animæ rationali formaliter, ergo nullo modo eſt dicenda formaliter corporea etiam, vt quo, nam eſſet formaliter ipſa corporeitas.

Tertio probatur: vt anima rationalis det homini eſſe corporeum, non opus eſt ipſam eſſe formaliter corpoream ſed ſatis eſt eſſe talem virtualiter, ergo nullo modo eſt dicenda formaliter corporea. Antecedens probatur, eſſe corporeum eſt effectus formalis animæ. ſed vt forma communicet ſuum effectũ formalem, non requiritur hunc eſſe formaliter in illa, ſed ſatis eſt, vt ſit in illa virtuali-

ter

ter tanquam ſcilicet in ſua cauſa; ergo licèt anima rationalis non ſit formaliter corporea, ſed ſolum virtualiter poterit dare homini eſſe formaliter corporeum: ſicut licèt albedo non ſit formaliter alba, dat eſſe formaliter album parieti.

☞ Ad 1. verò primæ ſententiæ reſpondetur: animam rationalem continere quidem in ſua virtute, & eminenter ſenſitiuam, & vegetatiuam; non tamen ſolum, ſed etiam formaliter. Neque obſtat exemplum ſpecierum figurarum; nam ſimilitudo non debet in omnibus tenere, ſed ſatis eſt, vt teneat quantum ad continentiam eminentem in ratione ſuperiori. Reſpectu tamen corporeitatis in omnibus tenet. Vnde: *Sicut ſuperficies, quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram eſt tetragona, & per aliam pentagona, quia ſuperflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur*; vt inquit D. Thomas articulo præcedenti, licet figura pentagona non contineat tetragonam formaliter: ita licèt anima rationalis non ſit formaliter corporea, non per aliam formam Petrus eſt homo, & per aliam animal, aut corpus, ſed per vnam, & eandem; quia ſuperflueret formalis corporeitas, ex quo in anima continetur virtualiter tanquam in forma ſuperiori.

Ad ſecundum reſpondetur; licet rationale ſumptum cum præciſione quatenus denotat ſolam differentiam hominis, non includat formaliter ſenſibile; vt ſic, quatenus dicit differentiam animalis; ſi tamen ſumatur ſenſibile, quatenus denotant ſpecialem modum

ſen-

ſenſibilitatis prouenientem à ſola anima rationali, vt tali, in rationali includitur: nam eſt tale ſenſibile, quod ſimul eſt rationale: & eodem modo anima ſenſibilis in homine eſt etiam rationalis, vt diximus cum D. Th. con. 1. Vel reſpondetur longè diuerſam eſſe rationem de differentijs, ac de formis: nam differentiæ inferiores, cum ſint primo diuerſæ, & ſeipſis differunt, & in nullo conueniunt vniuocè conuenirent autem ſi formaliter continerent ſuperiores. Item differentiæ formaliter ſumptæ important præciſionem, & formalitatem quandam rationis ſcilicet conſtituentis, & diſtinguentis ab alijs id cuius ſũt differentiæ:& quia ratio conſtituens hominẽ,& diſtinguens illũ ab alijs nõ eſt ratio cõſtituens animal illudq; ab alijs diſtinguens, ideo differentia hominis,quę eſt inferior non dicitur continere formaliter differentiam animalis,quæ eſt ſuperior. Si autem abſque hac præciſione, & formalitate accipiantur differentię, idempticeque, ac materialiter, & quantum ad id, quod ſunt ſumantur, vt ait Flandria 7. Metaph q. 24. art. 6. differentię inferiores ſuperiores includunt, ac continent eſſentialiter. Vnde Ariſt. 7. Metaph. cap. 12. ſect. 12. apud D. Thomam hanc propoſitionem. *Sciſſio pedes pedalitas quædam eſt*, in qua differentia ſuperior nempe pedalitas, ſeu habere pedes prædicatur de differentia inferiori nempe ſciſſione pedis,ſeu habere pedes ſciſſos veram, & per ſe eſſe dicit, & D. Thom. ibidem ait de differentia loquens: *Quod vltima includat omnes præcedentes*. At formæ phyſicę

ſicę nec ſunt primo diuerſę, nec prædictam præciſionem, & formalitatem important, & ideo inferiores poſſunt formaliter includere ſuperiores, vt patet in albedine, quæ formaliter eſt color, & qualitas.

Ad 3. reſpondetur: animam, quę ſolum eſt ſenſitiua, aut vegetatiua eſſe materialem, & corruptibilem, quæ tamen ſimul eſt rationalis, immaterialis; & incorruptibilis. Vnde D Tho. q. de Anima, art. 11. ad 13. ait: *Anima ſenſibilis in homine ſecundum ſubſtantiã eſt incorruptibilis, cum eius ſubſtantia, ſit ſubſtantia animæ rationalis.* Nec obſtat operationes eſſe materiales, nam forma ſpiritualis poteſt eſſe principium materialis, & corporeę operationis, vt Angelus motus localis, vel illuminationis. Si operationes materiales in anima reciperentur, illam materialem eſſe oporteret, id tamen non requirit vt principium radicale ſit operationum materialium in corpore receptarum, vel medijs organis, aut potentijs corporis productarum.

Ad primum ſecundæ ſententię reſpondetur probare noſtram primam concluſionem.

Ad 2. quatenus eſt contra noſtram ſecundam concluſionem, reſpondetur negando conſequentiam de eſſe corporeo. Ad probationẽ dico continentiam eminentialẽ, ſeu virtualem eſſe duplicem: nempe cauſæ efficientis, & cauſæ formalis. Et licèt, quod eminenter continet aliud tanquam cauſa efficiens non poſſit tribuere tale eſſe, vt patet in exemplo lucis adducto, quæ quia ſolum

vir-

virtualiter continet calorem tanquam cauſa efficiens, & virtus media, qua ſol calorem producit, non poteſt tribuere ſoli eſſe formaliter calidum. Quod tamen continet aliud virtualiter tanquam cauſa formalis, optimè poteſt tribuere alteri eſſe formaliter tale., vt patet in exemplo adducto a D. Tho. art. præced. de figura pentagona; quę licèt ſolum virtualiter ſit tetragona, ſuperficiei tamen in qua eſt, tribuit eſſe formaliter tetragonam. Nec eſt verum formam non dare niſi eſſe, quod in ſe habet formaliter, immo potius eſſe, quod dat ſolum in ipſa continetur, vt effectus in cauſa, & ſic virtualiter ſolum.

Ad tertium reſpondetur negando minorē; continet enim anima rationalis formas inferiores, aut formaliter, aut virtualiter in ratione rationalis, quę eſt ratio ſuperior: ſicut enim teſtibus Ariſtotele, & D. Thoma 2. de Anima, cap. 3. lect. 5. in figuris prior, & imperfectior continetur in poſteriori, & perfectiori, vt in tetragono trigonum, ita & in formis imperfectior continetur in perfectiori.

Circa articulum 5. 6. & 7. nihil ſe offert dicendum.

Vtrum anima ſit tota in qualibet parte corporis.

Concluſio eſt affirmans.

QVę de anima rationali adeo certa eſt, vt Durandus in 1. d. 8. in 2. parte diſtinctionis q. 3. in fine dixerit, eadem fide, qua tenemus animam eſſe incorporeã, & incorruptibilem, tenendum eſſe ipſam nõ eſſe extenſam, ac per conſequens totam in qualibet parte corporis. Alijs ſolum videtur concluſio ita certa, vt eius oppoſitum ſit temerarium.

Dubium 1. Sit nè anima in qualibet parte corporis.

PArs negans probatur primo; Anima non eſt in vnguibus, & capillis; ergo non eſt in omnibus partibus corporis. Antecedens probatur; Tum, quia fiunt ex cibi excrementis. Tum etiam, quia eodem modo creſcunt in homine mortuo, ac in viuo, & in hoc non augentur ſecundum omnem dimenſionem, ſicut ea, quæ ab intrinſeco, & ab anima augentur, ſed ſolum ſecundum longitudinem, & in eorum abſciſſione nullus ſentitur dolor. Tum denique, quia in Chriſto eſſent vniti Verbo diuino, ſicque etiam abſciſſi manſiſſent eidem verbo vniti, nam quod

ſemel

ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit: ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Secundò. Anima non eſt in ſanguine; ergo neque in omnibus partibus corporis. Antecedens probatur: Tum, quia eſt alimentum animalis: alimentum autem non informatur anima, vt docet Ariſt. lib. 1. de generatione, tex. 2. & 38. & lib 3 de Anima, tex. 45. & patet, nam tranſmutatio alimenti in ſubſtantiam aliti non eſt à viuente in viuens, aliàs naturam aliti haberet alimentum, antequam in illud conuerteretur. Tum etiam, quia, vt ait Ariſtot. lib. 2 de partibus animalium, cap. 3. *Non enim ſanguis continuus carni, neque cognatus eſt, ſed in corde, ac venis quaſi in vaſe continetur*: Quod autem non eſt continuum cum reliquis partibus corporis viui, non informatur anima. Tum denique, nam ſanguis fluens à vena in vas idem omnino eſt: ſed extra venam non informatur anima; ergo neque intra.

Dicendum tamen eſt 1. Animam in qualibet parte corporis eſſe. Probatur cum D. Thom. hic: Anima eſt forma ſubſtantialis corporis, ergo eſt forma, & actus non ſolum totius, ſed etiam cuiuslibet partis. Probatur conſequentia, quia forma totius, quæ non dat eſſe ſingulis partibus, accidentalis eſt, vt patet in forma domus. Confirmatur 1. recedente anima, ſicut non dicitur homo, vel animal, niſi æquiuocè, ſicut, & homo, vel animal, pictum, vel lapideum: ita nec dicitur manus, & oculus, aut caro, & os niſi æquiuocè, vt ait Ariſt. lib. 2. de Anima,

tex.

tex.9. ergo ſicut anima erat in toto, ita, & in qualibet parte. Confirmatur 2. Nulla pars corporis habet proprium opus anima recedente; ergo ſignum eſt anima in qualibet parte corporis eſſe.

Dicendum eſt 2. Non ſolum carnem, & oſſa, neruos, & arterias, & quæ ex his conſtant, vt caput, manus, &c. eſſe corporis partes, in quibus eſt anima; ſed etiam ſanguinē, & vngues, & capillos; non tamen ſemen, nec lac.

In ſanguine eſſe animam colligitur ex illo Leuit. 17 v. 14. *Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt*. Et ex Concilio Trident. ſeſ. 13. c. 3. dicente, Animam Chriſti. *Vi naturalis connexionis, & concomitantiæ qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur*, eſſe ſub ſpecie vini, ſub qua eſſe ſanguis Chriſti ex vi verborum; aperte inſinuans ſanguinem partem eſſe naturæ humanę animę vnitam, & ab ea informatam. Idem inſinuant Innocentius III. in quadam extrauagante de celebratione Miſſarum, & Caius Papa in decretali ad Felicem. Colligitur etiam ex D Thom. in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 3 vbi ait: *Continentur inter partes corporis ſanguis, & alÿ humores, & ideo reſurgent cum alÿs partibus*. Et ad 3. inquit. quatuor humores in homine ſe habere ſicut elementa in vniuerſo. Et 3. parte, q. 5 art. 2 dicit Dei filium aſſumpſiſſe carnem, & ſanguinem. Et q. 6. art. 1. inquit carnem aſſumptam fuiſſe mediante anima per quam habet eſſe carnem humanam, & idem eſt de ſanguine. Et q. 54. ar. 2 ait; *Ad naturam corporis humani*

per

pertinent carnes, oſſa, & ſanguis.

Probatur deinde ratione: Vita, & in quibus anima ſit, deprehenditur ex motu; ſed, vt patet experientia, & docet Ariſt. lib. 3. de Hiſtoria animalium, cap. 19. *Palpitat intra venas ſanguis omnium animalium, pulſuque ſimul vndique mouetur*; ergo pulſus motu, ſicut corporis, ita, & ſui vitam. & animationem indicat. Vndè ibidem ſubdit Ariſt. *Et ſemper quamdiù vita ſeruatur, ſanguis vnus animatur, & feruet.*

Intelligendum tamen hoc eſt de ſanguine naturali, qui per ſe ad integritatem humanæ naturę requiritur: nam ſanguis nutrimentalis parum decoctus, ac depuratus, qui veram rationem ſanguinis non habet, quamuis illi ſimilis videatur, ſicut non pertinet ad integritatem naturæ humanę, vt docet D. Tho. quodlib. 5. art. 5. ita nec anima informatur.

Vngues etiam, & capillos partes eſſe, in quibus eſt anima patet ex D. Tho. in 4. d. 44. q. 1 art. 1 q. 2. vbi ſic habet: *Sicut folia sunt ad cooperimentum fructuum, ita etiam capilli, & vngues sunt in homine ad cuſtodiam aliarum partium, vndè sunt de ſecunda perfectione corporis humani, quamuis non de prima.* Et ad 3. a. r: *Capilli, & vngues nutriuntur, & augentur, & ſic patet, quod aliquam operationem participant, quod non poſſet eſſe, niſi eſſent partes aliquo modo ab anima perfectę.* Capillos nutriri, & creſcere ab intrinſeco indicant fibræ, ſeu venulæ, quæ in capillorum radicibus apparent, per quas cum carne continuantur, & alimentum ſugũt ergo non minus, quam folia arborum viuunt.

Semen verò, & lac non eſſe partes in quibus eſt anima, colligitur ex D. Thom. in 4. d. 44. q. 1 art. 2. q. 2. ad 2. & q. 3. vbi docet ſemen, & lac non eſſe de perfectione indiuidui vndè non reſurgent, & q. 5. de Potentia, ar. 9 ad 9 ait: *In ſemine à principio ſuę deciſionis non eſt anima, ſed virtus animæ.*

Si obijcias, Ariſt. lib. 1. de Hiſtoria animalium cap. 1 inter partes ſimilares, aut molles animalium numerare *Semen genitale, fel, lac.* Reſpondetur ibi etiam numcrare *Excrementa omnia, vt priuilegia, & ſedimenta alui.* Vndè per partes intelligit quęcunque in corpore continentur, etiam ſi animata non ſint.

Si obijcias præterea fœminas nutrices, & homines luxurioſos emiſſione ſeminis, & lactis extenuari, & debilitari. Reſpondetur: hoc ideo fieri, quia alimentum, quod in ſubſtantiam aliti erat conuertendum, in ſemen, & lac conuertitur, non quia hæc pertineant ad indiuidui integritatem, aut ſint partes illius.

Ad primum verò eorum quę facta ſunt in principio, reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem dico; alimentum, quo nutriuntur, & augentur vngues, & capilli, licet impurius ſit eo quo nutriuntur aliæ partes; non tamen eſſe excrementum, ſicut ſunt ſuperfluitates cibi ex quibus generatur vrina, ſudor, & ſaliua: nam, vt ait D. Thom. in 4 d. 44. q. 1. art. 2. q. 2. ad 1. *Illę ſuperfluitates expelluntur à natura quaſi ad nihil vtiles, vnde non pertinent ad perfectionem corporis humani: ſecus autem eſt de alijs ſuperfluitatibus,*

bus, quas ſibi natura retinet ad generationẽ capillorum, & vnguiũ, quibus indiget ad membrorum conſeruationẽ. Ad 2. probationem dico, falſum eſſe eodẽ modo creſcere in homine mortuo capillos: nam in hoc, vel non creſcunt, licet excreuiſſe videantur ob extenuationem aliarum partium: vel ſi creſcunt, non ab intrinſeco, ſed per iuxta poſitionem, vt lapides, & mineralia creſcunt. Falſum etiam eſt in homine viuo non creſcere ſecundum omnem dimenſionem, ſeruata tamen debita proportione; vnde quoſdam capillos videmus alijs craſſiores. Dolor verò in illorũ abſciſſione non ſentitur, quia ſolum accipiunt ab anima eſſe vegetatiuum, non ſenſitiuum. Ad tertiam probationem dico, illam Theologorum maximam. Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, intelligendum eſſe de partibus pręcipuis humanitatis, quales ſunt anima, & corpus, non de alijs minus pręcipuis quales ſunt capilli, & vngues; has enim: ſicut abſciſſas deſijt informare anima, ita, & Verbum dimiſit.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, negando antecedens. Ad primam probationem dico, Ariſt. ibi loqui de alimento non plenè decocto; qualis eſt ſanguis nutrimentalis. Vel ſi loquatur de plenè decocto alimento, qualis eſt ſanguis naturalis, intelligitur, non informari anima, ſecundum vltimum gradum quo informat partes alias. Nec eſt inconueniens, transmutationem talis alimenti eſſe à viuenti in viuens, & non eſſe ſubſtantialem cum omni rigore, qualis

eſt ſanguinis nutrimentalis, ſed ſolum ab vno gradu ſubſtantiali ad alium ſuperiorem ab eadem anima prouenientem. Ad 2. probationem dico: ſanguinem, licèt non immediatè continuetur cum carne, vt probat citatũ teſtimonium Ariſtotelis; continuari tamen mediatè: nam ſanguis habet quaſdam partes craſſiores, quas medici fibras vocant, & ſanguis cum illis continuatur, & fibræ continuantur venis, & venæ.

Ad tertiam probationem dico, non eſſe eundem ſanguinem, qui eſt in vaſe, & intra venam, quando hæc ſcinditur. Et quamuis ſanguis fluens, & iam extra exiſtens continuus alteri videatur, reuera non eſt, ſed continguus; ſicut nec pars mortua corporis animalis continuatur cum alia parte adhuc viuente.

Dubium 2. Vtrum animam qualibet parte corporis ſit tota.

PArs negās probatur 1. Si in qualibet parte corporis eſſet tota anima, in qualibet parte corporis eſſet omnes eius potentiæ: ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Minor patet: nam potentia viſiua non eſt in manibus, nec intellectiua in pedibus. Maior probatur: potentiæ, aut immediatè ſubiectantur in eſſentia animæ, vt intellectus, & voluntas, aut in ipſa radicantur, vt viſus, auditus, &c. ſed accidentia ſunt, vbi eſt eorum ſubiectum, aut radix, nec ab illo ſeparantur; ergo &c.

Secundò. Caput abſciſſum à reliquo corpore,

pore, per aliquod tempus ſeipſum mouet vt compertum eſt in multis, qui decollantur: ergo viuit, ac proinde ſicut arboris anima non eſt tota, ſed pars in parte, quia in ramo ab arbore præciſo manet, ita, & anima hominis. Confirmatur: experientia conſtat, naſum abſciſſum, ſi ſtatim homini iungatur, facta illius conſolidatione viuere, & ſi pungatur acù ſentire ſicut antea; ergo ſignum eſt tempore illo paruo, quo fuit à corpore diuiſus, non amiſiſſe animam.

Tertiò. Quia aliàs ſequeretur, animam ſimul moueri motibus contrarijs, quando ſcilicet homo eleuat vnam manum, & alteram dimittit; ſimul etiam quieſcere, & moueri, cum ſcilicet quis manum mouet reliquo corpore quieſcente: ſed hęc ſunt abſurda; ergo &c. Confirmatur; cum manus homini abſcinditur, anima, quę illam informabat, non retrahitur ad alias partes; ergo cum non corrumpatur, nec maneat à corpore ſeparata, in manu prę ſciſſa eſt.

Quartò. Anima irrationabilium animaliū quantumuis perfectorum eſt corporea, & materialis; ergo, & diuiſibilis, & extenſa, ac proinde non tota in qualibet parte corporis, ſed pars in parte. Confirmatur: Animę prędictorum animalium non habent operationem aliquam, quæ non ſit extenſa, & diuiſibilis, producuntur etiam per actionem diuiſibilem; ergo diuiſibiles, & extenſę ſunt.

Quintò. Anima prædictorum animalium educitur de potentia materię quantę, & diuiſibilis; ergo ipſa quoque erit quanta, & di-

uiſibilis per accidens, & non tota in qualibet parte. Probatur conſequentia: quia aliàs tota ipſa educeretur de qualibet parte, tota ſcilicet de materia pedis, &c. quod videtur abſurdum. Confirmatur: dum Equus nutritur acquirit nouam partem materię; ergo noua pars animæ de potentia talis materiæ educitur; anima enim, quę prçexiſtebat non educitur de potentia talis materię, nec informare poteſt materiam, de cuius potentia non eſt educta.

Dicendum tamen eſt: Animam non ſolum hominis, ſed etiam omnium animalium perfectorum eſſe totam in qualibet parte corporis. De anima hominis, quæ ſpiritualis eſt, hoc certiſſimum eſt, aſſeriturque à D. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 6. vbi ſic ait: *Creatura ſpiritualis ſicut eſt anima, &c non mole diffunditur per ſpatium loci, ſed in vna quoque corpore, & in toto tota eſt, & in qualibet eius parte tota eſt.*

De anima aliorum perfectorum animaliũ probatur, ſupponendo priùs nomine perfectorum animalium illa eſſe intelligenda; quorum partes ſeparatæ à toto non viuunt, vt leo, Equus, & ſimilia. Imperfecta verò animalia vocantur quorum partes deciſe viuunt, vt lacertæ, formicæ, veſpæ, &c. *Vt enim* (ait Ariſt. lib. 2. de Anima text. 20. lect. 4. apud D. Thom.) *in plantis ſunt quæ cum ſecantur, & pars ab alia ſeparatur, videantur viuere, vtpotè cum anima, quæ in eis eſt, vna in vnaquaque planta ſit, potentia vero plures: ſic etiam in alijs animæ differentijs videmus*

mus

mus fieri, vt in ijs inſectis quæ inciduntur; etenim ſenſum vtraque partium habet, *& motum loci*. Hoc ſuppoſito ſic argumentor: Anima perfectorum animalium non eſt extenſa, & diuiſibilis in partes quaſi integrantes; ergo non poteſt eſſe pars in parte, ſed tota in qualibet parte corporis in qua eſt, eſſe debet. Tota inquam nõ totalitate virtutis, quia non ſecundum quamlibet ſuam potentiam eſt in qualibet parte corporis, ſed ſecundum viſum in oculis, ſecundum auditum in auribus, & ſic de alijs: ſed totalitate perfectionis, & eſſentiæ, nam tota eius eſſentia eſt in qualibet parte. Totalitate autem quantitatiua caret ſi non eſt extenſa, & diuiſibilis in partes, vt aſſerit antecedens. Quod probatur: anima ſicut, & quæcunque alia forma diuidi non poteſt in partes quaſi integrantes niſi per accidens ad diuiſionem ſcilicet eius in quo eſt, hoc enim modo diuidi poteſt albedo in diuerſas partes albedinis quaſi integrales ratione ſuperficiei in qua eſt, diuiſa namque ſuperficie diuiditur albedo per accidens: ſed anima perfectorum animalium non diuiditur ad diuiſionem eorum, in quibus eſt; ergo non eſt extenſa, & diuiſibilis in partes, quaſi integrantes. Minor probatur, aliàs enim diuiſo animali perfecto in plures partes in qualibet illarum maneret anima, ſicut diuiſa ſuperficie in qualibet parte, diuiſa manet albedo, & diuiſa planta in quolibet ramo remanet anima vegetans, & diuiſo animali imperfecto, verbi gratia lacerta, in qualibet parte, diuiſa manet anima

ſentiens ; quod tamen eſt contra ſupppoſitionem. Nec vim hujus rationis eneruat exemplum minimi naturalis aquæ, cuius forma eſt diuiſibilis, & extenſa, & tamen manere non poteſt in partibus ſeparatis. Reſpondetur enim talem formam ideò manere non poſſe in partib. ſeparatis, quia tales partes minimi naturalis manere nō poſſunt ſeparatæ. Si autē per impoſſibile manerent, & in illis ſeparatis non maneret forma aquæ, hęc non eſſet diuiſibilis; non enim diuideretur ad diuiſionem eius, in quo eſt, & non niſi hoc modo eſt diuiſibilis; ergo cum ſeparatis exiſtentibus partibus animalium perfectorum, in illis non maneat anima, nullo modo erit diuiſibilis, id namque, quod ad diuiſionem alterius diuiditur, hoc diuiſo, & partibus eius manentibus illud diuidi debet, & in partibus diuiſis manere. Confirmatur; Anima, quæ diuidi poteſt, actu quidem eſt vna, potentia vero plures, vt de anima plantæ ait Ariſt. vbi ſupra: ſed anima perfectorum animalium, ita eſt vna actu, vt potentia non ſit plures; ergo non eſt diuiſibilis. Si dicas non eſſe neceſſarium, vt id quod habet partes poſſit eſſe plura; nam hic leo v. g. habet partes, & tamen non poteſt eſſe plures leones. Contra hoc eſt: nam licèt quando totum eſt etherogeneum, aut diſſimilare, non poſſit diuidi in plura eiuſdem rationis, vt hic leo in plures leones; diuidi tamen poteſt in plura diuerſæ rationis, plura ſcilicet cadauera; aliàs enim non eſſet diuiſibile eſſe debet in ea, quæ facta diuiſione jam non ſunt

par-

partes illius vnum cum ipſo efficientes, ſed entia actu diſtincta: ſed anima perfectorum animalium, nec poteſt eſſe plures animæ, nec plura alia, quæ enim? ergo non poteſt habere rationem vnius totius integralis ex pluribus partibus integralibus compoſiti. Vnde ſicut albedo, quæ eſt in equo non facit animam eius albam: ita quantitas, quæ eſt in eodem equo, non facit animam eius quãtam, extenſam, & diuiſibilem.

Ad 1. verò reſpondetur negando maiorem. Ad probationem dico, potentias ibi ſolum eſſe, vbi poſſunt habere ſuam operationem, ſicut anima ibi ſolum eſt, vbi dat eſſe. Vnde cum operatio viſus ſolum poſſit eſſe in oculo, & operatio intellectus in anima, in ſolo oculo eſt potentia viſiua, & in ſola anima intellectus. Et non eſt neceſſarium, vt vbicumque eſt, id quod aliud ſuſtentat, ſi etiam illud aliud, aliàs humanitas Chriſti, quæ ſuſtentatur à ſuppoſito diuini Verbi, eſſet vbique ſicut ipſum Verbum diuinum.

Ad 2. reſpondetur: motum capitis animalis decollati non eſſe vitalem, & ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, ab impulſu, ſcilicet, impreſſo ipſi capiti à corde antequam moriatur: ſimilemque eſſe motui illi, quo manus vna etiam mortua moueretur, ſi impetum haberet impreſſum ab alia manu antequam vtraque moreretur. Cor enim tempore abſciſſionis capitis, vt læſioni ſuccurrat, magno impetu immittit ſpiritus vitales, quibus medijs impulſus capiti imprimitur, & ex vi huius impulſus ipſi impreſſi mouetur ca-

put etiam mortuum. Ad cõfirmationem reſpõdetur negando conſeq. quamuis enim in toto non poſſit eſſe regreſſio à priuatione ad habitum; poteſt tamen eſſe in aliqua parte, vt patet ſi quis proprium brachium abſciſſum comederet; materia enim illa partialis iterum eadem forma, qua antea informabatur, informaretur. Et ratio differentiæ eſt: quia priuatione exiſtente in toto, nulla manet virtus ad formam in illo intıoducendã. Si tamen priuatio ſolum eſt in in aliqua parte, cum adhuc in toto maneat virtus diſponendi materiam illius partis, vt iterum in eam introducatur forma, poteſt in illa eſſe regreſſus à priuatione adhabitum.

Ad tertium reſpondet D. Thom. q. de Anima artic. 10 ad 12. *Quod anima nec mouetur neque quieſcit motu ſeu quieſcente corpore niſi per accidens. Non autem inconueniens eſt, ſi aliquid mouetur, & quieſcit ſimul per accidens, ſicut non eſt inconueniens, quod aliquid moueatur per accidens contrarijs motibus, vt puta ſi quis in naui deferretur contra curſum nauis.* Idem dicit S. D. q. de Spirit. creat. ait.4. ad 7. Ad confirmationem reſpondet idem D. Thom. loco proximè citato ad 15. *Quod preſciſſa parte non ſequitur, quod auferatur anima, vel quod ad aliam partem tranſmutetur, niſi poneretur, quod in illa ſola parte anima eſſet, ſed ſequitur, quod illa pars deſinat perfici anima totius.*

Ad quartum reſpondetnr negando conſequentiam: nam vt ait Caiet. ſup. q. 75. ar. 2. §. *Vbi nota* Corporeum poteſt accipi dupliciter.

ter. Primo pro eo, quod eſt extenſum, & diuiſibile. Secundò pro eo, quod eſt concluſum infra corporis perfectiones. Et licet animæ perfectorum animalium irrationabilium non ſint extenſæ, & diuiſibiles; corporeę tamen ſunt ſecundo modo, quia ſunt eductæ de potentia materię, & ab illa pendent in eſſe, fieri, & conſeruari. Et quamuis probabile ſit accidens ſpirituale poſſe recipi in ſubiecto corporeo, vt de virtute, qua eleuantur ſacramenta, dicunt nonnulli; nullus tamen eſt, qui dicat tale accidens ſpirituale educi de potentia naturali ſubiecti corporei, ſicut educuntur animæ brutorum. Hinc ſequitur, licet omne ſpirituale ſit indiuiſibile, & inextenſum; non tamen ſolum ſed etiam aliquid corporeum poſſe eſſe inextenſum, & indiuiſibile; non ſolum formaliter, qualis eſſet ſubſtantia corporea, ſi ab ea Deus auferret quantitatem, ſed etiam radicaliter, quia ſcilicet non eſt capax extenſionis, & diuiſionis, quales ſunt animę perfectorum animalium. Ad confirmationem nego conſequentiam: nam vt anima producat actionem extenſam; ſatis eſt ipſam eſſe virtualiter extenſam, licet non ſit extenſa formaliter actu, vel potentia. Vt generatio etiam extenſa ſit, ſufficit, vt totum compoſitum cum quo identificatur, & quod per ſe producitur, ſit extenſum.

Ad quintum reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem dico, animam perfectorum irrationabilium educi de potentia illius materiæ, cum qua in prima ſui ge-

neratione vnita eſt. Tunc autem adhuc non erant manus, & pedes, aut aliæ partes integrales, cum tam eductio formæ ſubſtantialis ex materia, quam vnio cum illa præcedat quantitatem, antequam non ſunt partes integrales. Educitur ergo tota de tota materia totalitate eſſentiali, non quantitatiua, vel integrali. Vide Durandum in 1. diſt. 8. parte 2. quæſtio 3. n. 11. Ad confirmationem dico, animam equi ſolum educi de potentia illius materiæ, cum qua fuit vnita in prima ſui generatione: quando autem per augmentum, & nutritionem acquirit equus nouam partem materiæ, ab hac non educitur anima equi, ſed ad illam informandam extenditur: ſicut, & quando pars aliqua ab equo abſcinditur, nihil ſubſtantiæ animæ equi perit, ſed hęc illam desinit informare. Non eſt autem inconueniens animam equi informare aliquam partem materię, de cuius potentia non eſt educta. Cum enim animæ perfectorum irrationabilium ſit quoddam, medium inter animam rationalem, quæ eſt purę ſpiritualis, & animas extenſas, & diuiſibiles animalium imperfectorum, & plantarum; cum his conuenit, quia educitur de potentia materiæ, cum qua vnitur, quando primo generatur: cum anima vero rationali, quia poteſt informare aliquam partem materiæ, etiam si ab illa non educatur.

QVAE-

QVAESTIO LXXVII.

De his, quæ pertinent ad potentias animæ in generali.

CIrca articulum primum, & ſecundum, nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS III.

Vtrum potentiæ diſtinguantur per actus, & obiecta.

Concluſio eſt affirmans.

SEnſus concluſionis eſt potentias diſtingui per actus, & obiecta tanquam per ſpecificatiuum extrinſecum; intrinſecè enim diſtinguuntur per ordinem tranſcendentalem, quem dicunt ad illa. Diſtinguuntur autem prædicto modo potentiæ per actus, & obiecta: non quidem materialiter, ſed formaliter ſumpta; contingit enim obiecta diuerſarum potentiarum materialiter eſſe idem, ſolumque formaliter diſtingui, vt patet in bono, & vero, quæ ſunt obiecta intellectus, & voluntatis. Contingit etiam actus materialiter ſumptos ſpecie diſtingui; qui tamen conueniunt formaliter in vna ratione formali, quam reſpicit potentia, non conſtituuntur propter illos diuerſę potentiæ, vt patet in actibus ſcientię, & opinionis, &

diuerſorum habituum exiſtentium in eadem potentia, qui licet materialiter diſtinguantur (diſtinctio enim formalis, quam ſecundum ſuas particulares rationes habent, materialis eſt reſpectu illorum, vt atringuuntur à potentia) quia tamen conueniunt in vna ratione formali obiecti, quam reſpicit potentia, non requirunt potentias diſtinctas. At quando obiecta ſunt formaliter diſtincta, & actus adhęquati, quos potentiæ reſpiciunt, ſunt realiter diſtincti, potentiæ non ſolum ſpecie, ſed etiam realiter diſtinguuntur.

Probat hoc ratio articuli; *Potentia ſecundum id quod potentia eſt, ordinatur ad actum*; ergo ex actu, ad quem ordinatur debet accipi ratio potentiæ, quę illam in ſua ſpecie conſtituat, & diſtinguat à quacunque alia. Sed ratio actus; diuerſificatur ſecundum diuerſam rationem obiecti; ergo, & ratio potentiæ. Minor probatur: actio recipit ſpecies, aut ex principio, aut ex termino, *Differt enim calefactio ab infrigidatione ſecundum, quod hac à calido ſcilicet actiuo ad calidum, illa autem à frigido in frigidum procedit*; ſed obiectum reſpectu actus potentiæ paſſiuæ, ſe habet, vt principium, vt color reſpectu viſionis in quantum ad illam mouet viſum; reſpectu vero actus potentiæ actiuę, vt terminus, ſicut quantum perfectum reſpectu augmenti, quod eſt actus virtutis augmentatiuæ; ergo ab obiecto ſpecificatur actus, & ſecundum diuerſam rationem obiecti diuerſificatur. Circa, quam rationem aduerte: ſpecificationem actionis à principio actiuo ſolum eſſe materialem, &

in

ſin eſse rei, quia ſcilicet: forma, per quam principium actiuum agit eſt eiuſdem ſpeciei cum termino, qui producitur vel attingitur. Formaliter autem ſpecificatio, & diſtinctio actuum a termino ſumenda eſt. Vndè licèt aliquando principia actiua ſint diſtincta; ſi tamen termini ſint eiuſdem ſpeciei, actiones non diuerſe, ſed eiuſdem ſpeciei ſunt, vt patet in calefactione cauſata a ſole, & cauſata ab igne.

Eſt autem hic ſermo de ſpecificatione, & & diſtinctione potentiarum quatenus potentię ſunt: ſi enim de illis loquamur quatenus quædam proprietates ſunt, inquit Caietan. hic: *Diſtinguuntur iuxta diuerſitatem naturarum quibus inſunt iuxta illud Auerrois in primo de anima, com. 65. membra hominis diuerſa ſunt ſpecie à membris leonis.*

Circa art. 4 nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS V.

Vtrum omnes potentiæ animæ ſint in anima ſicut in ſubiecto.

Concluſio eſt negans.

QVamuis enim potentię, quę ſunt principia operationum, quæ exercentur ſine organo corporali, vt intelligere, & velle, ſint in anima ſicut in ſubiecto; potentię tamen, quæ ſunt principia operationũ,

quæ exercentur per organa corporalia, vt viſio per oculum, non ſunt in anima ſola tanquam in ſubiecto, ſed in coniuncto. Quod non ita intelligendum eſt, vt potentiæ corporeæ ſint in anima tanquam in ſubiecto partiali, & in coniuncto, ſicut in obiecto totali, in quo ſenſu dicimus albedinem non eſſe in ſola manu, ſed in toto corpore. Sed ſenſus eſt, in ſola anima nullo modo eſſe has potentias tanquam in ſubiecto. Quidam in illa eſſe putant tanquam in ſubiecto, non quod, ſed quo; qua ratione etiam dicunt animam homines eſſe corpoream ſcilicet, vt quo. Mihi tamen hęc ſententia non placet. Tum propter dicta q. præced art. 4 dub. vnico, con 2. Tum etiam, quia D. Tho. hic ad 1. & 2. concedit huiuſmodi potentias eſſe in anima ſicut in principio, negat tamen eſſe in ea ſicut in ſubiecto. At ſi in anima eſſent tanquam in ſubiecto quo, eodem modo eſſent in illa tanquam in ſubiecto, quo ſunt in eadem tanquam in principio, cum conſtet has potentias non oriri ab anima tanquam à principio quod, hoc enim modo à toto compoſito oriuntur, ſed ſolum, vt à principio quo, ergo nec tanquam in ſubiecto quo, in anima ſunt; ſed ſubiectum quo illarum eſt forma ipſa totalis compoſiti, qualis eſt humanitas reſpectu hominis. Et idem eſt de ſubiecto operationum talium potentiarum: nam licèt ſint actiones vitales, non requiritur, vt ſubiectentur in anima, quia non elicit illas medijs potentijs in ipſa tanquam in ſubiecto exiſtenti.

tibus : vnde illarum principium non tamen ſubiectum eſt.

Potentiarum verò ſpiritualium, vt intellectus, & voluntatis,ſubſtantia animæ,& principium, à quo oriuntur, & ſubiectum,in quo recipiuntur, eſt, non ſolum quo, ſed etiam quod, & idem eſt de operationibus earum, quamuis operationum non ſit principium, & ſubiectum proximum, ſicut, & potentiarum, ſed mediatum, nam medijs potentijs operationes elicit, ac recipit. ¶ Nec obſtat (inquit Caietanus hic) quod ſortes dicitur eſſe quod proprie intelligit, quia operationes ſunt ſuppoſitorum: quoniam etſi Sortes primo intelligat, vt ſuppoſitum, non tamen primo intelligit abſolutè, quia falſum eſt, quod operatio ſit primo ſuppoſiti abſolutè loquendo, ſed primo ſubſiſtentes, qualis eſt anima rationalis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum potentiæ animæ fluuant ab eius eſſentia.

Concluſio eſt affirmans.

INtelligendaq; eſt de omnibus animę potentijs. Et de illis quidem, quæ immediatè ſubiectantur in anima, quales ſunt intellectus, & voluntas, manifeſta eſt; non enim poſſunt à corpore dimanare Fluunt autem

tem ab anima non per veram actionem: nam ſubſtantia non eſt immediate per ſe ipſam operatiua, ſed per naturalem reſultantiam, vt ait D Thomas hic ad 3. Vnde non ſunt eductæ de potentia animæ ſed eadem creatione, qua anima creatur, eius potentiæ concreantur, ſic que ex nihilo comproducuntur. Non eſt autem inconueniens, animam ſimul eſſe ſubiectum receptiuum talium potentiarum, & quodammodo earum principium actiuum per ſimplicem emanationem, ſub diuerſis tamen rationibus; cum enim in anima ſit aliquid actualitatis, & aliquid potentialitatis, vt patet ex q.75. ar. 5. ratione actualitatis eſt ſuarum potentiarum principium actiuum, & ratione potentialitatis ſubiectum receptiuũ.

De illis etiam potentijs, quæ non in anima, ſed in compoſito ſubiectantur, probat, D. Thom. fluere ab anima; quia compoſitum eſt in actu per animam: ſed potentię huiuſmodi fluunt à compoſito in quantum eſt in actu; ergo etiam fluunt ab anima. Quamuis autem fluant ab illa tanquam proprietates naturales, quia tamen non ſubiectantur in ea poſſunt ab ea ſeparati, ſi corporeum organum in quo ſubiectantur deſtruatur, vt patet in cœcis, & ſurdis.

Circa articulum ſeptimum, & octauum nihil ſe offert dicendum.

QVÆSTIO LXXVIII.

De potentijs animæ in ſpeciali.

ARTICVLVS I.

Vtrum quinque genera potentiarum animæ ſint diſtinguenda.

Concluſio eſt affirmans.

SVnt autem hæc, quæ numerat Ariſtot. lib. 2. de Anima, cap. 3. tex. 27. lect. 5. apud D. Thom. his verbis: *Potentias autem diximus, vegetatiuum, ſenſitiuum, appetitiuum, motiuum ſecundum locum, intellectiuum*. Addit autem D. Thomas hic: *Tres verò dicuntur animæ. Quatuor verò dicuntur modi viuendi*. Numerum ternarium animarum, rationalis ſcilicet, ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, colligit ex diuerſis modis, quibus operatio animæ ſupergreditur operationem naturæ corporalis. Numerum quinarium generum potentiarum adductum, ex diuerſitate obiectorum. Numerum verò quaternarium modorum viuendi, ex diuerſis gradibus viuentium, ſuntque; Vegetatiuum, quod eſt in plantis; ſenſitiuũ, quod eſt in animalibus, immobilibus vt ſunt cõchiliæ; motiuũ ſecundũ locum, quod eſt in animalibus perfectis; & intellectiuũ quod eſt in homine. *Appetitiuum autem non conſtituit aliquem gradum*

vi-

uiuentium, quia in quibuſcunque eſt ſenſus, eſt etiam appetitus. Quæ omnia optimè explicat D.Thom.

Circa ſolutionem 4. argum. difficultas eſt: An potentia motiua ſecundum locum fit potentia actiua, & elicitiua motus; an verò ſolum ſit potentia paſſiua reſpectu motus? Huius reſolutio eadem eſſe debet, ac illius, quam ſupra q. 25 art.1. explicuimus, ſit non potentia exequens diſtincta ab intellectu, & voluntate. Si enim dicamus diſtinctam eſſe; aſſerendum etiam eſt, potentiam motiuam ſecundũ locum eſſe exequentem, & verè actiuam,& elicitiuam motus localis; quod inſinuat D. Thom. hic ad 4. dicens: ¶ Quamuis ſenſus, & appetitus ſint principia mouentia in animalibus perfectis; non tamen ſenſus, & appetitus in quantum huiuſmodi ſufficiunt ad mouendum, niſi ſuperaddatur eis aliqua virtus. Nam in immobilibus animalibus eſt ſenſus, & appetitus: non tamen habent vim motiuam. Hęc autem vis motiua non ſolum eſt in appetitu & ſenſu, vt imperante motum, ſed etiam in ipſis partibus corporis, vt ſint habilia ad obediendum appetitui animæ mouentis. † Cum ergo vis motiua in appetitu, & ſenſu ſolum ſit, vt in imperante motum; in partibus corporis eſſe debet, vt eliciens talem motum, ſicut in oculo eſt virtus eliciens viſionem, qua oculus redditur habilis ad obediendum appetitui viſionem imperanti. Vnde q de Anima, ar.13. ad 13. ſic ait S. D. ¶ Intellectus,& appetitus mouent ſicut impe-

perantes motum. Sed oportet eſſe potentiam motiuam, quæ motum exequatur, ſecundum quam ſcilicet membra ſequuntur imperium appetitus, & intellectus, vel ſenſus. ✠

Si verò teneamus potentiam exequentem non eſſe diſtinctam ab intellectu, & voluntate, etiam dicendum eſt, potentiam motiuam ſecundum locum, licèt ſit neceſſaria ad executionem motus, non tamen eſſe illius elicitiuam, & actiuam, ſed ſolum eſſe potentiam paſſiuam. Vndè D. Thomas ſupra q. 75. art. 3. ad 3. ait: *Vis motiua eſt exequens motum, per quam membra redduntur habilia ad obediendum appetitui: cuius actus non eſt mouere, ſed moueri.* Et 2. Contra gentes cap. 82. ait inquit: ¶ Non mouet anima brutalis niſi per ſenſum, & appetitum, nam virtus, quę dicitur exequens motum, facit membra eſſe obedientia imperio appetitus: vndè magis ſunt virtutes perficientes corpus ad moueri, quam virtutes mouentes. ✠ Nec obſtat, virtutem hanc, quæ in neruis, iuncturis, & tendonibus eſt, ex labore, & ægritudine langueſcere. Nam etiam potentia paſſiua ad aliquid ſuſtinendum, vel recipiendum langueſcere, & debilitari poteſt. Cum autem potentia motiua requiratur, vt diſpoſitio, vt membra corporis moueantur, illa debilitata non poteſt anima membra corporis tàm facilè mouere.

ARTICVLVS II.

Vtrum conuenienter partes vegetatiuæ aſſignentur, ſcilicet nutritiuum augmentatiuum, & generatiuum.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium. An iſtæ tres potentiæ ſint ſpecie. & realiter diſtinctæ.

PArtem negantem quidam tenent aſſerentes vnam ſpecie, & realiter eſſe potentiam, quæ iuxta diuerſa munera, quæ exercet: diuerſis nominibus appellatur: nutritiua ſcilicet, quia nutrit, augmentatiua, quia auget, & generatiua, quia generat. Probantque primo, nam Ariſtot.lib.ſecundo, de Anima, cap 4. tex.42 ait. *Eſt autem potentia animę vegetatiua, & generatiua.* Confirmatur: nam D.Thom. hic q.119. art.4. ait: ¶ Virtus conuerſiua in principio quidem tā fortis eſt, vt poſſit conuertere non ſolum, quod ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam ad augmentum. ✠ Sentit ergo eandem virtutem eſſe nutritiuam, & augmentatiuam.

Secundò. Potentiæ nutritiuæ, augmentatiuę, & generatiuę eſt vnus, & idem actus, & terminus totalis, idemque modus attingendi illam; ergo eſt vna, & eadem poten-

centia. Antecedens probatur: quia augmẽtatio eſt quædam nutritio, cum ſit quędam partialis ſubſtantiæ viuę productio; nutritio verò eſt quædam generatio ſubſtantiæ partialis; omnes etiam iſtæ virtutes circa idem alimentum, & eodem modo agunt; ſcilicet diſponendo, & traſmutando illud diuerſis tranſmutationibus ordinatis ad eius conuerſionem in corpus viuens eiuſdem ſpeciei; ergo, & eundem actum, & eundem terminum adæquatum, & eundem modum producendi illum habent. Nutritiua enim producit ſubſtantiam partialem, augmentatiua eandem ſubſtantiam partialem maiorem tamẽ, quam deperdita eſt, generatiua verò totalem ſubſtantiam eiuſdem tamen ſpeciei cum illa partiali per quam viuens augetur, & nutritur.

Tertiò. Vna, & eadem potentia ſufficit, ad generationem, nutritionem, & augmẽtationem, ergo fruſtra tres conſtituuntur. Antecedens probatur: nam potentia quæ producit ex alimento ſanguinem, quo aluntur carnes, & medullam qua nutriuntur oſſa, ſufficit ad producendum ex eodem alimento ſemen; & quæ producit ſubſtantiam partialem, ſufficit ad producendam quantitatem, qua talis ſubſtantia eſt extenſa; ſiue ſit tanta quanta fuit deperdita, ſiue paululum maior; ergo &c.

Quartò, calor naturalis eſt potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua: ſed calor naturalis eſt vnus, & idem ſpecie, & realiter, ergo &c. Maior probatur; nam vt ait

Ariſt.

Ariſt lib. 3. de partibus animalium, capit. 6. *Calor eſt, qui vim obtinet augendi*: nutriendi etiam, & generandi: quia ſicut calor ignis, vt illi coniunctus, & ſubordinatus poteſt ignem producere: ita calor naturalis coniunctus, & ſubordinatus viuenti vim habet ad producendum viuens partiale ex ſanguine, & totale ex ſemine; ergo &c.

Dicendum tamen eſt: Nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam, tres potentias eſſe ſpecie, & realiter diſtinctas ſub vegetatiua tanquam ſpecies ſub genere contentas. Probatur primo ex D. Thoma hic in corpore, cuius initium eſt: *Tres ſunt potentiæ vegetatiuæ partis*. Finis vero: *Generatiuæ autem deſeruiunt, & augmentatiua, & nutritiua: augmentatiua verò nutritiua*. Cumque nihil ſibi ipſi deſeruire poſſit, non vnam, & eandem, ſed diſtinctas ſpecie, & realiter potentias eſſe, ſentit S. Doctor.

Secundò probatur ex eodem D. Tho. iſtæ potentię habent diſtinctos actus, & obiecta. ¶ Vegetatiuum enim habet pro obiecto ipſum corpus viuens per animam, ad quod quidem corpus triplex animæ operatio eſt neceſſaria. Vna quidem, per quam eſſe acquirat; & ad hoc ordinatur potentia generatiua. Alia vero, per quam corpus viuens acquirit debitam quantitatem: & ad hoc ordinatur vis augmentatiua. Alia vero, per quam corpus viuentis ſaluatur in eſſe, & in quantitate debita, & ad hoc ordinatur vis nutritiua. † Ergo ſpecie, & realiter diſtinguuntur: hoc enim modo diſtinguuntur potentię, quarum

obie-

obiecta diſtincta ſunt, & actus habent realiter diſtinctos, quales eſſe conſtat generationem nutritionem, & augmentationem: nam productio totius viuentis, aut ſeminis non eſt nutritio; & nutritio ſępe fit ſine augmentatione. Si dicas hos actus eſſe inadęquatos, ſicque ab eadem potentia elici poſſe. Contra hoc eſt: Tum quia licèt omnes iſti actus conueniant in ratione communi ſcilicet productionis rei viuentis ex alimento: hæc tamen ratio non eſt ſpecifica atoma; ſed generica diuiſa in productiones ſubſtantiæ partialis, & quantitatis maioris eiuſdem viuentis à quo eſt actio, & ſubſtantiæ totalis alterius viuentis numero diſtincti; quæ non minus ſpecie, & totaliter diſtinguuntur, quàm productiones mineralium, lapidum plantarum, & animalium imperfectorum, quæ fiunt à ſole ex eadem terra, quantitas enim, & ſubſtantia pluſquam ſpecie diſtinguuntur, & ſubſtantia totalis, & partialis differunt ſicut res contenta directe in prædicamento, & res reductiue in prædicamento conſtituta. Tum etiam quia ſunt quædam animalia quæ licèt nutriantur, non tamen augentur, nec generant: nam vt ait Ariſt. lib. 6. de Hiſtoria animalium, cap. 15. *Apuę ergo ſpuma nuncupata, ex terra arenoſa conſiſtit, quod quidem apuę genus nec incrementum capit, nec prolem affert*. Ergo ſicut in iſtis animalibus nutritio eſt actus adæquatus reſpectu potentiæ nutritiuę illorum; ita, & in alijs, quod enim in illis nutritio coniuncta ſit cum augmentatione, & generatione, non obſtat adæquationi

tioni actus nutriendi, ſicut nec adęquationi actus vegetandi obſtat in aliquibus viuentibus eſſe coniunctum cum actu ſentiendi, nutritio enim formaliter ſolum tendit ad conſeruationem corporis viuentis in eſſe, & quãtitate debita; quod verò in aliquibus viuentibus ordinetur ad generationem alterius, hoc ei accidit, aut materialiter conuenit, quia eſt in tali ſubiecto, ſicut vegetationi; quod ordinetur ad ſenſationem. Tum denique, quia actus ſenſuum, tam internorum, quam externorum ſunt adæquati, diuerſas potentias exigentes, quamuis omnes conueniant in ratione communi ſenſationis, & quidam ad alios præerequirant; ergo & nutritio, augmentatio, & generatio.

Tertiò probatur: iſtæ potentiæ habent in corpore diſtincta ſubiecta, & organa; ergo realiter diſtinguuntur. Conſequentia patet, quia ex ſubiectornm, & organorum diſtinctione colligimus realem diſtinctionem ſenſnum externorum, & internorum inter ſe. Anteeedens probatur: nam potentia nutritiua, & augmentatiua toto corpore difuſa eſt: generatiua verò in determinata corporis parte reſidet, in qua, ſcilicet, ſemen producitur, non enim ſemen ex toto corpore prouenit, vt docet, & probat Ariſt. lib. 1. de generat. animalium capit. 17. & 18. Sed ex parte detèrminata, qua abſciſſa, vel contrarijs qualitatibus pręſertim frigiditate affecta potentia generatiua perit, ſicut eruto oculo, aut malè affecto, potentia viſiua. Et certè, qui potentiam generatiuam per totum corpus

pus diffuſam eſſe diceret, quæ in vna parte nutriret, in altera generaret, poſset eodem modo dicere, vnam eſse potentiam per totum corpus diffuſam, quę in vna parte videret, in alia audiret, &c. Sicut ergo viſiua potentia non eſt per corpus totum diffuſa, quia ſolum in oculo habet anima omnia per ſe requiſita ad videndum; ita, quia potentia generatiua ſolũ in determinata parte corporis habet omnia requiſita ad ſemen producendum, & generandum, ſolum in ea parte determinata erit, principium enim proximum operandi, qualis eſt potentia, nunquam à natura ponitur, vbi per ſe loquendo non poſſunt dari omnia requiſita ad operationẽ illius.

Ad 1. reſp. Ariſt. ſolum velle, illas potentias eſſe vnũ genere, quia verſantur circa alimentũ. Vnde D.Th. ibi lect 9. ſic ait; ¶ Dicit ergo primò, quam cum vegetatiua, & generatiua ab eadem cõmuni potentia animæ cõtineatur licèt vegetatiua, id eſt, nutritiua ſit quædam ſpecialis potentia diſtincta à generatiua, oportet primum determinare de alimento, quod eſt obiectum generatiuæ ſiue nutritiuæ. † Ad confirmationem nego conſequentia; ex illis enim verbis D. Thomæ ſolum colligi poteſt, virtutem nutritiuam in principio poſſe ſeruire augumentatiuę, quia ex alimento poteſt conuertere in ſubſtantiam aliti, quod requiritur, vt virtus augmentatiua efficiat corpus viuens maioris quantitatis; ex quo potius ſequitur, virtu-

tem augmentatiuam diſtinctam eſſe a nutritiua, vtpote quæ in materiam, quam nutritiua ſubminiſtrat, formam accidentalem ſcilicet maiorem quantitatem introducit: ſicut, & diſtincta ars eſt, à quo eſt forma veſtis, & a qua fit illius materia.

Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dico, falſum eſſe, augmentatione eſſe nutritionem; nam vt ait Ariſt. lib 2. de gen. animal. ca. 4. *Alimenti ratio duplex eſt, altera nutriendi, altera augendi, nutriens eſt, quod eſſe præbeat, & toti, & partibus: augens, quod acceſſionem ad magnitudinem faciat.* Vnde augmentatio non eſt ſubſtantiæ viuæ productio, ſed productio magnitudinis, ſeu maioris quantitatis talis viuę ſubſtantiæ. Similiter dico, falſum eſſe, nutritionem eſſe generationem: nam licet nutritio ſit productio ſubſtantię partialis eiuſdem viuentis, à quo eſt; generatio tamen productio eſt totalis ſubſtantiæ diſtinctæ numero à generante.

Ad tertium reſpondetur negando antecedens. Ad probationem nego etiam antecedens: quamuis enim eadem potentia poſſit ex alimento producere in vna parte ſanguinem, quo alantur carnes, & in alia medullam, qua nutriantur oſſa, quia hæc non ſubſtantialiter, ſed ſolum penes accidentia diſtinguuntur; non tamen poteſt ex eodem alimento producere ſemen, ſed hoc ſuperioris potentiæ eſt: quia ſemen neque eſt eiuſdem naturæ cum generante, neque in illius

in-

indiuidui inſtaurationem, ſed in generationē pro his,& conſeruationem ſpeciei ordinatur. Similiter licèt potentia, quæ producit ſubſtantiam totalem, aut partialem, producat etiam quantitatem ſecundario; vt tamen quantitas primario, & per ſe producatur, ſicut producitur maior quantitas per augmentationem, alia potentia opus eſt; non ſecus, ac licèt per potentiam generatiuam ſecundario producatur calor, vt tamen calor primo, & per ſe per calefactionem producatur potentia calefactiua à generatiua diſtincta, neceſſaria eſt. Vndę D. Thom. hic ad 3. ait ¶ Quia generatio viuentium eſt ex aliquo ſemine, oportet, quod in principio animal generetur paruę quantitatis. Et propter hoc neceſſe eſt, quod habeat potentiam animę per quam ad debitam quantitatem perducatur. † Quare cum tunc primo, & principaliter intenta ſit productio debitę quantitatis, per quam ſubſtantia habet eſſe maiorem, & idoneam ad debitè exercendas ſuas operationes; productio verò ſubſtantię per nutritionem occaſione, & ratione quantitatis; quia nequit dari augmentatio, aut noua pars quantitatis ſine nutritione, aut noua parte ſubſtantię; ideo productio talis ſubſtantię ſcilicet nutritio ſequitur modum productionis quantitatis ſcilicet augmentationis, ac proindè fit ſucceſſiuè ſicut illa.

Ad quartum reſpondetur negando maiorem; calor enim naturalis non eſt aliqua ex illis potentijs, ſed inſtrumentum ea-

rum: nam, vt hic ad primum, ait D.Thom. *Hæ vires exercent ſuas actiones inſtrumentaliter per qualitates actiuas, & paſſiuas, quæ ſunt naturalium actionum principia.* Quarum qualitatum vna eſt calor: Vnde infra q.118 art.1. ad 3. de illo inquit S. Doct. *Se habet inſtrumentaliter ad virtutem animæ, ſicut etiam ad virtutem nutritiuam, vt dicitur in 2. de Anima* Libro etiam 2. generat. animalium, c.4. idem dicitur. Et ratio huius eſt: quia nutritio, augmentatio, & generatio ſunt actiones vitales; ergo debent eſſe à principio proximo vitali: ſed huiuſmodi eſt potentia, & nõ calor naturalis, aut aliqua ex primis qualitatibus naturalibus; ergo, &c.

Ad probationem verò maioris reſpondetur; calorem naturalem, licèt vim habeat nutriendi, augendi, & generandi, non quidem principalem, ſed inſtrumentalem: non tamen eſſe principiũ proximum vitale taliũ actionum; ac proinde non eſſe potentiam nutritiuam, augmentatiuam, aut generatiuam, ſed harum inſtrumentum. Nec eſt inconueniens vnam qualitatem eſſe alterius inſtrumentum, ſicut nec artem diuerſis inſtrumentis vti.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum conuenienter diſtinguantur quinque ſenſus exteriores.

Concluſio eſt affirmans.

Ationem diſtinctionis, & numeri ſenſuum externorum diuerſimodè aſſignant Doctores; ait namque D.Tho. hic: *Quidam accipere voluerunt ex parte organorum. Quidam autem ex parte medij. Quidam autem ex diuerſa natura ſenſibilium qualitatum*, Quæ, vt intelligatur, explicare oportet, quænam ſint horum ſenſuum organa, media, & ſenſibilia.

Dubium 1. *quænam ſint organa ſenſum externorum.*

Dicendum eſt 1. Viſus organum eſſe pupillam vtriuſque oculi cum neruis opticis, ſeu viſorijs. Probatur: nam, vt ait Ariſt. lib 1. de Hiſtoria animalium, cap.9. *Humo oculi interior, quo videmus pupilla eſt*. Et D.Thom.lib.2. de Anima, lect. 17. *Humidum aqueum, quod eſt in pupilla caret omni colore, vt poſſit cognoſcere omnium colorum differentias*. Et lib. de ſenſu, & ſenſato lect.5. *Quod eſt intra pupillam: quæ eſt organum viſus, eſt aqueum*. Et ibidem *Principium viſionis eſt interius iuxta cerebrum, vbi coniunguntur duo nerui ex oculis procedentes*. Et D.Damaſcenus

lib.2 de fide, cap.18. *Senſoria, & organo viſus neruiè cerebro, & oculi.* Quem ſequutus Diuus Thomas, vel Auctor Opuſc.43.cap.3.inquit: *Organum proximum, & extrinſecum viſus ſunt oculi, primum autē, & intrinſecum ſunt nerui viſuales.* Vnde cum hi nerui inter ſe, & cum oculis continuentur, vnum numero cum illis ſubiectum viſus efficiunt, vnicaque proinde numero eſt in quolibet homine, vel animali viſu prædito potentia viſiua, vt cum Ariſtot. docet D.Thom. lib de ſenſu, & ſenſato, lect. 19. vbi ſic habet: *Ex duobus oculis fit aliquid vnum, vna eſt operatio amborum oculorum in quantum ſcilicet viſio vtriuſque oculi concurrit per quoſdam neruos ad aliquid intrinſecum.*

Dicendum eſt 2. Auditus organum, & ſubiectum eſſe ſubſtantiam quandam aëream animatam intra aures in quadam earum quaſi orbiculari concauitate exiſtentem, coopertam pellicula quadam, quæ membrana, vel miringa, vel tympanum appellatur; ac etiam in neruis mollibus inter ſe continuatis, & à cerebro vſque ad prædictam ſubſtantiam aëream procedentibus. Probatur: nam lib.2.de Anima, lect. 17. cum Ariſt. ait D.Thomas: ¶ Auditus connaturalis eſt in aëre, ita quod ſicut humidum aqueum conuenit inſtrumento viſus, ita aër conuenit inſtrumento auditus. ✠ Et ibidem: ¶ Non ſolum ex corruptione aeris impeditur auditus, ſed etiamſi miringa ideſt pellis circundans aerem, aut aliqua pars coniuncta laboret, ſicut etiam viſio impeditur, ſi impedia-

diatur pellis pupillæ, quæ continet humorem aqueum pupillæ. ✠ Et lib. de ſenſu, & ſenſato, lect. 5. ¶ Exiſtimandum eſt, quod viſiuum oculi, & tribuendum ſit aquæ, ſentiuum autem ſonorum ſit attribuendum aeri. ✠ Idem docet Galenus lib. 4. de vſu partium, cap. 6. vbi ait: *Alteratur non à quouis ſenſibili omne ſenſorium, ſed ſplendidum quidem, & lucidum à coloribus, aereum à ſonis.* Quod ſi ab Anatomiſtis huiuſmodi ſubſtantia aerea non ita facilè inuenitur, hoc ideò eſt, quia eſt facilè diſſipabilis, diſſipaturque ſtatim diſſoluta vnione corporis, & animæ, D. Damaſcenus etiam lib. 2. de fide cap. 18. inquit de auditu loquens: *Organa eius ſunt laxi nerui ex cerebro, & aurium ſtructura.* Quem ſequutus Diuus Thomas, vel Auctor Opuſ. 43. cap. 3. ait: *Auditus eſt vis ordinata in neruis mollibus à cerebro procedentibus.* Vnde ſicut viſus eſt vnus numero in quolibet homine, vel animali viſu prædito: ita, & auditus; eſt enim eius vnum numero ſubiectũ, quod ratione prædictorum neruorum continuatur.

Dicendum eſt 3. Odoratus organum, & ſubiectum eſſe proceſſus mammillares, duas ſcilicet carnes mollicies ſpongioſas ſimiles capitibus mammillarum fœminæ lactantis intra nares circa cerebrum exiſtentes. Probatur: nam lib. de ſenſu, & ſenſato, lect. 5. ſic ait D. Thom. cum Ariſt. *Organum odoratus dicitur eſſe in loco, qui eſt circa cerebrum.* Quod organum, inquit idem S. Doctor cum Ariſtotele lib. 2. de Anima, lect. 20. *In animalibus*

reſpirantibus habet, quoddam operculum, quod oportet aperiri ampliatis poris reſpirantium. Hoc operculum quidam dicunt eſſe duas pelliculas ſimiles palpebris, quibus cooperiuntur oculi. Alij ipſammet viam,per quã odor deducitur ad organum odoratus, quæ arctiſſima eſt, & reſpiratione dilatatur; & detenſione aeris conſtringitur, & cum eſt compreſſa dicitur eſſe organum coopertum; nunquàm enim vſus anatomię aliud operculum inuenit. Addunt præterea prædictas carnes mollicies affixas eſſe duobus neruis egredientibus ab anteriore parte cerebri, & deſcendentibus vſque ad nares, eſſeque ſecundum partem continuatas, vt vnum ſubiectum adæquatum odoratus efficiant, ſitque odoratus vnus numero in quolibet animali.

B. Albertus Magnus in 2. parte Summæ de homine, tractatu de olfactu aliter de organo olfactus videtur ſentire, nam ait: *In veritate organa olfactus ſunt immediatè in cerebro*. Quod probat ex Auicena, Algazele, & alijs. Sed quæ diximus, communis approbat conſenſus recentiorum.

Dicendum eſt 4. Guſtus organum, & ſubiectum eſſe neruum à cerebro ad linguam vſque ad palatum deſcendentem. Colligitur hoc ex Ariſt. lib. 1. de hiſtoria animalium cap. 11. & lib. 2. de partibus animalium, cap. 17. Docet etiam D. Damaſc. lib. 2. cap. 18. dicens: *Huius inſtrumenta ſunt lingua, & eius maximè extremitas, & palatum, quod & Græci vraniſmum appellant; & nerui dilatati à cerebro*

bro delati. Quem ſequutus D.Thom. vel Au. ctor Opuſcul 43. cap.3. ait: *Guſtus eſt vos or. d nata in neruo expanſo ſupra corpus linguæ*.

Dicendum eſt 5, Tactus organum eſſe neruum quendam, quem Medici tactuum appellant, per totũ corpus velut rete quoddam diſperſum. Docent hoc D.Ambr. lib 6. Hexameron cap.9.D.Gregor.Nyſſenus lib.4. Philoſophiæ cap.16. & D.Damaſc. lib.2.de fide, cap.18. vbi de tactu,ait: *Fit neruis ex cerebro per vniuerſum corpus tranſmiſſis*.

Colligitur etiam ex Ariſt. & D. Thom. lib.2. de Anima, lect 22. dicentibus.

¶ Manifeſtum eſt, quod organum ſenſitiuũ in ſenſu tactus ſit intus; ſic enim accidit in hoc ſenſu,ſicut, & in alijs; non enim ſentiunt animalia ſenſibilia appoſita ſupra organum ſenſus: ſentiunt autem ſenſibilia poſita ſupra carnem. Quare manifeſtum eſt, quod caro non eſt organum ſenſus, ſed medium.

✠ Vnde cum caro pungitur, non ipſa ſentit dolorem, ſed neruus tactuum, caro autem ſolum eſt medium, per quod ſpecies tangibiles, & dolorifer̨ deferuntur ad organum tactus. Puncto autem eſſe, vel dentibus dolor non ſentitur; quia nec os, nec dentes, nec vngues ſunt medium aptum ad prædictas ſpecies deferendum vſque ad neruum tactuum: ſicut nec corpus opacum eſt medium aptum ad deferendum ſpecies viſibiles vſque ad oculum.

Si obijcias,quod Ariſtot.lib. 1. de hiſtoria animalium, cap. ait: *Tactus in parte corporis ſimilari conſiſtit, vt in carne*. Reſpondetur,id

non eſſe intelligendum de carne ratione ſui, ſed nerui tactuum in ea incluſi.

Dubium ſecundum, Quænam ſint media ſenſuum externorum.

DIcendum eſt primo: Viſus medium eſſe corpus diaphanum illuminatum. Probatur ex D. Thom. ait enim lib. 2. de Anima, lect. 14. *Nec aer, nec aqua, neque aliud huiuſmodi, eſt actu transparens, niſi fuerit illuminatum.* Et ibidem: ¶ Secundum ſententiam Ariſtotelis dicendum eſt, quod lumen eſt neceſſarium ad videndum, non ex parte coloris, ſed ex parte diaphani in quantum facit ipſum eſſe actu. † Et idem dicit lib. 3. de Anima, lect. 10. & q. vnica, de Anima art. 4. ad 4. vbi & addit: ¶ Nec obſtat, quod ab eo, qui eſt in tenebris videantur ea quæ ſunt in luce, & non è conuerſo; hoc enim accidit ex eo, quod oportet illuminari diaphanum, quod circunſtat rem viſibilem, vt recipiat viſibilem ſpeciem. †

Dicendum eſt ſecundò: Auditus medium eſſe non ſolum aërem, ſed etiam aquam, & alia corpora ſimilia, vt vinum oleum, &c. non tamen quę denſiſſima, & terreſtria ſunt. De aëre id manifeſtum eſt. De aqua etiam conſtat: nam vt ait Ariſt. lib. 4. de Hiſtoria animalium, cap. 8. *Audire piſces palam eſt, ſonos enim immodicos, & triremium remigia fugere viſuntur.* Et idem eſt de corporibus aquę ſimilibus.

Corpora verò denſiſſima auditus medium

non

non eſſe indè conſtat, quod ſolidiora, & denſiora corpora ſunt eo magis auditionem impediunt. Vnde ſi quis intra denſiſſimos parietes includeretur, ita vt in eis nullę eſſent rimulę, aut pori, non poſſet externum ſonum audire: nam ſi nos intra cubicula illum audimus, hoc ideo eſt, quia nunquam medium, quod apud nos eſt, tanta ſoliditate gaudet, quin in eo ſint, non ſolum pori valdè exigui; ſed etiam rimulæ, & partes valdè poroſę, per quas aër intrinſecus, & extrinſecus coniunguntur, ſicque ſonus percipi poſſit.

Eſt tamen difficultas, an per omnia prædicta media deferatur ſonus ſecundum ſuum eſſe reale. Quidam affirmantem partem tenent, & probant: Tum ex D. Thoma lib. 2. de Anima, lect. 16. vbi explicans verba illa Ariſt. *Amplius auditur in aëre, & in aqua, ſed minus in aqua*, inquit: ¶ Oſtendit quale ſit medium, in quo generatur ſonus, & dicit, quod medium in quo ſonus auditur eſt aër, & aqua, ſed minus auditur in aqua quam in aëre. † Tum etiam quia vt colligitur ex Ariſt. lib. 4. de Hiſtoria animalium, cap. 9. piſces attritu branchiarum *ſonos quoſdam ſtridoreſque mouent*. Et ranæ, ¶ Genus illud vlulatus quem ololyginem nominant, mares intra aquam reddunt, vt cieant ad coitum fœminas. † Tum denique quia ſi lebes immittatur in puteum, & percurrat vſque ad fundum, ſolemus ſonum ex tali contactu reſultantem audire.

Alij partem negantem docent, aſſerunt, que

que ſonum quidem deferri per aquam ſecundum eſſe intentionale; aliàs enim piſces ſtrepitum, & voces hominum non audirent; ſolum tamen aërem eſſe medium, & ſubiectum ſoni ſecundum eſſe reale, numquamque ſonum generari in aqua, niſi concurrente aëre. Probant ex D. Thoma loco proximè citato, vbi ait: *Neceſſarium eſt ad ſoni generationem in aëre, vel in aqua, quod aliqua corpora firma, & ſolida, & dura percutiant ſe inuicem, & percutiant aerem.* Vnde dicunt ſonum lebetis in puteum immiſſi fieri ratione aëris in poris illius exiſtentis & ſonos, quos piſces, & ranę mouent, fieri etiam ratione alicuius aëris in eis incluſi: *Spiritus enim incluſus in his eſt, quem dum atterunt, atque agitant ſonos illos eliaunt*, ait Ariſt. loco citato de piſcibus loquens; ac proindè aër iſte attritus ſubiectum, & medium eſt, in quo ſonus generatur ſecundum eſſe reale, aqua vero ſolum per quod tranſit, & in quo generatur ſecundum eſſe intentionale.

Dicendum eſt 3 Olfactus medium eſſe, tã aerem, quam aquam. Probatur: nam terreſtria animalia per aerem, aquatilia verò per aquam odores ſentiunt. Vnde Diu. Thom. cum Ariſt. lib. 2. de Anima, lect. 20. ait: *Senſus olfactus immutatur ab odorabili per medium, ſcilicet, aerem, aut aquam.*

Dicendum eſt 4. Guſtus, & tactus medium non eſt extrinſecum, ſed intrinſecum; guſtus quidem caro linguæ, tactus verò caro totius corporis. Prima pars probatur: nam, vt, ait, D. Thomas cum Ariſt. lib de

ſen-

ſenſu, & ſenſato, lect. 5. *Sicut alij ſenſus per medium extrinſecum, ita guſtus, & tactus per medium intrinſecum*: & lib. 2. de Anima, lect. 21. ¶ Tactus non ſentit ſuum obiectum per medium extraneum, ſed per medium coniunctum. Et ideo cum guſtus ſit quidam tactus, & guſtabile ſit quoddam tangibile, non percipitur guſtabile per medium extraneum †

Secunda pars probatur ex eodem D. Tho. lib. 2. de Anima, lect. 22. vbi ſic habet: *Ita videntur ſe habere caro, & lingua ad organum ſenſus tactus, ſicut ſe habent aer, & aqua ad organum viſus, auditus, & olfactus*. Item: ¶ Sentimus per linguam omnia tangibilia, quę ſentimus per alias partes corporis, & vlterius per ipſam ſentimus humorem, id eſt, ſaporem, quem non ſentimus per aliquam aliam partem corporis.

Dubium tertium, quæ ſint ſenſibilia ſenſuum externorum.

Dicendum eſt primo. Tria eſſe genera ſenſibilium, nempè propria, communia, & per accidens. Probatur: nam, vt cum Ariſt. ait D. Thom. lib. 2. de Anima, lect. 13. ¶ Senſibilia tribus modis dicuntur: vno quidem modo per accidens, & duobus modis per ſe; quorum vno dicuntur ſenſibilia illa, quæ propriè ſunt in ſingulis ſenſibus: alio modo dicuntur ſenſibia illa, quę communiter ſentiuntur. †

Senſibilia propria ſunt, quę primo, & per ſe ſentiuntur, & propriam ſpeciem impri-

munt

munt in ſenſum, vt albedo in viſum.

Senſibilia communia quinque numerantur, ab Ariſt.& Thom.loco citato: *Motus, quies, numerus, figura, & magnitudo.* Quæ à ſenſu percipiuntur per ſe, ſed non primo: vnde non imprimunt propriam ſpeciem in ſenſum; modificant tamen ſpeciem proprij ſenſibilis; & per illam ſic modificatam percipiuntur. Albedo enim, quæ eſt in tanta quantitate, & cum tali figura, immittit in ſenſu ſpeciem, ſic modificatam ab illa quantitate & figura; & ita mediante illa ſpecie percipit viſus primò, & per ſe albedinem, quantitatem verò, & figuram per ſe, non tamen primò, ſed ratione albedinis. Vnde de his ſenſibilibus communibus ait D.Thom. loco proxime citato: *Faciunt differentiam in tranſmutatione ſenſuum, non quantum ad ſpeciem agentis, ſed quantum ad modum actionis.*

Senſibilia vero per accidens nullam faciũt differentiam circa immutationem ſenſus. nã nec propriam ſpeciem imprimunt in ſenſum nec modificant ſpeciem proprij ſenſibilis, ſicque nec primò nec per ſe percipiuntur à ſenſu, ſed ſolum per accidens, vt ſubſtantia hominis, vel niuis à viſu, & ſubſtantia panis, & vini à guſtu.

Dicendum eſt 2. Senſibile proprium viſus, eſſe lucem, & colores. Probatur; quia tam lux, quam colores ſunt per ſe primò viſibiles. De luce manifeſtum eſt, cum videamus eam in ſole, & ſtellis, in quibus non eſt color, nec aliud aliquid ratione cuius ſit viſibilis lux. De colore vero docet expreſsè Ariſt.lib.2.de

Ani.

Anima, cap.7.lect.14. apud Diuum Thom. *Viſibile enim eſt color, hic autem eſt de quo viſibile per ſe prædicatur* Neque obſtat, quod ibidem ſubdit: *Nihil eſt viſibile ſine lumine, ſed omninò vnuſquiſque color per lumen viſibilis eſt*. Reſpondetur enim ex doctrina D Thom. ibidem: dupliciter poſſe dici aliquid per ſe viſibile, nempe ex parte obiecti, & ex parte medij. Ex parte obiecti dicitur per ſe viſibile, quod de ſui natura habet poſſe mouere diaphanum in actu cauſando in eo ſui ſimilitudinem, ſeu ſpeciem intentionalem, quę per illud deferatur ad ſenſum. *Et hoc habet color de ſui natura, quod poſſit mouere diaphanum in actu, ex hoc autem, quod mouet diaphanum in actu eſt viſibile*, inquit D. Thom. ac proinde ex parte obiecti per ſe viſibilis eſt color eſſeque viſibilem ei ſecundum ſuam naturam conuenit, non quia ſit prędicatum eius eſſentiale; ſed quia ab eius natura manat, vt propria paſſio: propter quod Ariſt poſtquam dixit viſibile per ſe prædicari de colore, ſtatim ſubdit: *Secundum ſe autem non ratione, ſed quoniam in ipſo habet cauſam eſſendi viſibile.* Ex parte medij dicitur per ſe viſibile, quod facit medium actu diaphanum, & tranſparens, vt poſſit ſuſcipere ſpeciem intentionalem, vel ſimilitudinem obiecti. *Et quia diaphanum non ſit in actu niſi per lumen ſequitur, quod color non ſit viſibilis ſine lumine*, inquit D.Thom., qui & inferius explicat differentiam, quæ quantum ad hoc eſt inter colorem, & lumen dicens: ¶ Virtus coloris in agendo eſt imperfecta reſpectu virtutis luminis. Nam color nihil aliud

liud eſt, quam lux quædam quodammodo obſcurata ex admixtione corporis opaci. Vnde non habet virtutem, vt faciat medium in illa diſpoſitione, qua fit ſuſceptiuum coloris, quod tamen poteſt facere lux pure. ✠

Ex his ſequitur ex duabus opinionibus, quas circa effectum luminis refert D. Thom. ſupra q.79 art.3 ad 2. ¶ Quidam enim dicunt, quod lumen requiritur ad viſum, vt faciat colores actu viſibiles. Secundum alios verò lumen requiritur ad videndum non propter colores, vt fiunt actu viſibiles, ſed vt medium fiat actu lucidum, vt Commentator dicit 3. de Anima. † Hanc ſecundam eſſe à nobis eligendam licèt enim priori nonnunquam vtatur D. Thom. vbi tamen de hac re ex profeſſo agit, vt loco citato, ſcilicet, lib. 2. de Anima, lect.14 poſteriorem ſequitur, vnde ait: ¶ Quidam dixerunt, quod lumen neceſſarium eſt ad videndum ex parte ipſius coloris; dicunt enim quod color non habet virtuté, vt moueat diaphanum, niſi per lumen. Sed hoc manifeſte eſt contra id quod Ariſtot. hic dicit: & quod habet in ſe cauſam eſſendi viſibile. Vndè ſecundum ſententiam Ariſtot. dicendum eſt, quod lumen neceſſarium eſt ad videndum, non ex parte coloris, eo quod faciat colores eſſe actu, quos quidam tantum dicunt eſſe in potentia cum ſunt in tenebris, ſed ex parte diaphani in quantum facit ipſum eſſe in actu, vt in littera dicitur. † Vbi etiam reſpondet S. Doctor ad rationem aduerſariorum, quę talis eſt: ¶ Oportet, quia cum viſus ſit vnus, quod viſibile non ſit niſi

per

per rationem vnam, quod non eſſet, ſi color eſſet per ſe viſibilis, non per virtutem luminis &; item lumen eſſet per ſe viſibile. † Ad quam reſpondet. ¶ Quod cum lux ſit quodammodo ſubſtantia coloris ad eandem naturam reducitur omne viſibile, nec oportet quod color per lumen extrinſecum fiat actu viſibile † Non eſt color formaliter lux) niſi forte ſit color ſolum apparens, quales ſunt colores, quos in nubibus videmus cauſati ex diuerſa irradiatione ſolis, ſed quædam lucis participatio, & qualitas ſecunda reſultans ex luce tanquam ex prima, & ſimplici qualitate oppacitati admixta, vnde *Lux quodammodo obſcurata ex admixtione corporis oppaci* appellatur à D. Thom. Quia ergo nõ eſt formaliter lux, indiget, vt videatur luce externa ex parte medij. Quia vero eſt quædam lucis participatio, non indiget luce externa ex parte ipſius coloris, ſed per ſe eſt viſibilis, ratioque viſibilis in colore, & lumine vna quodammodo eſt, ſicut ad vnitatem viſus requiritur.

Dicendum eſt 3. Senſibile proprium auditus eſſe ſonum. Docet hoc Ariſt 2. de anima cap. 6 lect. 13. apud D. Thom. *Auditus ſoni.* Eſt autem ſonus qualitas, quædam cauſata ex percuſſione corporum, ſolidorum, & medij reſilientia. Vnde, quod Ariſt. lib. 2. de Anima, cap 8 inquit: *Eſt enim motus ſonus*, non eſt formalirer intelligendum, cum ſonus ſit ſenſibile proprium auditus, motus verò ſenſibile commune, & motus dicatur velox, vel tardus, ſonus verò nequaquam, ſed acutus, vel

gra-

grauis; ſed hunc ſenſum cauſalem efficit, quem ibi D.Thom.lectione 17. expreſſit: *Generatur autē ſonus ex motu*, non quia ſit terminus per ſe motus localis, ſed quia ex motu locali, reſultat quædam phyſica alteratio, quę eſt ipſa ſonus productio; ſicut etiam ex motu reſultat calefactio, propter quod dici ſolet motum eſſe cauſam caloris.

Non eſt autem ſonus qualitas prima, nec ſecunda; quia nec ex ipſo fit alia qualitas, nec ĩpſe fit ex permixtione primarum qualitatum, ſed eſt paſſio tertiæ ſpeciei qualitatis, ſicque qualitas citò tranſiens; nam, vt ait Diuus Thomas lib. 2. de Anima, lectione 16. *Non habet eſſe fixum, & quieſcens in ſubiecto, ſed in quadam immutatione conſiſtit.*

Cauſari verò ſonum ex percuſſione corporum ſolidorum, & medij reſilientia docet loco proximè citato Sanctus Doctor, ait enim; *Ad hoc vt ſonus fiat in actu oportet tria concurrere, ſit enim ſemper alicuius, & ad aliquid, & in aliquo.* Id eſt percuſſione percutientis ad percuſſum, & in medio: Ait etiam: ¶ Sonus non fit èx percuſſione quorumcunque corporum, dictum eſt enim ſupra; quod pili, & ſpongia, & huiuſmodi mollia non habent potentiam ſonandi, vnde nullum ſonum faciunt, etiamſi percutiantur. Cuius ratio eſt, quia mollia cedunt percutienti, vnde ex percuſſione, non extruditur aer, vt ſic in eo poſſit formari ſonus ex ictu percutientis, & reſiſtentia percuſſi, Sed ſi huiuſmodi mollia comprimantur, vt aliquam duritiem habeant, & reſiſtant percutienti, ſequitur ſonus

licèt ſonus ſurdus. Sed æs, & corpora lenia, & concaua ſua percuſſione faciunt ſonum. Neceſſe eſt enim, quod illa ex quorum percuſſione ſonus redditur, ſint dura, vt aer extrudatur, quæ quidem extruſio eſt cauſa generationis ſoni. †

Si quæras, quod nam ſit ſubiectum in quo recipitur ſonus? Reſpondetur: non eſſe corpora, quæ ſe percutiunt, ſed medium corpus reſiliens ex vi talis percuſſionis: vnde D. Tho. lib. 2. de Anima, lec. 16. cum Ariſtotele ait: *In corpore ſonante non eſt ſonus niſi in potentia*, (nempe tanquam in cauſa *In medio autem, quod mouetur ex percuſſione corporis ſonantis fit ſonus in actu*. Aliàs non eſſet vnus numero ſonus, ſi in corpore percutiente, & percuſſo ſubiectaretur: & non poſſet ſonus à ventis agitari; vtrumque autem falſum eſſe conſtat; ergo &c Nec obſtat ex diuerſis corporibus ſonantibus diuerſos ſonos prouenire. Reſpondetur namque hoc nō eſſe quia ſonus in illis ſubiectetur, ſed quia aër diuerſimode conteritur, & extrudatur: ſicut, & cum corpus percuſſum eſt plenum, aut concauum, aſperum vel lene, fractum aut integrum. Non obſtant etiam, pulſato cimbalo tam in illo quam in lingua eius manere tinnitum, & ſonum quendam langueſcentem. Reſpōdetur enim ſonum illum non eſſe in ære cimbali aut ferro linguæ eius, ſed in aëre contento in poris vtriuſque, & tandiu durare quandiu perſeuerat aeris commotio ex percuſſione cauſata, ex qua aeris percuſſione prouenit tremor quidam cimbali aut linguæ eius, quo

ceſſan-

ceſſante, aut naturaliter, aut tactu manus; ceſſat ſonus ille vel tinnitus.

Si quæras etiam quomodo ſonus per medium deferatur vſque ad auditum. Reſpondetur hoc optimè explicari cum D.Tho. lib. 2. de Anima lec. 17. vbi ſic habet: ¶ Generatio ſoni in aëre conſequitur motum aëris, vt dictum eſt: ſic autem contingit de immutatione aëris apud generationem ſoni, ſicut de immutatione aquæ quando aliquid in aquam proijcitur, manifeſtum eſt enim, quod fiunt quædam regirationes in circuitu aquæ percuſſæ, quæ quidem circa locum percuſſionis ſunt paruę, & motus eſt fortis, in remotis autem regirationes ſunt magnę, & motus debilior, tandem motus totaliter euaneſcit, & girationes ceſſant. Sic igitur intelligendum eſt; quod ad percuſſionem corporum ſonantium aër in girum mouetur, & ſonus vndique diffunditur; & in vicino quidem girationes ſunt minores ſed motus fortior, vnde, & ſonus fortius percipitur; in remotis autem girationes ſunt maiores, & motus debilior, & ſonus obſcurius auditur, tandem deficit totum. ✠ Si ergo potentia auditiua animalis ſit intra ſpatium, per quod ſonus ſimul cum motu aëris realiter diffunditur, vel extenditur, ſonus realiter deffertur per aerem vſque ad auditum, non tamen intus ingreditur ad ſubſtantiam, ſcilicet aereã contentam ſub tympano, in qua diximus dubio 1. con. 2. ſubiectari potentiam auditiuam. Nam talis aerea ſubſtantia, nec motũ, nec proinde ſonum realiter recipit; quia vt loco

loco proximè citato, ait, D. Tho. cum Ariſt. ¶ Aër, qui eſt connaturalis auditui eſt ædificatus, id eſt, firmiter diſpoſitus in auribus cum hac proprietate, quod ſit immobilis ad hoc, quod animal poſſit ſentire per certitudinem omnes differentias motus. Sicut enim humidum aqueum, quod eſt in pupilla caret omni colore, vt poſſit cognoſcere omnes colorum differentias: ita oportet, quod aer, qui eſt intra tympanum auris careat omni motu ad hoc, quod poſſit diſcernere omnes ſonorum differentias. † Peruenit ergo tunc ſonus realiter ſimul cum motu aeris vſque ad aures; non tamen ingreditur vbi eſt potentia auditiua, ſed in hanc immittit ſpeciem ſoni intentionalem.

Si quæras denique, quomodo generetur ſonus reflexus, ſiue echo? Reſpondetur id optimè explicari a Diuo Thoma lib. 2. de Anima lect. 17. his verbis. ¶ Ad percuſſionem corporum ſonantiū aer in girum mouetur, & ſonus vndiq; diffunditur. Si autē antequam huiuſmodi girationes deficiant, fiat reuerberatio aeris ſic moti, & ſonum deferentis ad aliquod corpus, girationes reuertuntur in contrarium, & ſic auditur ſonus ex aduerſo, & hoc vocatur echo. † Cum autem, vt colligitur ex D.Tho. in 2 d. 2. q. 2. art. 2. ad 5. ſonus intentionaliter poſſit diffundi vltra ſpatium ad quod realiter poteſt peruenire (experimur enim ſonum audiri vltra quam aer percuſſus moueri poſſit: realiter autem ſonum difertur cum motu aeri percuſſi, ergo vltra ſpatium, ad quod realiter peruenit ſonus,

nus, eius ſpecies diffunduntur eodem prorſus modo, quo ſonus ipſe diffundebatur, ſicq; non in inſtanti ſicut ſpecies viſibiles colorum, ſed ſucceſſiuè, & ita, vt à vento verſus vnam partem flante deferantur. ſicut ſonus ipſe) exiſtimo etiam poſſe generari echo, quamuis non ſonus ipſe realiter ſed eius ſpecies diffundantur per aerem: nam poſſunt etiam ſpecies intentionales reflecti, ſicut, & ſpecies viſibiles reflectuntur ab ſpeculo, & per reflexionem talium ſpecierum audibilium, ad auditum formari echo.

Dicendum eſt 3. ſenſibile proprium odoratus eſſe odorem. Hoc manifeſtum eſt Eſt autem odor qualitas quædam: vnde illud, quod de odore, & ſapore ait Ariſt. lib. de ſenſu, & ſenſato: *Fere enim eadem paſſio* Sic explicat D. Thom lect. 9. ¶ Nominat autem vtrumque paſſionem, quia vtrumque eorum eſt in tertia ſpecie qualitatis, quæ eſt paſſio, vel paſſibilis qualitas. † Quod vero idem Ariſt. inquit ſect. 13. Problem. q. 15. *Natura odoris vapor quidam, & exalatio eſt*, non formalem, ſed cauſalem ſenſum efficit: *Quia fumalis euaporatio eſt cauſa quod ſentiatur odor*, vt ait D Thom. lib. de ſenſu, & ſenſato lect. 5. & lect. 14 cum ariſt. dicit odorem non nutrire, ſed confortare, quod qualitati poteſt conuenire. Quia vero odor qualitas ſecunda eſt cauſata ex determinata commixtione qualitatum elementarum in qua ſiccitas cōprehendit ac ſuperat humiditatem, vt cum Ariſt. ait D. Tho. lib 2. de anima, lec. 9 & lib. de ſenſu, & ſenſa. lect. 10. Ideò elementa pu-

ra carent odore. Quod ſi mare odorem habet, ideo eſt, vt ait S. Thom. lib. de ſen & ſenſa. lec. 12. *Quia ſic cum terreſtre admixtum eſt humido aqueo, vt manifeſtatur per ſalſum ſaporem*. Inter metalla verò, vt ibidem lect 10. inquit idem D. Thomas: ¶ Aurum eſt minimè odorabile. Sed æs, & ferrum eſt odorabile. Argentum verô, & ſtagnum ſunt magis odorabilia, quam aurum, minus vero, quam æs, & ferrum. † quorum omnium ibi operationem aſſignat ex maiori, vel minori comprehenſione humiditatis à ſiccitate. Addit verò: *Per frigus, & congelationem ſapores hebetantur, & odores extenuantur*. Et lectio. 5. inquit: *In temporibus, & locis calidis flores ſunt maioris odoris*. Cuius oppoſitum de Egypto ferunt, flores, ſcilicet, non redolere, ob nimiam aeris, ac nebularum Nili humiditatem.

Diffunditur autem odor per medium vſque ad certum ſpatium realiter, & vltra illud intentionaliter; nam ait D. Thom. lib. 2. de Anima lect. 20. ¶ Cum odor cadaueris vſque ad quingenta milliaria, vel ampliùs à vulturibus ſentiatur, impoſſibile eſſet, quod aliqua corporalis euaporatio cadaueris vſque ad tantum ſpatium diffunderetur, &c. Et ideò dicendum eſt, quod ab adorabili reſolui quidem poteſt fumalis euaporatio, quę tamen non pertingit vſque ad terminum vbi odor percipitur, ſed immutatur medium ſpiritualiter vltra, quam dicta euaporatio pertingere poſſit. †

Dicendum eſt 4. Senſibile proprium gu-

ſtus eſſe ſaporem. *Et guſtus ſaporis*, ait Ariſt. lib 2. de Anima, cap. 6. lect. 13. apud D. Thomam, agens de eius proprio ſenſibili. Eſt autem ſapor paſſio, & qualitas tertiæ ſpeciei cauſata, ex permixtione humidi, & ſicci, humido tamen, ſiccum comprehendente, ac ſuperante; in quo ab odore differt. Vnde D. Tho. lib de ſenſu, & ſenſato, lect. 9. cum Ariſt. ait: ¶ Saporem, & odorem fere eſſe eandem paſſionem, quia vtrumque cauſatur ex permixtione humidi, & ſicci, ſecundum aliqualem terminationem à calido, non tamen vtrumque eorum eſt omnino in eiſdem, quia odor magis ſequitur ſiccum, & ideo principalius eſt in fumali euaporatione, ſapor autem magis ſequitur humidum. †. Vnde idem ſapidum, & odoriferum eſt, non ſecundum vnam, & eandem partem, ſed ſecundum diuerſas habet ſaporem, & odorem; eſt enim odor in partibus ſubtilioribus, ſapor verò in groſſioribus, vt etiam colligitur ex D. Thoma lib. 2. de Anima, lect 19.

Dicendum eſt 5. Senſibile proprium tactus eſſe tangibiles qualitates; quæ non percipiuntur à tactu, niſi ſecundum gradus, quibus ſuperant ſimiles qualitates in eo exiſtentes. Probatur: nam cum Ariſtotele, inquit D. Thomas lib. 2. de Anima, lect. 23. ¶ Non ſentimus id, quod eſt calidum, aut frigidum, durum, aut molle ſecundum illum modum, quo hęc inſunt organo tactus, ſed ſentimus excellentia tangibilium, quaſi organo tactus conſtituto in aliqua medietate inter contrarias tangibiles qualitates. ✱

Nam

Nam cum ſenſus debeat eſſe in potentia reſpectu obiecti ſenſibilis, quod percipiendum eſt, non poteſt percipere qualitates, ſecundum quas eſt in actu. Subdit tamen ibidem S. Doctor: ¶ Aliter tamen accidit circa tactum, & circa alios ſenſus: nam in viſu organum viſus eſt in potentia ad album, & nigrum denudatum à toto genere albi, & nigri, eſt enim penitus carens colore. Sed organum, & medium tactus non poteſt denudari à toto genere calidi, & frigidi, & humidi, & ſicci; componitur enim ex elementis, quorum hæ ſunt propriæ qualitates: ſed ſic ſit in potentia organum tactus ad ſua obiecta, in quantum eſt medium inter contraria: medium autem eſt in potentia ad extrema, & propter hoc quanto animal habet cõplexionem magis reductam ad medium, tanto habet meliorem tactum. ✠ Et quæſt. 2. de verit. art. 1. ad 8. de tactu loquens ait: ¶ Organum eius non poteſt eſſe omnino abſque calido, & frigido: eſt tamen quodammodo præter calidum, & frigidum, in quantum eſt mediè complexionatum, medium autem neutrum extremum eſt. ✠ Experientia etiã idem conuincitur; manus enim nimis calida, aut mollis non percipit calorem minus intenſum alterius manus, aut minorem eius molliciem, ſed frigiditatem potius, aut duritiem, qua manus tacta ſuperat tangentem; ſignum ergo eſt tactum non percipere tangibiles qualitates, niſi ſecundum gradus, quibus ſuperant ſimiles qualitates in eo exiſtentes.

Dubium quartum. An & quomodo immutetur ſenſus ab exteriori ſenſibili.

DIcendum eſt 1. Senſum immutari ab exteriori ſenſibili. Probatur: nam D. Thomas hic ait: *Eſt autem ſenſus quedam potentia paſſiua, quæ nata eſt immutari ab exteriori ſenſibili.* Potentia paſſiua dicitur ſenſus, non quia non ſit principium actiuum ſenſationis, ſeu operationis ſentiendi, ſed quia in ordine ad obiectum, & ſpecies, quas ab ipſo emiſſas recipit, mere paſſiuè ſe habet: nam vt docet D. Tho. q. 16. de verit. ar. 1. ad 13. ¶ Non diſtinguitur potentia actiua à paſſiua, ex hoc, quod habet operationem, quia cum cuiuſlibet potentiæ animæ tam actiuę, quam paſſiuæ, ſit operatio aliqua quęlibet potentia animæ eſſet actiua. Cognoſcitur autem earum diſtinctio per comparationem potentię ad obiectum. Si enim obiectum ſe habeat ad potentiam, vt patiens, & tranſmutatum, ſic erit potentia actiua: ſi autem è conuerſo ſe habet, vt agens, & mouens, ſic erit potentia paſſiua. Et indè eſt, quod omnes potentię vegetabilis animę ſunt actiuæ, quia alimentum tranſmutatur per potentiam animæ tam nutriendo, quam in generando. Sed potentię ſenſitiuę omnes ſunt paſſiuę, quia per ſenſibilia obiecta mouentur, & fiunt in actu. ❋

Hinc ſequitur non dari ſenſum agentem; intellectus enim agens propterea conſtituitur,

tur, vt faciat intelligibilia in actu per abſtractionem ſpecierum à cōditionibus materialibus, vt docet D. Thomas infra q. 79. ar. 3. At vt ibidem ad 1. ait S. Doctor: *Senſibilia inueniuntur in actu extra animam: & ideo non oportuit ponere ſenſum agentem.* Licet autem obiectum ſenſibile ſecundum ſe non poſſit producere ſpecies intentionales; eas tamen emittit, vt colligitur ex D. Th. q. 5. de pot. ar. 8. quatenus participat aliquid de modo ſubſtantiarum ſeparatarum.

Dicendum eſt 2 Senſum immutari poſſe ab exteriori ſenſibili dupliciter, naturali ſcilicet, & ſpirituali immutatione. Probatur: nam vt hic ait D. Thom. ¶ Eſt duplex immutatio, vna naturalis, & alia ſpiritualis. Naturalis quidem ſecundum, quod forma immutantis recipitur in immutato ſecundū eſſe naturale, ſicut calor in calefacto. Spiritualis autem ſecundum, quod forma immutantis recipitur in immutato ſecundum eſſe ſpirituale, vt forma coloris in pupilla, quæ non fit per hoc colorata. †

Si autem quæras an vehemens ſenſibile lædat aut corrumpat ſenſum non ſolū quando illum immutat naturali immutatione, ſed etiam quando ſpirituali immutatione illum immutat? Reſpondetur certiſſimum eſſe vehemens ſenſibile ſenſum lædere, aut corrumpere; id enim experientia conſtat, & docent Ariſt. & D. Tho. lib. 2. de Anima, lect. vlt. & lib. 3. lect. 2. nam ſenſus conſiſtit in quadam proportione organi. ¶ Et quia quælibet proportio corrumpitur per ſu-

per abundantiam; ideo excellens ſenſibile corrumpit ſenſum, ſicut quod eſt excellenter graue, & acutum corrumpit auditum, & excellens ſaporoſum corrumpit guſtum, & fortiter fulgidum, vel obſcurum corrumpit viſum, & fortis odor corrumpit olfactum, quaſi ſenſus ſit quædam proportio. † Eſt autem communior opinio, id etiam contingere, quando vehemens ſenſibile ſolum immutat ſenſum per ſpecies intentionales: nam ſicut albedo diſgregat viſum, & nigredo congregat illum, & de colore viridi, ait Ariſt. ſect. 31. Problem. q. 20. recreare, ac roborare viſum, quod non niſi per ſpecies fit: ita ratione ſpecierum poterit vehemens ſenſibile lędere, aut corrumpere ſenſum. Eſt enim obiectum excedens, improportionatum, ac proinde poteſt ſenſus proportionem ſoluere: nam ſenſum immutat contra eius naturã, quæ ſicut in organo quandam temperiem, & mediocritatem requirit, ita, & in obiecto etiam intentionaliter, ac per ſpecies percepto, qua cum caret, moleſtiam parit obiectum. Et non eſt eadem ratio de intellectu, nam cum ſit potentia pure ſpiritualis, non eſt defatigabilis in ſua operatione, ac proinde quicquid poteſt cognoſcere, ſine moleſtia, defatigatione, aut lęſione cognoſcit, licèt, vt poſſit cognoſcere ea, quę ſunt ſibi improportionata, confortatione, & additione virtutis indigeat, ſicut indiget lumine gloriæ ad Deum videndum. At ſenſus, cum ſit potentia corporea affixa organo corporeo, & defatigabilis, non quicquid abſque confor-

tatio,

tatione poteſt cognoſcere, percipit ſine defatigatione, & moleſtia, ſed quędam ægre, & cum moleſtia, ſed quę, ſcilicet, ſibi non ſunt proportionata, & conuenientia, & ita læd poteſt ab illis; Si immutatio ſpiritualis, qua ſenſus immutatur à ſenſibili per ſpecies intentionales, eſſet pure ſpiritualis, ſicut immutatio, qua intellectus immutatur ab obiecto intelligibili per ſpecies intelligibiles, non lęderet vehemens ſenſibile ſenſum; cum tamen ſpecies ſenſibiles, vtpote corporeæ, & diuiſibiles, etiam materialiter ſenſum immutent, illum lædere, aut corrumpere poſſunt, ſi ſint obiecti, aut ſenſibilis vehementis: materialis enim immutatio etiamſi fiat per formam intentionalem, poteſt eſſe diſſona, & contraria naturali ſenſus diſpoſitioni, quę in quadam commenſuratione, & coaptatione cum obiecto ſensibili ſibi proportionato cõſiſtit. Et non eſt inconueniens, per formam intentionalem deſtrui aliquem effectum naturalem, qui in coaptatione prædicta conſiſtit, & quodammodo ad ordinem intentionalem pertinet.

Dicendum eſt tertiò. Ad operationem ſenſus requiri immutationem ſpiritualem. Docet hoc D. Tho. & probat his verbis hic: ¶ Ad operationem autem ſenſus requiritur immutatio ſpiritualis, per quam intentio formæ ſenſibilis fiat in organo ſenſus. Alioquin ſi ſola immutatio naturalis ſufficeret ad ſentiendum, omnia corpora naturalia ſentirent, dum alterarentur. ✠

Hinc colligitur ſenſibile exiſtens in ſenſu ſe

cundum ſuum eſſe naturale, percipi non poſſe à ſenſu, ſicut nec ſenſibile poſitum ſupra ſenſum. *Non enim ſentiunt animalia ſenſibilia appoſita ſuper organum ſenſus*, vt docent Ariſt. & D. Thom. lib. 2. de Anima, lect. 15. & 23. Ratio eſt: quia ſenſibile in ſenſu, vel ſupra ſenſum exiſtens non poteſt illum immutare Immutatione ſpirituali, quæ ad operationem ſenſus requiritur; ad talẽ enim immutationem opus eſt, vt ſit aliquid medium inter ſenſum, & obiectum ſenſibile: nam tali medio ſublato, ſenſus ſenſibile contingit ſecundum totam materialitatem, quam à parte rei habet; vnde cum teſte D. Thoma ſupra q. 14. art. 1. ſenſus cognoſcitiuus ſit: *Quia receptiuus eſt ſpecierum ſine materia*, materialitas obiecti ſenſibilis in ſenſu recepta ab eoque tacta, eius cognitionem, aut ſenſationem impedit.

Nec obſtat febricitantes percipere calorẽ febris, qui in organo tactus eſſe videtur. Reſpondetur enim ſolum percipere calorem exiſtentem in medio nempe carne qua organum tactus coopertum eſt Et licèt calor, aut frigiditas in organo tactus exiſtens ſenſibilis ac tangibilis ſit; non tamen ab ea parte organi in qua eſt, poteſt percipi, ſed ab alia quæ ſimilem qualitatem habet non in tanta intenſione.

Non obſtat etiam, quod hic ait D. Thom. ¶ Ex parte autem organi eſt immutatio naturalis in tactu, & guſtu: nam & manus tangens calida caleſcit, & lingua humidatur per humiditatem ſaporum. ✠ Reſpondetur

nam-

namque immutationem naturalem organi tactus non fieri à qualitate tangibili ſecundum gradus quibus percipitur; nam, vt diximus dubio præcedente concluſ. vltim tangibiles qualitates non percipiuntur à tactu niſi ſecundum gradus quibus ſuperant ſimiles qualitates in eo exiſtentes; vnde licèt, vt color immutet intentionaliter tactum, requiratur, vt calefaciat organum; non tamen opus eſt, vt ſecundum illum gradum quo intentionaliter immutat, immutet etiam naturaliter calefaciendo; ſed ſatis eſt, vt ſi percipiendus eſt calor vt octo, calefiat organum vt duo verbi gratia.

Dubium 5. Vnde ratio diſtinctionis, & numeri ſenſuum externorum ſit accipienda.

Dicendum eſt primo: Non eſſe accipiendam ex parte organorum. Docet hoc D.Thom. hic, & probat. ¶ Non enim potentiæ ſunt propter organa, ſed organa propter potentias. Vnde non propter hoc ſunt diuerſæ potentiæ, quia ſunt diuerſa organa. Et ideo natura inſtituit diuerſitatem in organis, vt congruerent diuerſitati potentiarum. ✠ Qui ergo ex organis diſtinctionem ſenſuum externorum colligunt. *Non aſſignant cauſam quæſiti, ſed effectum*; vt hic ait Caietanus, & non tamen propter hoc, falſitatis arguuntur; ab effectu enim, & à poſteriori optimè poteſt colligi numerus, &

 di-

diſtinctio ſenſuum ex numero, & diſtinctione organorum, in quibus ſunt.

Dicendum eſt 2 Neque eſſe accipiendam ex parte mediorum. Probat hoc D. Thom. *Nam ſimiliter diuerſa media diuerſis ſenſibus attribuit* (ſcilicet natura,) *ſecundum quod erat conueniens ad actus potentiarum*. Vnde per illa non aſſignatur cauſa quæſiti, ſed effectus, ſicut, & per organa, vt ait Caietanus hic.

Dicendum eſt 3. Neque eſſe accipiendam ex diuerſa natura qualitatum ſenſibilium. Probat hoc D. Thomas: quia *naturas ſenſibilium qualitatum cognoſcere non eſt ſenſus, ſed intellectus*. Ac proinde tertia opinio hic relata à D. Thoma, quam his verbis impugnat, *Aſſignat cauſam per accidens, & ideo peior eſt omnibus*, vt hic ait Caietanus. Diſtinguuntur quidem ſenſus per ſenſibilia, quatenus tamen ab ipſis percipiuntur, eorumque obiecta ſunt, potentiæ enim per obiecta diſtinguuntur. At ſenſus externi non percipiunt naturas qualitatum ſenſibilium, neque tales naturæ ſunt ſenſuum externorum obiecta, ſed intellectus; & ideo licèt in diuerſis ſenſibilibus, & obiectis ſenſuum diuerſæ ſint naturæ, hoc per accidens ſe habet reſpectu ſenſuum; ac proinde ratio diſtinctionis, & numeri ſenſuum externorum non eſt accipienda ex diuerſa natura qualitatum ſenſibilium.

Dicendum eſt 4. Rationem diſtinctionis, & numeri ſenſuum externorum accipiendã eſſe ex diuerſitate exterioris immutatiui. Probat hoc D. Thom. hic, ita: ¶ Accipienda eſt ratio numeri, & diſtinctionis exteriorum

rum ſenſuum ſecundum illud, quod propriè, & per ſe ad ſenſum pertinet. Eſt autem ſenſus, quædam potentia paſſiua, quæ nata eſt immutari ab exteriori ſenſibili. Exterius ergo immutatiuum eſt, quod per ſe à ſenſu percipitur, & ſecundum cuius diuerſitatem ſenſitiuæ potentiæ diſtinguuntur. ✠ Eſt enim quoddam immutatiuum, quod ſola immutatione ſpirituali immutat ſenſum nulla præſuppoſita immutatione naturali, aut ex parte obiecti, aut ex parte organi: & hoc modo immutatur à ſuo obiecto, vel ſenſibili viſus, qui maximè ſpiritualis eſt, & perfectior, ac communior inter omnes ſenſus. Aliud quod, vt ſenſum immutet immutatione ſpirituali requirit immutationem naturalem ſecundum locum ex parte obiecti: & hoc modo ſonus, qui eſt obiectum, ac ſenſibile auditus, illum immutat: *Nam ſonus ex percuſſione cauſatur, & aëris percuſſione*. Aliud quod, vt ſenſum ſpiritualiter immutet, requirit etiam ex parte obiecti immutationem naturalem ſecundum alterationem: & hoc modo odor, qui eſt obiectum, & ſenſibile odoratus immutat olfactum; *Oportet enim per calidum alterari aliquo modo corpus ad hoc quod ſpiret odorem*. Aliud quod, vt ſenſum ſpiritualiter immutet, requirit immutationem naturalem ex parte organi, ratione alicuius præambulæ qualitatis: & hoc modo ſapor, qui eſt ſenſibile, & obiectum guſtus illum immutat; vt enim illum ſpiritualiter immutet, oportet, vi eius organum naturali immutatione immutetur. *Secundum humorem, quæ*

eſt obiectum tactus, vt in ſolutio 4. dicitur. Aliud denique, quod vt ſenſum ſpiritualiter immutet, requirit immutationem naturalem ex parte organi factam ab ipſomet, licèt non ſecundum illum gradum quo percipitur, vt diximus dubio 3. concluſ. vltim. Et hoc modo qualitates tangibiles immutant tactũ: *Nam tactus immutatur naturali immutatione, & non ſolum ſpirituali quantum ad organũ ſuũ ſecundum qualitatẽ, quę ei propriè obijcitur*. Vt in ſolutione quarti inquit D. Tho. Cum ergo nec plura nec pauciora ſint exterius immutatiua, non erunt plures, nec pauciores quã quinque ſenſus externi.

ARTICVLVS IV.

Vtrum interiores ſenſus conuenienter diſtinguantur.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium 1. *Sitne conſtituendus ſenſus communis à quinque ſenſibus externis realiter diſtinctus.*

PArs negans probatur primo. Si enim eſſet conſtituendus, maximè, vt ex his quæ cognoſcuntur à ſenſibus exterioribus vnum ab altero diſcerneret: ſed ad hoc non requiritur; ergo, &c. Probatur minor: quia huiuſmodi diſcretio fieri poteſt, vt arguit

guit D.Thom.lib.2 de Anima, lect.3. *Non quadam vna potentia, ſed diuerſis, vt ſcilicet in quantum guſtu cognoſcimus dulce, & viſu albũ.*

Secundo. Senſus externi poſſunt cognoſcere ſuas ſenſationes; ergo non eſt neceſſarium conſtituere ſenſum communem; vt cognoſcat ſenſationes ſenſuum externorum. Antecedens probat ex D. Thoma, q.10. de verit. art 9. vbi ſic habet: ¶ Viſus primo dirigitur in colorem, ſed in actum viſionis ſuæ non dirigitur niſi per quandam reditionem, dum videndo colorem videt ſe videre. ✠

Dicendum tamen eſt: Conſtituendum eſſe ſenſum communem à quinque ſenſibus exterioribus realiter diſtinctum. Hunc ſenſum communem, D.Damaſcen.2.lib.de fide, cap.18. appellat ſenſum principem, cui ſenſus externi, vt miniſtri famulantur, deferentes ad eum omnimodas rerum perceptarum ſpecies per neruos; *Nuntiantes ſenſuum principi eam ſenſationem, quæ facta eſt*. D.Thom. hic ad 1.de eo ait: ¶ Non dicitur communis per prædicationem ſicut genus, ſed ſicut communis radix, & principium exteriorũ ſenſuum. ✠ Et Opuſc. 43. cap 4. (ſi eius eſt) ¶ Eius organum eſt prima concauitas cerebri à quo nerui ſenſuum particularium oriuntur, & hinc eſt, quod quantum ad diſtinctionem ſpiritus animalis, ſenſus proprij deriuantur à communi. ✠

Ob duo munera conſtituendam eſſe hunc ſenſum communem à quinque ſenſibus exterioribus realiter diſtinctum docet D. Thomas hic ad 2.

Pri-

Primum eſt: cognoſcere omnia, quę quinque ſenſibus exterioribus cognoſcuntur, vnumque ab alio diſcernere, inquit enim: ¶ Senſus proprius iudicat de ſenſibili proprio diſcernendo ipſum ab alijs, quæ cadunt ſub eodem ſenſu; ſicut diſcernendo album à nigro, vel viridi. Sed diſcernere album à dulci non poteſt, neque viſus, neque guſtus; quia oportet, quod, qui inter alia diſcernit vtrumque cognoſcat. Vnde oportet ad ſenſum communem pertinere diſcretionis iudicium, ad quem referantur, ſicut ad communem terminum omnes apprehenſiones ſenſuum. ✠ Idem dicit S. Doctor ſupra q. 57. art, 2. & q. de Anima art. 13. Si quæras autem an diſcretio hæc inter ſenſibilia externa fiat à ſenſu communi vnica ſpecie, & vno actu, an vero pluribus? Reſpondetur: fieri per plures, ac diuerſas ſpecies: vno tamen actu. Fit enim per ſpecies deſumptas ex ſenſibus exterioribus, quæ plures ſunt, licèt, vt deſeruiunt ſenſui communi ſint partiales (ſicut, & obiecta ſenſuum externorum reſpectu ſenſus communis partialia ſunt, in eaque fertur ſecundum vnam rationem communem ſibi adæquatam, nempe ſenſibilis exterioris, vt docet D. Thomas ſupra q. 1. art. 3. ad 2. & q. 15. de verit. art. 1. ad 3. ac proinde habent rationem vnius, quatenus per eas cognoſcuntur obiecta habentia inter ſe ordinem conuenientiæ, & differentiæ, & contenta ſub vna ratione communi, actus autem quo à ſenſu communi fit prædicta diſcretio, non eſt propriè iudicium, ſed largè, & impropriè.

priè, qua ratione ſimplex apprehenſio etiam ſenſus exterioris iudicium appellatur, iuxta illud Iob 12.v.11. *Nõne auris verba diiudicat, & fauces comedentis ſaporem?* Vnde D.Thom. hic, & Ariſt. lib.3. de Anima, cap. 2. docent viſum iudicare differentiam albi, & nigri, ſenſum vero communem differentiam albi, & dulcis; ac proinde ſicut ſenſus exterioris iudiciũ.ſolũ dicit apprehenſionẽ albi, & nigri diuerſimodè afficientium viſum: ita iudiciũ ſenſus communis ſolum importat apprehenſionem albi, & dulcis diuerſimodè afficientium viſum, & guſtum; immo, & ipſum ſenſum communem. Nec opus eſt, vt ſenſus communis propoſitiones aliquas efficiat, aut obiecta ſenſuum externorum, & eorum ſpecies componat,& vnum alteri comparet; quia non diſcernit inter illa in actu ſignato, ita vt cognoſcat quid ſit illud, in quo vnum ab alio differt; ſed ſolum in actu exercito, quia diuerſis immutationibus ab illis immutatur, & diuerſo modo ab eiſdem afficitur.

Secundum eſt, cognoſcere ſenſationes ſenſuum externorum, ait enim D.Thomas; ¶ A quo etiam percipiuntur intentiones ſenſuum cum aliquis videt, ſe videre. Hoc enim non poteſt fieri per ſenſuum proprium, qui non cognoſcit niſi formam ſenſibilis à quo immutatur, in qua immutatione perficitur viſio, & ex qua immutatione ſequitur alia immutatio in ſenſu communi, qui viſionem percipit. † Hæc duo munera, ob quæ ſenſum communem conſtituendum eſſe docet D.T. tradit etiam Ariſt lib.de ſomno, & vigilia cap.2.

cap.2.vbi, & ait: in ſenſu communi, in quo eſt ſentiendi principatus, & qui cum ſic affe-ctus eſt, vt ſentire non poſſit, neceſſe eſt ſenſus externos munus ſentiendi exequi non poſſe, ſomnum & vigiliam conſiſtere.

Ad 1. reſpondetur negando min. Ad probat. S.Thom. ibi reſpondet cum Ariſt. ¶Quod non contingit diſcernere, quod dulce ſit alterum ab albo ſeparatis potentijs, id eſt diuerſis, ſed oportet ad diſcernendum inter ea, quod ſecundum aliquam vnam potentiam manifeſtum ſit nobis. Ita enim eſſet ſi diuerſis potentijs ſentiremus dulcem, & album, ſicut ſi diuerſi homines ſentirent vnus dulce, & alius album. Puta ſi ego ſentio hoc, & ille illud. Hoc autem poſito manifeſtum eſt, quod altera ſunt ad inuicem dulce, & album, quia aliter patior ego à dulci, quam tu ab albo; ſed tamen diuerſitas iſta non erit nobis per ſenſum manifeſta, ſed oportet, quod vnus ſit qui dicat, & ſentiat alterum eſſe dulce ab albo. Sicut igitur oportet, quod vnus homo, qui dicit alterum eſſe album à dulci, ſit qui cognoſcit vtrumque ita oportet, quod vna potentia ſit, qua cognoſcitur vtrumque, nam homo non cognoſcit niſi per aliquam potentiam. ✠

Ad 2. reſpondetur negando antecedens. Ad probationem Ferrarienſis 2. contra gentes cap 66. ratione 4. dicit, illud intelligendum eſſe de viſu non ſecundum ſe, ſed ratione ſenſus communis, qui vt cum viſu continuationem habet, vt principium viſus, & terminus viſionis, nomen viſus ſortitur, & vt inquit

quit D.Thom.in fine expoſitionis textus 158, lib.2.de Anima lect 3.non eſt potentia extranea à potentia viſiua. Sicut autem teſte D. Thom.q 10. de verit art. 9. ad 10. ¶ Intellectus cognoſcit ſpeciem intelligibilem non per eſſentiam ſuam neque per aliquam ſpeciem, ſed cognoſcendo obiectum cuius eſt ſpecies per quandam reflexionem ✠. Ita viſus ratione ſenſus communis, vel ſenſus communis, vt nomen viſus ſortitur, videt ſe videre, non per aliquam ſpeciem propriam viſionis, ſed videndo obiectum cuius eſt viſio per quandam reflexionem. Videt verò hoc modo viſionem quantum ad an eſt, & non quia cognoſcat quidditatem viſionis. *Quamuis enim ſenſus cognoſcat ſe ſentire, non tamen cognoſcit naturam ſuam, & per conſequēs nec naturam ſui actus.* Ait D. Thom.q. 1. de verit.art.9. Sicque reditio eius non eſt completa, ſed incompleta, vt ibidem, & qu.10. etiam de verit.art.9 ait idem S.Doctor; in quo ſenſus diſtinguitur ab intellectu. *Qui reditione completa redit ad cognoſcendam eſſentiam ſuam.* Et per conſequens ſui actus.

Dubium 2. Sitnè conſtituenda phantaſia, ſeu imaginatiua à ſenſu communi diſtincta.

PArs negans probatur 1. Phantaſia non habet organum, & ſubiectum diſtinctū à ſubiecto, & organo ſenſus communis; ergo non eſt ſenſus ab eo diſtinctus. Conſequentia

tia patet: nam ſenſus diſtincti poſtulant diſtincta organa, & ſubiecta. Antecedens probatur: in cerebro vbi ſunt omnes ſenſus interni, ſolum ſunt tres quaſi ventriculi, in quorum primò eſt ſenſus communis, in ſecundo æſtimatiua, vel cogitatiua, in tertio memoria, ergo cum phantaſia, ſeu imaginatiua ſit in prima parte cerebri, in eodem ſubiecto, & organo erit, in quo eſt ſenſus communis. Confirmatur in animalibus ſemper fectis, quibus ſenſus tactus ſolum ineſt, phantaſia non eſt diſtincta à ſenſu communi, vt docet Ariſt. & D. Thomas lib 3. de Anima lect. 16. ergo, & in alijs animalibus.

Secundo ſenſus communis, & phantaſia cognoſcunt per eaſdem, eiuſdemque rationis ſpecies; ergo habent idem obiectum, repręſentatum, ſcilicet, per tales ſpecies, ac proinde non ſunt diſtinctæ potentiæ. Confirmatur: phantaſia cognoſcit ſenſibilia, vt pręſentia, ſicut ſenſus communis, & hic cognoſcit ſenſibillia in eorum abſentia, ſicut, vt colligitur ex D. Thoma infra q. 84. art 8. ad 2. aſſerente: ¶ Si motus vaporum fuerit modicus ſenſus communis ex parte ſoluitur, ita, quod homo iudicat interdum in dormiendo ea, quę videt ſomnia eſſe, quaſi diiudicans inter res, & rerum ſimilitudines. ✠ Quod cognitionem in abſentia ſenſibilium arguit; ergo non ſunt ſenſus diſtincti.

Dicendum tamen eſt conſtituendam eſſe phantaſiam; ſeu imaginatiuam à ſenſu communi diſtinctam. Hoc docet, & probat D. Thomas hic, his verbis: ¶ Ad vitam animalis

lis perfecti requiritur, quod non ſolum apprehendat rem apud præſentiam ſenſibilis, ſed etiam apud eius abſentiam, alioquin cum animalis motus, & actio ſequatur apprehenſionem, non moueretur animal ad inquirendum aliquid abſens: cuius contrarium apparet maximè in animalibus perfectis, quę mouentur motu proceſſiuo, Mouentur enim ad aliquid abſens apprehenſum. Oportet ergo, quod animal per animam ſenſitiuam non ſolum recipiat ſpecies ſenſibilium cum præſenſentialiter immutatur ab eis, ſed etiam eas retineat, & conſeruet Recipere autem, & retinere reducuntur incorporalibus ad diuerſa principia. Nam humida benè recipiunt, & malè retinent: è contrariò autem eſt, de ſiccis. Vnde cum potentia ſenſitiua ſit actus organi corporalis, oportet eſſe aliam potentiam, quæ recipiat ſpecies ſenſibilium, & quę conſeruet, &c. Sic ergo ad receptionem formarum ſenſibilium ordinantur ſenſus proprius, & communis. Ad harum autem formarum retentionem, aut conſeruationem ordinatur phantaſia, ſiue imaginatio quaſi theſaurus quidam formarum per ſenſum acceptarum. ✠ Ex quibus hæ duæ rationes colligi poſſunt pro noſtra concluſione.

Prima eſt: Senſus externi, & communis ſolum cognoſcunt ſenſibilia in eorum præſentia: ſed phantaſia, ſeu imaginatiua ſenſibilia cognoſcit in eorum abſentia; vnde dum animal vigilat ſæpe mouetur ad inquirendũ aliquid abſens, quod imaginatur, & dum dormit in eius phantaſia apparent phantaſ-

ma-

mata, & ſomnia rerum abſentium; ergo diſtincta eſt à ſenſu communi.

Secunda eſt: Senſus externi, & communis licèt facile recipiant ſpecies ſenſibilium, non tamen eas retinent quia ſenſibilia non cognoſcunt in eorum abſentia; phantaſia vero ſeu imaginatiua è contra bene retinet, non tamen facile recipit ſpecies ſenſibilium, niſi forte per accidens in aliquibus ob peculiarem diſpoſitionem ac temperiem organi eius, nunquam verò eas ita facile recipit ſicut ſenſus externi, & communis, vnde vt tales ſpecies in imaginatiua recipiantur, & conſeruentur ſemel atque iterum opus eſt obiectum apprehendi; ergo cum potentia, quæ ſolum recipit ſit diſtincta ab ea quæ conſeruat ſpecies ſensibilium; diſtinctæ potentiæ erunt ſenſus communis, & phantasia, ſeu imaginatiua.

Tertiam adde rationem: Phantasia, ſeu imaginatiua non ſolum habet ſpecies ſensibilium exteriorum recipere, & conſeruare, ſed etiam eas ad inuicem componere, & ex illis alias formare, nam vt ait D. Tho. ſupra q. 12. art. 9. ad 2. *Imaginatio ex preconceptis ſpeciebus montis, & auri format ſpeciem montis aurei*. At ſenſus communis hoc non habet; ergo &c.

Ad 1. vero reſpondetur negando antecedens. Ad probationem reſpondetur ex D. Thoma, vel auctore Opuſc. 43. cap. 4. vbi de phantasia, ſeu imaginatiuá loquens ait: ¶ Huius organum eſt poſt organum ſenſus communis in parte cerebri, quæ sic non abun-

abundat humido ſicut prima pars cerebri, in qua ſitum eſt organum ſenſus communis, & ideo melius poteſt retinere formas ſenſibiles re abſente. ✠ Licèt enim tres ſolum diſtingui ſoleant, quaſi ventriculi, primus tamen diuiſus eſt in duas partes, in quarum prima eſt organum ſenſus communis, & in ſecunda phantasiæ, ſeu imaginatiuę organũ. Ad confirmationem reſpondetur negando conſequentiam. Differentia eſt quia, vt ibidem ait Diuus Thomas; ¶ Huiuſmodi animalia imperfecta non imaginantur niſi ad præſentiam ſenſibilis: † & ita non habent phantaſiam determinatam, & diſtinctam à ſenſu communi. Animalia vero perfecta aliquid diſtans, & in abſentia ſenſibilis imaginantur. ¶ Illa autem animalia dicit Philoſophus phantaſiam habere, quibus aliquid ſecundum phantaſiam apparet, etiam dum non actu ſentitur, † ait ibidem S Doctor.

Ad ſecundum quidam dicunt, phantaſiã, & ſenſum communem diſtingui in ratione potentię receptiuæ, quia ſcilicet ſenſus communis bene recipit, & male retinet; phantaſia vèro male recipit, & bene retinet ſpecies ſenſibiles; non tamen diſtingui in ratione potentiæ cognoſcitiuæ: quia ad hoc, opus erat, vt cognoſcerent per ſpecies diſtinctas, quod tamen non habent, cum ſpecies quas ſenſus communis recipit à ſenſibus externis, conſeruentur in phantaſia, & per eas vtraque potentia cognoſcat. Sed melius reſpõdetur cum alijs etiam in ratione potentiæ cognoſcitiuę diſtingui ſpecie. Nam ſicut licet

cet

eèt per eaſdem ſpecies per quas cognoſcunt ſenſus externi, cognoſcat etiam ſenſus communis, hic tamen diſtincta potentia cognoſcitiua eſt ab illis; ita, & phantasia á ſenſu communi: Habet enim phantasia vt potentia cognoſcitiua diſtinctum formaliter obiectum, & magis abſtractum minuſque materiale, quam ſenſus communis. Vnde licèt ſpecies vtrique potentię deſeruiẽtes ſint entitatiuè, & materialiter eadem; diſtinctæ tamen ſunt quaſi formaliter, quatenus, vt deſeruientes phantaſiæ diſtinctum, ac ſuperiùs obiectum repręſentant illi, ab eo, quod repræſentant ſenſui communi, vt illi deſeruiunt: nempe ſenſibile exterius, vt abſtrahens a præſentia, & hoc ſufficit ad diuerſitatem potentiarum cognoſcitiuarum ſubordinatarum, quales ſunt phantaſia, & ſenſus communis externi, Ad confirmationem quidam dicunt phantaſiam, cognoſcere quidem ſenſibilia dum præſentia ſunt; non tamen quatenus ſunt pręſentia; ac proindè non intuitiuè (vt ea cognoſcunt ſenſus externi, & communis) ſed abſtractiuè. Alij verò docent phantaſiam vtraque notitia, tam ſcilicet intuitiua, quam abſtractiua cognoſcitiuam eſſe ſenſibilium externorum; ſicque, tam, vt abſentia, quam, vt præſentia poſſe cognoſcere: nam dicunt eius obiectum eſſe ſenſibile externum, prout abſtrahit à pręſenti, vel abſenti, ac proindè, tam, vt abſens, quã, vt præſens poſſe cognoſci. Ex quo non ſequitur ſuperfluos eſſe ſenſus exteriores, & communem: nam licet potentia ſuperior cognoſcat

ſcat quicquid cognoſcunt inferiores illi ſubordinatæ, id tamen cognoſcit modo, & ſub ratione ſuperiori, & eleuatiori, & non ſolum hic modus cognoſcendi neceſſarius eſt, ſed etiam alij inferiores, vt per eos veluti per quoſdam gradus aſcendatur ad ſuperiorem. Ad id vero, quod in ſecunda parte antecedentis dicitur, reſpondetur, licet ſenſus communis quandoque dormiente homine cognitione imperfecta, & indiſtincta cognoſcat in abſentia ſenſibilium hoc tamen non habere ex ſe, ſed ex coniunctiome ad phantaſiam, & participatiuè ab illa.

Dubium tertium. Sit nè conſtituenda æſtimatiua, vel cogitatiua diſtincta à phantaſia, ſeu imaginatiua.

PArtem negantem quidam tenent, & probant. Eadem potentia, quæ cognoſcit rationes non ſenſatas, debet cognoſcere rationes ſenſatas eiuſdem obiecti; ergo propter has rationes cognoſcendas non erunt conſtituendę diuerſę potentię, ſed vna, & eadem ſufficit ad vtramque attingendam. Antecedens probatur: Tum, quia per eandem ſpeciem repræſentatur obiectum ſub vtraque ratione, nequit enim ſpecies lupi repræſentare illum oui, vt inimicum, quin repręſentet illum ſub hac figura, colore, &c. ergo etiam eadem potentia cognoſcet obiectũ ſub vtraque ratione. Tum etiam, quia etiam ſi per diuerſas ſpecięs repręſentarentur hæ

ra-

rationes adhuc eadem potentia attingeret illas: quia potentia percipiens lupum, vt hoſtem, oportet, vt percipiat ipſum lupum, qui tamen percipi nequit niſi per externa accidentia, quę ſunt rationes ſenſatæ; ergo, &c.

Dicendum tamen eſt: Conſtituendam eſſe ęſtimatiuam, vel cogitatiuam diſtinctam à phantaſia, ſeu imaginatiua. Hoc his verbis docet, & probat D. Thomas hic: ¶ Si animal moueretur ſolum propter delectabile cō triſtabile ſecundum ſenſum, non eſſet neceſſarium ponere in animali niſi apprehenſionem formarum quas percipit ſenſus, in quibus delectatur, aut horret. Sed neceſſarium eſt animali, vt quęrat aliqua, vel fugiat, non ſolum quia ſunt conuenientia, vel non conuenientia ad ſentiendum; ſed propter aliquas alias commoditates, & vtilitates, ſiue nocumenta. Sicut ouis videns lupum venientem fugit non propter indecentiam coloris, vel figuræ, ſed quaſi inimicum naturæ. Et ſimiliter auis colligit paleam, non quia delectet ſenſum, ſed quia eſt vtilis ad nidificandum. Neceſſarium eſt ergo homini, quod percipiat huiuſmodi intentiones, quas non percipit ſēſus exterior. Et huius perceptionis oportet eſſe aliquod principium, cum perceptio formarum ſenſibilium, ſit ex immutatione ſenſibili, non autem perceptio intentionum prædictarum, &c. Ad apprehendendum autem intentiones, quæ per ſenſum non accipiuntur, ordinatur, vis æſtimatiuà. ✠

¶ Conſiderandum eſt autem, quod quantum

tum ad formas ſenſibiles non eſt differentia inter hominem, & alia animalia ſimiliter enim immutantur à ſenſibilibus exterioribus. Sed quantum ad intentiones prædictas differentia eſt. Nam alia animalia percipiunt huiuſmodi intentiones ſolum naturali quodam inſtinctu homo autem per quandam collationem, & ideò quæ in alijs animalibus dicitur æſtimatiua naturalis, in homine dicitur cogitatiua, quæ per collationem quandã huiuſmodi intentiones adinuenit. Vnde etiã dicitur ratio particularis, cui Medici aſſignant determinatum organum ſcilicet mediam partem capitis. ✠

Ex quibus hæc optima ratio colligitur. Phantaſia non poteſt percipere intentiones ſeu rationes non ſenſatas inimicitiæ, vtilitatis, &c. ergo præter illam conſtituenda erit æſtimatiua, quæ has rationes percipiat; Conſequentia patet: nam huius perceptionis oportet eſſe aliquod principium. Antecedens probatur, quia phantaſia ſolum percipit conuenientiam, vel non conuenientiam ad ſentiendum; quam quia apprehendit dum ſenſibilia externa apprehendit, vt ſenſu delectabilia aut moleſta, mouere poteſt appetitum ſenſitiuum, in hocque excitare varios affectus doloris, triſtitiæ, aut delectationis; nunquam tamen cognoſcit rationes conuenientis, vel diſconuenientis in ordine ad naturam, quæ ſunt rationes non ſenſatæ.

Ad argumentum autem factum in principio reſpondetur primò, negando conſequentiam; nam ſicut præter phantaſiam, quę co-

gnoſcit ſenſibilia præſentia, & abſentia, conſtituitur ſenſus communis ſenſibilia cognoſcens ſolum præſentia licèt æſtimatiua, tam ſenſatas, quam inſenſatas rationes cognoſcat, præter illam conſtituenda erit, phantaſia, quæ ſolum rationes ſenſatas cognoſcat,in potentijs enim ſubordinatis licèt ſuperior cognoſcat quicquid inferior; non tamen propter hoc inferior ſuperflua eſt. Secundò reſpondetur negando antecedens; ſicut enim, vt diximus dub.præced.cum nonnullis,phãtaſia non cognoſcit ſenſibilia, vt præſentia, ſed ſolum, vt abſentia, vel abſtrahentia à præſentia, & actuali exiſtentia: ita eſtimatiua non cognoſcit rationes ſenſatas, ſed ſolum non ſenſatas. Ad primam probationem nego antecedens, ſicut enim ſpecies viſibilis huius albi, nempe, hominis, non repręſentat illud ſub ratione ſubſtantiæ, ſed ſolum ſub ratione albedinis; ſub qua illud percipit viſus, & non ſub ratione ſubſtantiæ: ita ſpecies lupi, æſtimatiuæ ouis non repręſentat illum ſub hac figura colore &c. Sed vt inimicum, & ſub ratione diſconuenientis eius naturæ, æſtimatiuaque proinde ouis ſolum cognoſcit lupum, vt diſconuenientem; & inimicum formaliter, colorem verò, figuram, & accidentia ſenſibilia, non æſtimatiua,ſed phantaſia, & ſenſus communis, & externi cognoſcunt, Neque apprehènſio, & illud quaſi iudicium æſtimatiuæ, hic eſt inimicus, includit intrinſecè cognitionem eius qui inimicitias gerit, ſicut nec apprehenſio,& illud quaſi iudicium viſus, hoc eſt album includit intrin-

trinſecè cognitionem ſubſtantiæ, quæ eſt ſubiectum albedinis.

Si autem quæras,à quo producatur ſpecies repræſentans eſtimatiuæ rationes non ſenſatas inimicitiæ, verbi gratia. Reſp. produci ab obiecto mediante ſpecie,quam per ſenſus externos, & communem immiſit in phantaſiā: nam licèt illa ſpecies directè, & formaliter ſolum repræſentet externa accidentia, & rationes ſenſatas; tamen, vt ſemen obiecti habet virtutem inſtrumentariam producēdi aliam ſpeciem altiorem repręſentantem rationes inſenſatas in æſtimatiua capaci recipiendi talem ſpeciem. Vnde ſpecies lupi recepta in ſenſu communi, aut conſeruata in phantaſia ouis virtute ſui obiecti, nempe lupi habet producere in æſtimatiua,ouis ſpeciē repręſentantem lupum, vt inimicum, recepta tamen in ſenſu communi: aut conſeruata in phantaſia alterius lupi non habet producere in eſtimatiua talis lupi ſpeciem repreſentantem lupum, vt inimicum; quia æſtimamatiua ouis eſt capax talis ſpeciei, non verò æſtimatiua lupi: capacitas autem prouenit ex naturali determinatione, quam habet ęſtimatiua ratione radicationis in natura, in qua eſt. Vnde ex ſubiecto prouenit, vt calor naturalis producat lac in fœmina, & non in viro: ita ex ſubiecto prouenit, vt ſpecies ſenſata lupi producat ſpeciem non ſenſatam inimicitię in oue, & non in lupo, niſi forte talis ſpecies repræſentet etiam alia accidentia denotantia inimicitiam vnius lupi ad alium.

Ad ſecundam probationem hinc patet negādum eſſe antecedens.

Dubium. 4. Sit ne conſtituenda memoria diſtincta ab æſtimatiua.

Pars negans probatur: non eſt conſtituenda memoria intellectiua diſtincta ab intellectu, ergo neque memoria ſenſitiua diſtincta à ſenſu, & æſtimatiua.

Dicendum tamen eſt: Præter æſtimatiuam & alios ſenſus interiores conſtituendam eſſe memoriam ab illis diſtinctam. Docet hoc D. Th. hic, & probat his verbis: ¶ Ad apprehendendum intentiones, quæ per ſenſum non accipiuntur, ordinatur vis ęſtimatiua. Ad conſeruandum autem eas vis memoratiua, quæ eſt theſaurus quidam huiuſmodi intentionum. Cuius ſignum eſt, quod principium memorandi fit in animalibus ex aliqua huiuſmodi intentione; puta, quod eit nociuum, vel conueniens. Et ipſa ratio præteriti, quam attendit memoria inter huiuſmodi intentiones computatur ❋ Ex quibus patet memoriam à ſenſu communi, & phantaſia diſtingui, quia eſt intentionum non ſenſatarum; ab æſtimatiua vero, quia hæc eſt talium intentionnm apprehenſiua, memoria autem conſeruatiua: item quia æſtimatiua eſt talium intentionum, vt pręſentiū memoria vero, vt pręteritarum: vnde non minus differt memoria ab æſtimatiua, quam phantaſia à ſenſu communi.

Hinc,

Hinc, vt ait D.Tho Opuſc.43.c.4.¶ Patet quomodo eſt excellentia in potentijs animę ſenſitiuę. Senſus enim proprius non poteſt apprehendere niſi vnum ſenſatum,ſenſus vero communis plura. Item ſenſus communis non poteſt aliquid apprehendere niſi ad præſentiam rei ad extra, phantaſia autem formā rei retinet re abſente. Item phantaſia non poteſt apprehendere, nec retinere, niſi formas à ſenſibilibus acceptas: ęſtimatiua autem poteſt intentiones circa huiuſmodi formas apprehendere. Aeſtimatiua verò licèt poſſit huiuſmodi intentiones apprehendere, non tamen retinere, quod habet memoratiua. † Si quæras autem vbi ſit organum memoratiuæ? Reſpondet: *Organum autem huius potentiæ eſt in poſteriori concauitate cerebri.*

De homine autem inquit D. Thomas hic: ¶ Ex parte memoratiuę non ſolum habet memoriam ſicut cætera animalia in ſubita recordatione præteritorum, ſed etiam reminiſcentiam, quaſi ſylogiſtice inquirendo prę-teritorum memoriam ſecundum indiuiduales conditiones. † tamen ſicut æſtimatiua, & cogitatiua in homine non ſunt vires aut potentię diſtinctę: ita nec memoria, & reminiſcentia, quod optimè explicat in ſolutione quinti argumenti: quia eminentia quam habet cogitatiua ſupra æſtimatiuam, & reminiſcentia ſupra memoriam, non eſt ¶ Per id, quod eſt proprium ſenſitiuæ partis: ſed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem vniuerſalem ſecundū quandam refluentiam. Et ideo non ſunt aliæ

vires, ſed eædem perfectiores, quam ſint in alijs animalibus. †

Tandem concludit S. D. ¶ Non eſt neceſſe ponere niſi quatuor vires interiores ſenſitiuæ partis; ſcilicet ſenſum communem, & imaginationem, æſtimatiuam, & memoratiuam.

Ad argumentum factum in principio reſpondet Diuus Thomas infra queſt. 79. ar. 7. vide illum ibi.

QVAESTIO LXXIX.

De potentijs intellectiuis.

Circa articulum primum, & ſecundum nihil ſe offert ſcribendum.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſit ponere intellectum agentem.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium ſit nè intellectus agens realiter deſtinctus à poſſibili.

PArtem negantem quidam tenent, & probant: duplex intellectus realiter diſtinctus petit duplex intelligere adæquatum, nam intelligere eſt proprius actus cuiuſuis intellectus, ſicut ſentire ſenſus: ſed in homine non eſt duplex adequatum intelligere; ſicut

ſicut nec duplex adæquatum videre; ergo &c. Confirmatur 1. Si intellectus agens non haberet pro actu proprio intelligere ſed producere ſpecies in intellectu poſſibili, eius actio non eſſet immanens, ac proinde nec vitalis, ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Confirmatur 2. Quia aliàs intellectus agens poſt hanc vitam nullam haberet operationem, non enim producit ſpecies: ſed hoc eſt falſum, nam fruſtra maneret; ergo &c.

Dicendum tamen eſt: Intellectum agentẽ realiter eſſe diſtinctum à poſſibili. Colligitur hoc ex D. Thoma hic dicente; intellectum agentem facere intelligibilia in actu per abſtractionem ſpecierum à cõditionibus materialibus: & in arg. *Sed contra* cum Ariſt. aſſerent e intellectum agentem eſſe quo anima eſt omnia facere, & intellectum poſſibilem quo eſt omnia fieri, ex quo infert art. 7. ¶ Vnde ſecũdum nullam differentiam entium; diuerſificatur differentia intellectus poſſibilis. Diuerſificatur tamen potentia intellectus agentis, & intellectus poſſibilis, quia reſpectu eiuſdem obiecti aliud principium oportet eſſe potentiam actiuam, quæ facit obiectum eſſe in actu: & aliud potentiam paſsiuã, quæ mouetur ab obiecto in actu exiſtente. † Et art. 10, ait: ¶ Intellectus agens,& poſſibilis ſunt diuerſæ potentiæ: ſicut, & in omnibus eſt alia potentia actiua, & paſſiua. ✠

Secundò probatur ratione hinc ſumpta, intellectus agens, & poſsibilis habent diuerſa obiecta formalia,& diuerſos actus realiter, nempe, efficere intelligibile in actu, & ab in-

telligibili moueri; ergo ſunt potentię realiter diſtinctæ. Conſequentia patet ex dictis ſupra quęſt. 77. art 3.

Tertio probatur: Intellectus poſſibilis, vt docet D. Thom infra q.87 ar. 1 reſpectu ſui obiecti, & ſpecierum illud repręſentantium eſt pura potentia in eſſe in elligibili, *Et in principio eſt ſicut tabula raſa, in qua nil eſt ſcriptum, vt Philoſophus dicit in 3. de Anima*, & refert D. Thom. articulo præcedente; ergo non poteſt ſeipſum reducere ad actum, ſed indiget aliquo alio à ſe realiter diſtincto, quo de potentia reducatur ad actum. Sicut nec materia prima, quia eſt in eſſe entitatiuo pura potentia in ordine ad formam ſubſtantialem poteſt ſe reducere in actum, ſed indiget cauſa efficiente. Et quamuis intellectus poſſibilis factus iam in actu per ſpeciem productam ab intellectu agente, poſſit optimè ſe in actum ſecundum reducere: immo, & alias ſpecies non ſolum expreſſas, ſed etiam nonnullas impreſſas, producere iuxta doctrinam D Thom. ſupra q 12. art. 9 ad 2. tamen tunc non eſt ſimpliciter potentia actiua, quia non facit ſuum obiectum ſimpliciter. Si quęras, an intellectus agens ſit perfectior poſſibili? Reſpondetur cum D. Thom. Ariſt. lib. 3. de Anima lect. 10. aliquo modo eſſe illo nobiliorem: Nam ¶ Agens honorabilius eſt patiente, & principium actiuum materia: ſed intellectus agens comparatur ad poſſibilem, ſicut agens ad materiam ergo intellectus agens eſt nobilior poſſibili. ✠ Quia tamen intellectus poſſibilis operatio, nempe in-

intellectio, in qua formalis beatitudo conſiſtit, eſt perfectior operatione intellectus agẽtis; licèt hic ſecundum quid perfectior ſit illo, ſimpliciter tamen intellectus poſſibilis perfectior eſt.

Ad argumentum autem factum in principio reſpondetur negando maiorem: nam vt ait D. Thom. q. de Anima art. 4. ad 8. ¶ Duorum intellectuum, ſcilicet poſſibilis, & agentis ſunt diſtinctę actiones: nam actus intellectus poſſibilis eſt recipere intelligibilia: actio autem intellectus agentis eſt abſtrahere intelligibilia. Nec tamen ſequitur, quod ſit duplex intelligere in homine: quia ad vnum intelligere oportet, quod vtraque iſtarum actionum concurrat. ✠ Vnde intellectus agens non dicitur, quia intelligat, ſed quia intelligibilia faciat, & ad intellectionem concurrat educendo, ac formando ſpecies ad illam requiſitas. Ad primam confirmationem nego maiorem; ad actionem enim vitalem ſatis eſt, vt per ſe maneat in ſuppoſito à quo eſt, ita vt in aliud ſuppoſitum nequeat tranſire, ſicque ſuppoſitum à quo eſt moueat ſeipſum; non tamen requiritur, vt in eadem parte, aut potentia à qua eſt recipiatur: vt patet in nutritione, & augmentatione, quę non recipiuntur in partibus à quibus actiuè ſunt, ſed in partibus de nouo productis, quæ ſunt nutritionis, & augmentationis termini. Ad ſecundam confirmationem nego minorem, licèt enim poſt hanc vitam intellectus agens nullam habeat operationem; vt tamen non fruſtra maneat

ſatis eſt, vt debito tempore ſuam operationem habuerit: nam propter hoc etiam non manebit fruſtra potentia nutritiua, & augmentatiua.

Dubium ſecundum. Vtrum ad productionem ſpecierum intelligibilium concurrat intellectus principaliter, phantaſma verò inſtrumentaliter.

PArtem negantem quidam tenent, & probant 1. Nam aliqua vis deriuaretur ab intellectu agente ad phantaſma ad producendas ſpecies intelligibiles: ſed hoc eſt falſum; ergo. Probatur minor: talis virtus non eſt ſpiritualis, nam hæc nequit recipi in ſubiecto corporeo, quale eſt phantaſma: neque corporea, quia hęc nequit ad productionem rei ſpiritualis, qualis eſt ſpecies intelligibilis, concurrere; ergo, &c.

Secundò: phantaſma eſt ſubiectiuè in phātaſia; ergo non poteſt eſſe inſtrumentum intellectus agentis ad producendas ſpecies intelligibiles. Probatur conſequentia: Tum, quia ſpecies inferiorum ſenſuum nequeunt aſſumi, vt inſtrumentum ſenſuum ſuperiorum ad producendas ſpecies ſenſibiles; ergo neque phantaſmata, vt inſtrumentum intellectus agentis ad producendas ſpecies intelligibiles. Tum etiam, quia accidens exiſtens in ſubiecto connaturali, vt calor in igne; non poteſt aſſumi, vt inſtrumentum ab alio ſubiecto diſtincto ab eo in quo eſt; ſed phan-

taſma eſt in phantaſia, vt in ſubiecto connaturali; ergo non poteſt aſſumi, vt inſtrumentum ab intellectu agente.

Dicendum tamen eſt: Ad productionem ſpecierum intelligibilium intellectum agentem concurrere principaliter; phantaſma verò inſtrumentaliter. Probatur 1. ex D.Th. quodlib. 8. artic. 3. vbi ſic ait. ¶ Intellectus agens eſt principale agens, quod agit rerum ſimilitudines in intellectu poſſibili: phantaſmata autem, quæ à rebus exterioribus accipiuntur, ſunt quaſi agentia inſtrumentalia. ✠ Et quęſt. 10. de Verit. art. 6. ad 7. inquit; ¶ In receptione, qua intellectus poſſibilis ſpecies rerum accipit à phantaſmatibus, ſe habent phantaſmata, vt agens inſtrumentale, & ſecundarium, intellectus verò agens, vt agens principale, & primum. ✠

Secundò probatur: ſpecies intelligibiles ſunt ſimilitudines ſpirituales quidditatum materialium; ergo produci debent ab agente ſpirituali principaliter, determinato tamen per inſtrumentum corporeum, quod non eſt aliud, quam intellectus agens determinatus per phantaſma. Probatur conſequentia: quia ſpiritualis ſimilitudo nequit principaliter ptoduci ab agente corporeo, cum hoc ſit ordinis inferioris: & agens ſpirituale (niſi eminenter contineat quidditates materiales ſecundum proprias illarum rationes, qualis eſt ſolus Deus) nequit ſe ſolo producere ſimilitudinem quidditatis materialis ſine aliquo corporeo illud ad hoc determinante tanquã eius inſtrumento; ex ſe namque ad hoc de-

terminatum non eſt; & non ab alio, quam à phantaſmate, quod eſt ſimilitudo ſingularium materialium, in quibus quidditates materiales ſunt, determinatur. Vnde Diu. Thom. quæſt. 10 de Verit. art. 6. ad 7. ait: ¶ Et ideò actionis effectus relinquitur in intellectu poſſibili, ſecũdum conditionem vtriuſque, & non ſecundum conditionem alterius tantum; & ideò intellectus poſſibilis recipit formas, vt intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, ſed vt ſimilitudines determinatarum rerum ex cognitione phantaſmatum. ✠

Hinc colligitur quomodo intellectus agẽs dicatur illuſtrare phantaſmata, & facere intelligibilia in actu: hoc enim præſtat, quatenus phantaſmata aſſumit, & eleuat ad producendam ſpeciem intelligibilem, in qua res materialis habet eſſe actu intelligibilem, quia repræſentatur, vt abſtracta à ſingularibus conditionibus materialibus, & habet eſſe quodammodo ſpirituale.

Ad 1. vero reſpõdetur negando minorem. Ad probationem dico, virtutem illam eſſe formaliter corpoream, & virtualiter ſpiritualem, ſicut, & de virtute, qua eleuantur à Deo Sacramenta ad producendam gratiam dici ſolet.

Ad 2. reſpondetur negando conſequentiã. Ad primam probationem dico, ſenſus ſuperiores non producere ſpecies ſenſibiles, cum nullus detur ſenſus agens, ſpecies tamen ſenſuum ſuperiorum poſſe eſſe inſtrumenta obiectorum externorum ad producendas ſpe-

cies in ſenſibus ſuperioribus, vt diximus q. 78. art. 4. dubio 3. Ad ſecundam probationem nego maiorem; diximus enim loco proximè citato phantaſma, vt inſtrumentū, obiecti producere ſpeciem repræſentantem rationes non ſenſatas in aſtimatiua; cur ergo idem phantaſma non poterit aſſumi, vt inſtrumentum ab intellectu agente ad producendas ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili?

Circa quartum articulum nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS V.

Vtrum intellectus agens ſit vnus in omnibus.

Concluſio eſt negans.

CIrca ſolutionem tertij aduerte: quod ait D. Thomas, intellectum agentem eſſe principiū cognitionis primorum intelligibilium, non eſſe intelligendum de principio eliciente, ſed de concurrente ad talem cognitionem producendo ſpeciem intelligibilem ad eam neceſſariam,

ARTICVLVS VI.

Vtrum memoria ſit in parte intellectiua animæ.

Concluſio eſt affirmans.

MEmoria dupliciter ſumi poteſt. Primò pro vi conſeruatiua ſpecierum. Secundò pro recordatione præteriti, vt præteritum eſt. Quando ergo dicitur in parte intellectiua eſſe memoriam, intelligendum eſt primo modo, nam ſecundo modo ſolum eſt in parte ſenſitiua, quæ ſola directè cognoſcit particularia, ad quorum conditionem pertinet præteritum, vt præteritum, cum ſignificet eſſe ſub determinato tempore. Hinc infert D. Thomas q. 10. de veritate, art. 2. ¶ Cum memoria ſecundum propriam ſui acceptionem reſpiciat ad id, quod eſt præteritum reſpectu huius nunc, conſtat, quod memoria propriè loquendò, non eſt in parte intellectiua, ſed ſenſitiua tantum, vt Philoſophus probat. ✠

ARTICVLVS VII.

Vtrum alia potentia ſit memoria intellectiua, & alia intellectus.

Concluſio eſt negans.

CVm in parte intellectiua ſolum ſit memoria ſumpta pro vi conſeruatiua ſpecierum, & eidem intellectui con-

ueniat conſeruare ſicut, & recipere ſpecies, non erit memoria intellectiua potentia diſtincta ab intellectu. Vnde cum Diuus Auguſtinus, & cum eo omnes Theologi diſtinguunt in anima tria, 'memoriam, intellectum, & voluntatem, hiſque myſterium Trinitatis explicant, inquit D. Thomas hic ad 1. non accipiunt hæc pro tribus potentijs: ¶ Sed memoriam pro habituali animę retentione: intelligentiam autem pro actu intellectus, voluntatem autem pro actu voluntatis. ✠

Circa art. 8 & 9. & 10. & 11. & 13. nihil ſe offert ſcribendum.

QVÆSTIO LXXX.

De potentijs appetitiuis communi.

Circa articulum primum nihil ſe offert ſcribendum. Vide Caiet.

ARTICVLVS II.

Vtrum appetitus ſenſitiuus, & intellectiuus ſint diuerſæ potentiæ.

Concluſio eſt affirmans.

PRoprium ſubiectum, & organum appetitus ſenſitiui eſt cor, vt colligitur ex D. Thom. ſupra q. 20. art. 1. ad 1. &

1. 2. q. 22. art. 1. ad 3. & q. 26. de verit. art. 3. vbi de appetitu ſenſitiuo loquens ait: *Secundum modum operationis eius ſtatim diſponitur organum corporale, ſcilicet cor, vnde eſt principium motus, tali diſpoſitione quo competat ad exequendum hoc in quod appetitus ſenſibilis inclinatur, Vnde in ira feruet, & in timore quodammodo frigeſcit, & conſtringitur.* Cum autem appetitus ſenſitiuus diſtinguatur in iraſcibilem, & concupiſcibilem ſicut in potentias diuerſas, vt patebit q. ſeq art. 2. Sicut in cerebro ſunt diuerſa organa ſenſuum internorum, ita & in corde conſtituẽda erunt diuerſa organa horum appetituum. D. Baſilius iecur organum appetitus eſſe docere videtur; nam lib. de vera virginitate circa finem ait: *Iecoris quippe, quod concupiſcentiæ inſtrumentum eſt, iuxta quod, & de eo qui concupiſcentiæ fuerat telo percuſſus dicitur: Eris quaſi ceruus ſpiculo percuſſus in iecore.* Sed explicari poteſt, id dicere, quia iecur eſt circa cor, & eo medio fit tranſmutatio, quæ eſt quaſi materiale in paſſionibus appetitus ſenſitiui, vt docet D. Thom. ſupra q. 20. art. 1. ad 1. & 2. & 1. 2. q. 22. art. 2. ad tertium, eo enim medio cor conſtringitur, aut dilatatur, & ſanguis circa cor accenditur.

QVAE-

QVÆSTIO LXXXI.

De ſenſualitate.

Circa articulum primum nihil ſe offert dicendum. Vide D Thomam, & Caiet.

ARTICVLVS. II.

Vtrum appetitus ſenſitiuus diſtinguatur in iraſcibilem, & concupiſcibilem ſicut in potentias diuerſas.

Concluſio eſt affirmans.

OPpoſitum huius tenent nonnulli, & probant: Iraſcibilis verſatur circa bona iam concupita, iuxta illud Iacobi 4. v. 1. *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentijs veſtris?* Sicque nihil defendit iraſcibilis, niſi quod prius concupitum eſt; ergo eadem eſt potentia concupiſcens, & defendens: ſi namque ratio tuendi bonum eſt quia appetitur, qua ratione vna potentia tuetur, quod appetit altera? Confirmatur: iraſcibilis inſurgit contra impedientem boni aſſequutionem, & remoueri appetit, quod talem aſſequutionem impedit, ergo etiam appetit eandem aſſequutionem, ac proinde eadem potentia eſt, & non diſtin-

ĉta à concupiſcibili, quæ bonum appetit.

Dicendum tamen eſt: veram eſſe concluſionem D.Thomæ, optimamque eius rationem. Iraſcibilis enim, & concupiſcibilis habent diuerſas inclinationes, & verſantur circa diuerſa obiecta, & vnius paſſiones repugnant paſſionibus alterius, & iraſcibilis eſt quaſi propugnatrix, & defenſatrix concupiſcibilis; ergo ſunt potentiæ ſpecie diuerſæ, in quas diuiditur appetitus ſenſitiuus ſicut genus in ſpecies ſuas. Antecedens patet: quoad primam quidem partem, nam per concupiſcibilem anima ſimpliciter inclinatur ad proſequendum ea, quæ ſunt cõuenientia ſecundum ſenſum, & ad refugiendum nociua: per iraſcibilem verò animal reſiſtit impugnantibus, quæ cônuenientia impugnant, & nocumenta inferunt. Quoad ſecundam verò: nam obiectum concupiſcibilis eſt bonum delectabile ſecundũ ſenſum; iraſcibilis verò bonum arduum conueniens animali ſecundum aliàs commoditates, licèt non ſit delectabile ſecundum ſenſum. Quoad 3. autem: *Nam concupiſcentia accenſa minuit iram, & ira accenſa minuit concupiſcentiam, vt in pluribus*, vt hic ait D. Thom. Quoad 4. tandem: quia iraſcibilis inſurgit contra ea, quæ impediunt conuenientia, quæ concupiſcibilis appetit, & ingerunt nociua, quæ concupiſcibilis refugit. Conſequentia verò probatur: quia illæ duæ inclinationes non reducuntur in vnum principium, cum interdum anima triſtibus ſe ingerat contra inclinationem concupiſcibilis, vt ſecundum in-

inclinationem iraſcibilis impugnet cõtraria. Illa etiam diuerſa obiecta diuerſas ſpecificãt potentias. Et paſſiones, quarum quædam intenſę aliàs minuunt nequeunt eſſe eiuſdem potentiæ. Et fugere impedimenta, & eis reſiſtere non poteſt ad eandem potentiam pertinere. Confirmatur cum D Thoma hic ad 2. æſtimatiua eſt diſtincta potentia ab imaginatiua: quia eſt perceptiua eorum, quę ſenſum non immutant; ergo etiam iraſcibilis erit potentia à concupiſcibili, quia eſt vis appetens aliquid, quod non eſt conueniens ſecundum delectationem ſenſus, ſed ſecundum, quod eſt vtile animali ad ſuam defenſionem.

Ad argumentum autem factum in principio reſpondetur; probare quod hic docet D. Thom. *Omnes paſſiones iraſcibilis incipiunt à paſſionibus concupiſcibilis, & in eis terminantur.* Non tamen probat, iraſcibilem non eſſe diſtinctam potentiam à concupiſcibili: quia licèt iraſcibilis aliquo modo verſetur circa bona concupita, quæ ſcilicet ſunt delectabilia ſecundum ſenſum, nempè remotè, & materialiter; tamen proximè, & formaliter nõ niſi circa bonum arduum verſatur, quod eſt eius proprium, & formale obiectum. Vnde appetere delectabilia ſecundum ſenſum, ſolum eſt extrinſeca ratio tuendi illa, ſicut appetitus equitandi ſolum eſt ratio extrinſeca conficiendi frenum: ſicque ſicut equeſtris, frenefactiua diſtinctę artes ſunt: ita iraſcibilis, & concupiſcibilis diſtinctę potentiæ.

Ad confirmationem reſpondetur: iraſci-

bi-

bilem ſolum materialiter,& remote,& quaſi finem extrinſecum appetere aſſequutionem boni concupiti: ex quo non ſequitur eſſe eandem potentiam, ſed potiùs diſtinctam à concupiſcibili, quod enim iraſcibilis formaliter appetit, & ad quod proximè tendit eſt ſuperare cõtraria, & ſuper eminere eis, quod eſt bonum arduum, & diſtinctum à bono delectabili ſecundum ſenſum, quod formaliter appetit, & ad quod proximè tendit concupiſcibilis.

Si quæras quænam harum potentiarum ſit perfectior? Reſpondetur; ex parte obiecti, & finis perfectiorem eſſe concupiſcibilē iraſcibili; operatio enim iraſcibilis eſt propter operationem concupiſcibilis tanquam propter finem, vt ex dictis, & ex D Thoma hic in fine corp. art. colligitur ex parte tamen modi operandi maximè in homine perfectiorem eſſe iraſcibilem concupiſcibili; Iraſcibilis enim ſequitur apprehenſionem boni vtilis, quæ eſt ſimilior rationi, quę ordinat media ad finem. Vnde Ariſtotel. 7. Ethic cap 6. inquit, iram conſequi rationem aliqualiter,& eſſe naturaliorem concupiſcentia, de quo vide D. Thomam 1. 2. quæſt. 46. art. 4. ad 5.

Circa articulum tertium nihil ſe offert dicendum.

QVAE-

QVÆSTIO LXXXII.

e voluntate.

Circa articulum primum, & ſecundum, vide, quæ dicemus 1.2.q 10.art.1.& 2.

ARTICVLVS III.

Vtrum voluntas ſit altior potentia, quam intellectus.

Concluſio eſt negans.

Dubium: Sit ne intellectus potentia ſimpliciter perfectior voluntate.

PArtem negantem tenent Scotus in 4.d. 49. q.4.& alij, & probant 1. Bonum, quod eſt obiectum voluntatis, cum ſit idem, quod perfectum, eſt præſtantius, quam verum, quod eſt obiectum intellectus; ergo & voluntas ſimpliciter perfectior eſt intellectu.

Secundo. Voluntas mouet intellectum ad actualem operationem; ergo cum mouens præſtantius ſit moto, & agens patiente, voluntas ſimpliciter perfectior erit intellectu.

Tertiò. Per voluntatem ſumus formaliter liberi, & per eius operationem efficimur ſimpliciter boni; ergo voluntas ſimpliciter per-

ſatis eſt, vt debito tempore ſuam operationem habuerit; nam propter hoc etiam non manebit fruſtra potentia nutritiua, & augmentatiua.

Dubium ſecundum. Vtrum ad productionem ſpecierum intelligibilium concurrat intellectus principaliter, phantaſma verò inſtrumentaliter.

PArtem negantem quidam tenent, & probant 1. Nam aliqua vis deriuaretur ab intellectu agente ad phantaſma ad producendas ſpecies intelligibiles: ſed hoc eſt falſum; ergo. Probatur minor: talis virtus non eſt ſpiritualis, nam hæc nequit recipi in ſubiecto corporeo, quale eſt phantaſma: neque corporea, quia hęc nequit ad productionem rei ſpiritualis, qualis eſt ſpecies intelligibilis, concurrere; ergo, &c.

Secundò: phantaſma eſt ſubiectiuè in phātaſia; ergo non poteſt eſſe inſtrumentum intellectus agentis ad producendas ſpecies intelligibiles. Probatur conſequentia: Tum, quia ſpecies inferiorum ſenſuum nequeunt aſſumi, vt inſtrumentum ſenſuum ſuperiorum ad producendas ſpecies ſenſibiles; ergo neque phantaſmata, vt inſtrumentum intellectus agentis ad producendas ſpecies intelligibiles. Tum etiam, quia accidens exiſtens in ſubiecto connaturali, vt calor in igne; non poteſt aſſumi, vt inſtrumentum ab alio ſubiecto diſtincto ab eo in quo eſt; ſed phan-

taſma eſt in phantaſia, vt in ſubiecto connaturali; ergo non poteſt aſſumi, vt inſtrumentum ab intellectu agente.

Dicendum tamen eſt: Ad productionem ſpecierum intelligibilium intellectum agentem concurrere principaliter; phantaſma verò inſtrumentaliter. Probatur 1. ex D. Th. quodlib. 8. artic. 3. vbi ſic ait. ¶ Intellectus agens eſt principale agens, quod agit rerum ſimilitudines in intellectu poſſibili: phantaſmata autem, quæ à rebus exterioribus accipiuntur, ſunt quaſi agentia inſtrumentalia. ✠ Et queſt. 10. de Verit. art. 6. ad 7. inquit; ¶ In receptione, qua intellectus poſſibilis ſpecies rerum accipit à phantaſmatibus, ſe habent phantaſmata, vt agens inſtrumentale, & ſecundarium, intellectus verò agens, vt agens principale, & primum. ✠

Secundò probatur: ſpecies intelligibiles ſunt ſimilitudines ſpirituales quidditatum materialium; ergo produci debent ab agente ſpirituali principaliter, determinato tamen per inſtrumentum corporeum, quod non eſt aliud, quam intellectus agens determinatus per phantaſma. Probatur conſequentia: quia ſpiritualis ſimilitudo nequit principaliter ptoduci ab agente corporeo, cum hoc ſit ordinis inferioris: & agens ſpirituale (niſi eminenter contineat quidditates materiales ſecundum proprias illarum rationes, qualis eſt ſolus Deus) nequit ſe ſolo producere ſimilitudinem quidditatis materialis ſine aliquo corporeo illud ad hoc determinante tanquã eius inſtrumento; ex ſe namque ad hoc de-

terminatum non eſt; & non ab alio, quam à phantaſmate, quod eſt ſimilitudo ſingularium materialium, in quibus quidditates materiales ſunt, determinatur. Vnde Diu. Thom. quæſt. 10 de Verit. art. 6. ad 7. ait: ¶ Et ideò actionis effectus relinquitur in intellectu poſſibili, ſecũdum conditionem vtriuſque, & non ſecundum conditionem alterius tantum; & ideò intellectus poſſibilis recipit formas, vt intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, ſed vt ſimilitudines determinatarum rerum ex cognitione phantaſmatum. ✠

Hinc colligitur quomodo intellectus agẽs dicatur illuſtrare phantaſmata, & facere intelligibilia in actu: hoc enim præſtat, quatenus phantaſmata aſſumit, & eleuat ad producendam ſpeciem intelligibilem, in qua res materialis habet eſſe actu intelligibilem, quia repræſentatur, vt abſtracta à ſingularibus conditionibus materialibus, & habet eſſe quodammodo ſpirituale.

Ad 1. vero reſpõdetur negando minorem. Ad probationem dico, virtutem illam eſſe formaliter corpoream, & virtualiter ſpiritualem, ſicut, & de virtute, qua eleuantur à Deo Sacramenta ad producendam gratiam dici ſolet.

Ad 2. reſpondetur negando conſequentiã. Ad primam probationem dico, ſenſus ſuperiores non producere ſpecies ſenſibiles, cum nullus detur ſenſus agens, ſpecies tamen ſenſuum ſuperiorum poſſe eſſe inſtrumenta obiectorum externorum ad producendas ſpe-

cies in ſenſibus ſuperioribus, vt diximus q. 78. art. 4. dubio 3. Ad ſecundam probationem nego maiorem; diximus enim loco proximè citato phantaſma, vt inſtrumentũ, obiecti producere ſpeciem repræſentantem rationes non ſenſatas in aſtimatiua; cur ergo idem phantaſma non poterit aſſumi, vt inſtrumentum ab intellectu agente ad producendas ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili?

Circa quartum articulum nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS V.

Vtrum intellectus agens ſit vnus in omnibus.

Concluſio eſt negans.

Circa ſolutionem tertij aduerte: quod ait D. Thomas, intellectum agentem eſſe principiũ cognitionis primorum intelligibilium, non eſſe intelligendum de principio eliciente, ſed de concurrente ad talem cognitionem producendo ſpeciem intelligibilem ad eam neceſſariam,

ARTICVLVS VI.

Vtrum memoria ſit in parte intellectiua animæ.

Concluſio eſt affirmans.

MEmoria dupliciter ſumi poteſt. Primò pro vi conſeruatiua ſpecierum. Secundò pro recordatione præteriti, vt præteritum eſt. Quando ergo dicitur in parte intellectiua eſſe memoriam, intelligendum eſt primo modo, nam ſecundo modo ſolum eſt in parte ſenſitiua, quæ ſola directè cognoſcit particularia, ad quorum conditionem ſpertinet præteritum, vt præteritum, cum ſignificet eſſe ſub determinato tempore. Hinc infert D. Thomas q. 10. de veritate, art. 2. ¶ Cum memoria ſecundum propriam ſui acceptionem reſpiciat ad id, quod eſt præteritum reſpectu huius nunc, conſtat, quod memoria propriè loquendo, non eſt in parte intellectiua, ſed ſenſitiua tantum, vt Philoſophus probat. ✠

ARTICVLVS VII.

Vtrum alia potentia ſit memoria intellectiua, & alia intellectus.

Concluſio eſt negans.

CVm in parte intellectiua ſolum ſit memoria ſumpta pro vi conſeruatiua ſpecierum, & eidem intellectui con-

ueniat conſeruare ſicut, & recipere ſpecies, non erit memoria intellectiua potentia diſtincta ab intellectu. Vnde cum Diuus Auguſtinus, & cum eo omnes Theologi diſtinguunt in anima tria, memoriam, intellectum, & voluntatem, hiſque myſterium Trinitatis explicant, inquit D. Thomas hic ad 1. non accipiunt hæc pro tribus potentijs: ¶ Sed memoriam pro habituali animę retentione: intelligentiam autem pro actu intellectus, voluntatem autem pro actu voluntatis. ✠

Circa art. 8 & 9. & 10. & 11. & 13. nihil ſe offert ſcribendum.

QVÆSTIO LXXX.

De potentijs appetitiuis communi.

Circa articulum primum nihil ſe offert ſcribendum. Vide Caiet.

ARTICVLVS II.

Vtrum appetitui ſenſitiuus, & intellectiuus ſint diuerſæ potentiæ.

Concluſio eſt affirmans.

PRoprium ſubiectum, & organum appetitus ſenſitiui eſt cor, vt colligitur ex D. Thom. ſupra q. 20. art. 1. ad 1. &

1.2.q.22.art.1.ad 3.& q.26.de verit.art.3. vbi de appetitu ſenſitiuo loquens ait: *Secundum modum operationis eius ſtatim diſponitur organum corporale, ſcilicet cor, vnde eſt principium motus, tali diſpoſitione quo competat ad exequendum hoc in quod appetitus ſenſibilis inclinatur, Vnde in ira feruet, & in timore quodammodo frigeſcit, & conſtringitur.* Cum autem appetitus ſenſitiuus diſtinguatur in iraſcibilem, & concupiſcibilem ſicut in potentias diuerſas, vt patebit q. ſeq art. 2. Sicut in cerebro ſunt diuerſa organa ſenſuum internorum, ita & in corde conſtituẽda erunt diuerſa organa horum appetituum. D. Baſilius iecur organum appetitus eſſe docere videtur; nam lib. de vera virginitate circa finem ait: *Iecoris quippe, quod concupiſcentiæ inſtrumentum eſt, iuxta quod, & de eo qui concupiſcentia fuerat telo percuſſus dicitur: Eris quaſi ceruus ſpiculo percuſſus in iecore.* Sed explicari poteſt, id dicere, quia iecur eſt circa cor, & eo medio fit tranſmutatio, quæ eſt quaſi materiale in paſſionibus appetitus ſenſitiui, vt docet D. Thom. ſupra q. 20. art. 1. ad 1. & 2. & 1. 2. q. 22. art. 2. ad tertium, eo enim medio cor conſtringitur, aut dilatatur, & ſanguis circa cor accenditur.

QVAE-

QVÆSTIO LXXXI.

De ſenſualitate.

Circa articulum primum nihil ſe offert dicendum. Vide D Thomam, & Caiet.

ARTICVLVS. II.

Vtrum appetitus ſenſitiuus diſtinguatur in iraſcibilem, & concupiſcibilem ſicut in potentias diuerſas.

Concluſio eſt affirmans.

OPpoſitum huius tenent nonnulli, & probant: Iraſcibilis verſatur circa bona iam concupita, iuxta illud Iacobi 4. v. 1. *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentijs veſtris?* Sicque nihil defendit iraſcibilis, niſi quod prius concupitum eſt; ergo eadem eſt potentia concupiſcens, & defendens· ſi namque ratio tuendi bonum eſt, quia appetitur, qua ratione vna potentia tuetur, quod appetit altera? Confirmatur: iraſcibilis inſurgit contra impedientem boni aſſequutionem, & remoueri appetit, quod talem aſſequutionem impedit, ergo etiam appetit eandem aſſequutionem, ac proinde eadem potentia eſt, & non diſtin-

cta à concupiſcibili, quæ bonum appetit.

Dicendum tamen eſt: veram eſſe concluſionem D. Thomæ, optimamque eius rationem. Iraſcibilis enim, & concupiſcibilis habent diuerſas inclinationes, & verſantur circa diuerſa obiecta, & vnius paſſiones repugnant paſſionibus alterius, & iraſcibilis eſt quaſi propugnatrix, & defenſatrix concupiſcibilis; ergo ſunt potentiæ ſpecie diuerſæ, in quas diuiditur appetitus ſenſitiuus ſicut genus in ſpecies ſuas. Antecedens patet: quoad primam quidem partem, nam per concupiſcibilem anima ſimpliciter inclinatur ad proſequendum ea, quæ ſunt cõuenientia ſecundum ſenſum, & ad refugiendum nociua: per iraſcibilem verò animal reſiſtit impugnantibus, quæ conuenientia impugnant, & nocumenta inferunt. Quoad ſecundam verò: nam obiectum concupiſcibilis eſt bonum delectabile ſecundũ ſenſum; iraſcibilis verò bonum arduum conueniens animali ſecundum aliàs commoditates, licèt non ſit delectabile ſecundum ſenſum. Quoad 3. autem: *Nam concupiſcentia accenſa minuit iram, & ira accenſa minuit concupiſcentiam, vt in pluribus*, vt hic ait D. Thom. Quoad 4. tandem: quia iraſcibilis inſurgit contra ea, quæ impediunt conuenientia, quæ concupiſcibilis appetit, & ingerunt nociua, quæ concupiſcibilis refugit. Conſequentia verò probatur: quia illæ duæ inclinationes non reducuntur in vnum principium, cum interdum anima triſtibus ſe ingerat contra inclinationem concupiſcibilis, vt ſecundum

in-

inclinationem iraſcibilis impugnet cõtraria. Illa etiam diuerſa obiecta diuerſas ſpecificãt potentias. Et paſſiones, quarum quædam intenſę aliàs minuunt nequeunt eſſe eiuſdem potentiæ. Et fugere impedimenta, & eis reſiſtere non poteſt ad eandem potentiam pertinere. Confirmatur cum D Thoma hic ad 1. æſtimatiua eſt diſtincta potentia ab imaginatiua: quia eſt perceptiua eorum, quę ſenſum non immutant; ergo etiam iraſcibilis erit potentia à concupiſcibili, quia eſt vis appetens aliquid, quod non eſt conueniens ſecundum delectationem ſenſus, ſed ſecundum, quod eſt vtile animali ad ſuam defenſionem.

Ad argumentum autem factum in principio reſpondetur; probare quod hic docet D. Thom. *Omnes paſſiones iraſcibilis incipiunt à paſſionibus concupiſcibilis, & in eis terminantur.* Non tamen probat, iraſcibilem non eſſe diſtinctam potentiam à concupiſcibili: quia licèt iraſcibilis aliquo modo verſetur circa bona concupita, quæ ſcilicet ſunt delectabilia ſecundum ſenſum, nempè remotè, & materialiter; tamen proximè, & formaliter nõ niſi circa bonum arduum verſatur, quod eſt eius proprium, & formale obiectum. Vnde appetere delectabilia ſecundum ſenſum, ſolum eſt extrinſeca ratio tuendi illa, ſicut appetitus equitandi ſolum eſt ratio extrinſeca conficiendi frenum: ſicque ſicut equeſtris, frenefactiua diſtinctę artes ſunt: ita iraſcibilis, & concupiſcibilis diſtinctę potentiæ.

Ad confirmationem reſpondetur: iraſci-

bi-

QVÆSTIO LXXXI.

e voluntate.

Circa articulum primum, & ſecundum, vide, quæ dicemus 1.2.q 10.art.1.& 2.

ARTICVLVS III.

Vtrum voluntas ſit altior potentia quam intellectus.

Concluſio eſt negans.

Dubium: Sit ne intellectus potentia ſimpliciter perfectior voluntate.

PArtem negantem tenent Scotus in 4.d. 49. q.4.& alij, & probant 1. Bonum, quod eſt obiectum voluntatis, cum ſit idem, quod perfectum, eſt præſtantius, quam verum, quod eſt obiectum intellectus; ergo & voluntas ſimpliciter perfectior eſt intellectu.

Secundo. Voluntas mouet intellectum ad actualem operationem; ergo cum mouens prꝑſtantius ſit moto, & agens patiente, voluntas ſimpliciter perfectior erit intellectu.

Tertio. Per voluntatem ſumus formaliter liberi, & per eius operationem efficimur ſimpliciter boni; ergo voluntas ſimpliciter per-

perfectior eſt intellectu.

Dicendum tamen eſt primò: Intellectum ſimpliciter perfectiorem, & altiorem potentiam eſſe voluntate. Probatur primò ex Ariſt. 10. Ethic. cap. 7. lect. 10. apud Diuum Thomam, vbi dicit mentem, vel intellectum eſſe *eorum, quæ in nobis ſunt præſtabiliſſimum.*

Secundò probatur ratione D. Thom. hic obiectum intellectus eſt ſimpliciter nobilius, & altius, quam obiectum voluntatis; ergo intellectus eſt potentia ſimpliciter perfectior voluntate. Conſequentia patet, quia cum potentiæ propria ratio ſit ſecundum ordinem ad obiectum, quæ nobilius, & altius obiectum habebit, perfectior erit. Antecedens, probatur: obiectum intellectus eſt ſimplicius & abſtractius, quam obiectum voluntatis; ergo nobilius, & altius. Antecedens probat D. Thom. ¶ Nam obiectum intellectus eſt ipſa ratio boni appetibilis; bonum autem appetibile, cuius ratio eſt in intellectu, eſt obiectum voluntatis. † Conſequentiam etiam probat; quia ¶ Quanto aliquid eſt ſimplicius, & abſtractius, tanto ſecundum ſe eſt nobilius, & altius. Pro cuius explicatione.

Aduerte. 1. Cum Caietano hic §. *Ad cuius euidentiam*; per rationem boni appetibilis nõ intelligere D. Thom. ipſam bonitatem: hæc enim ad voluntatem ſpectat, ſicut, & ipſum bonum; ſed quidditatem ipsius boni, quæ licet in re ſit ipſa bonitas, ab ipſa tamen, formaliter, & ratione diſtinguitur: quia, vt bonitas includit exiſtentiam in actu exercitio, ratione cuius ei conuenit appetibilitas, vt quid-

quidditas verò ab exiſtentia in actu exercito abſtrahit; & hoc modo non appetitur, ſed intelligitur, ſicut, & primo modo non intelligitur, ſed appetitur; licèt enim intelligamus eam exiſtere, in quantum tamen intelligitur, induit rationem quidditatis. Et quamuis non ſola boni ratio ſit quidditas, ſed etiam ratio veri, & cuiuſcunque alterius: *Sed adducta eſt ratio boni magis, quam aliorum, quia ad ipſum fiebat comparatio.* Inquit Caietanus. Vnde ſi vniuerſaliter loqui velimus, dicamus, obiectum intellectus eſſe rem, vt quod quid eſt; voluntatis verò, vt habentem eſſe. Quod quid eſt autem abſtractius eſſe habente eſſe conſtat, ait Caietanus: ¶ Ita quod in ipſo Deo, cuius quod quid eſt, eſt exiſtentia, abſtractior ſecũdum rationem eſt exiſtentia, vt quod quid eſt, quam ipſamet, vt eſt exiſtere in actu exercito. Et ſic ſimpliciter obiectum intellectus eſt abſtractius obiecto voluntatis formaliter loquendo. ✠

Secundò aduerte, quod Caietanus hic §. *Ad obiectiones* ait: *Nobilitas potentiarum attenditur penes nobilitatem obiectorum, non vt res, ſed vt obiecta ſunt.* In eſſe autem obiecti tanto nobilius, & altius, eſt obiectum, quanto ſimplicius, & abſtractius fuerit. Vnde licèt ſingularia, quę per ſenſum cognoſcuntur, in eſſe rei perfectiora ſint vniuerſalibus, quæ intellectus cognoſcit, vt hoc album, quam album in communi; in eſſe tamen obiecti vniuerſalia perfectiora ſunt, & nobiliorem, altioremque potentiam, qua cognoſcantur,

pe-

petunt; quia ſimpliciora, & abſtractiora ſunt: nam quæ talia ſunt ſubtiliorem, ac immaterialiorem potentiam requirunt. Quamuis ergo quodquid eſt non ſit nobilius habente eſſe, aut exiſtentia in eſſe rei, vt diximus ſupra q 4 art 1 quia tamen ſimplicius, & abſtractius eſt, eſt nobilius in eſſe obiecti, ac proinde obiectum intellectus eſt nobilius, & altius obiecto voluntatis.

Dicendum eſt 2. Voluntatem poſſe eſſe ſecundum quid perfectiorem intellectu. Probatur ex D Thoma hic dicente: ¶ Secundum quid autem, & per comparationem ad alterum voluntas inuenitur interdum altior intellectu; ex eo ſcilicet, quod obiectũ voluntatis in altiori re inuenitur, quam obiectum intellectus † Vnde cum quando res eſt nobilior anima, obiectum voluntatis inuenitur in altiori re, quam obiectum intellectus, nam bonum eſt in ipſa re, & ratio in intellectu, iuxta doctrinam Ariſt. 6 Metaph text. 8. lect. 4. apud D. Tho dicentis, bonum, & malum eſſe in rebus, verum, & falſum in mente: *Per comparationem ad talem rem voluntas eſt altior intellectu, &c. Vnde melior eſt amor Dei, quam cognitio.*

Eſt tamẽ difficultas inter diſcipulos D. Th. an hoc ſit intelligendum ſolum hic in via, an etiam in patria. Caietanus hic §. *Ad obiectiones*, docet non eſſe id intelligendum in patria, ſed ſolum hic in via, ¶ Quia æque nobile immo idem eſt eſſe Dei in ſe, & in anima beatorum, quia ſecundum eſſentiam immediate intelligitur, & conſequenter remanet

manet actus intellectus nobilior nobilitate ſui generis, & non exceſſus nobilitate ſecundum quid, vt in via excedebatur. ✠

Ferrarienſis vero 3. Contra gentes cap. 26 §. *Sed iſta reſponſio*, dicit etiam in patria meliorem eſſe ſecundnm quid amorem Dei cognitione, & clara Dei viſione; quia licèt Eſſentia Dei, quæ eſt ſpecies intellectus beati, habeat in eo tantam perfectionem, quantam habet in ſe; tamen non vnitur intellectui beato ſecundum omnem perfectionis modum quem habet in ſe, cum non vniatur illi modo infinito, nec vt ratio omnium intelligibilium, vt docet D. Tho. q. 8. de verit. artic. 2. ad 3. & artic. 4. ad 2. & in 4. d. 49. quęſt. 2. art. 5. ad 4. *Ideo optime ſaluatur, quod etiam in patria dilectio præminet cognitioni eminentia ſecundum quid*, ait Ferrarienſis.

Mihi vterque modus dicendi videtur probabilis. Nec primo obſtat, quod ait D. Th. infra q. 108. art. 6. ad 3. amorem à quo dicti ſunt Seraphim præęminere cognitioni à qua appellati ſunt Cherubim, & in 2. d. 5. q. 2. ar. 2. ad 3. ordines Angelorum diſtingui ſecundum gradum in pręmio eſſentiali. Reſpondetur enim: Hoc non ſignificare ordines Angelorum, ſolum diſtingui, vt ſunt in patria, & ſtatu beatitudinis, ac proinde Cherubim dici ſolum à viſione Dei, & Seraphim ab amore Dei in patria: nam etiam in via erant iſti ordines diſtincti. Sed ſolum denotat ordines Angelorum non diſtingui per ordinem ad præmium accidentale, ſed ſecundum reſpectum ad eſſentiale, ſecundum quem etiá

vt erant Angeli in via diſtingui poterant per meritum cognitionis fidei, & amoris charitatis. Vnde D. Tho. infra q. 109. art. 1. docet ordines Angelorum poſſe conſiderari tripliciter. Primo quantum ad perfectionem gloriæ. Secundo quantum ad id, quod eſt gratiæ imperfectæ. Tertiò quantum ad id, quod eſt naturę. Et ait; Dæmones non fuiſſe in ordinibus Angelorum quantum ad primum; quantum ad ſecundum verò, inquit, fuerunt aliquando in illis; ſed ab eis ceciderunt, quantum autem ad tertium adhuc sũt in ordinibus. Quod vero ait, Ferrarienſis, diuinam Eſſentiam non vniri intellectui beato modo infinito, ſolum arguit intellectum beati non terminari ad Deum adæquatè cognoſcendo ipſum quantum cognoſcibilis eſt; hoc tamen etiam dicendum eſt de voluntate beati; nam non diligit Deum quantum eſt diligibilis.

Ad primum verò reſpondetur: Si vera eſſet ſententia aſſerentium eſſentiam, & quidditatem; quæ eſt ratio rei, vt appetatur, negandum eſſet abſolute antecedens: nam cum verum ſit abſtractius bono, non quidem abſtractione totali, ſed formali, ſimpliciter illo perfectius eſſe debet. Nec obſtat bonum in ſua ratione dicere perfectionem; tam ſolum dicit rationem perfectionis communem, & abſtractam totali abſtractione ab omnibus bonis particularibus. Vnde, vt ait, D. Th. q. 22. verit. ar. 11. ad 3. in contrariũ. ¶ Cum verum ſit quoddam bonum, eſt enim bonum intellectus, vt patet per Philoſophũ

in

in 6 Ethic, non eſt dicendum, quod bonum ſit nobilius vero, ſicut nec quod animal ſit nobilius homine, cum homo includat in ſe nobilitatem animalis, & ſuperaddat. † Sed quia nos ſupra q. 4. art. 1. diximus exiſtentiam ſimpliciter perfectiorem eſſe eſſentia, & hanc contrahere eſſe in re; ideo dicendum eſt, verum ſolum ſecundum rationem eſſe abſtractius bono, ac proinde illo perfectius ſolum in eſſe obiecti, quod ſufficere ad maiorem nobilitatem intellectus oſtendimus, concluſ. 1.

Ad ſecundum reſpondetur: voluntatem quidem mouere intellectum quoad exercitium, ex quo ſolum inferri poteſt maior perfectio ſecundum quid, vt colligitur ex D. Tho. art. ſeq. ad 1. & docet Caietanus ſupra q. 26. art. 2. Intellectum tamen mouere voluntatem quoad ſpecificationem, ex quo maior perfectio ſimpliciter colligitur. Vnde D. Thom. Hic ad 2. ait: ¶ Illud quod eſt prius ſimpliciter, & ſecundum naturę ordinem eſt perfectius. Et hoc modo intellectus eſt prior voluntate, ſicut motiuum mobili, & actiuum paſſiuo. Bonum enim intellectũ mouet voluntatem. ✠

Ad 3 Reſpondetur negando conſequentiã: nam vt ait Caietanus ſupra q. 26. art. 2. ¶ Secundum quid, id eſt, in ratione agentis, ſeu mouentis primum tenet locum, (de voluntate loquitur) & inde prouenit, quod ſecundum voluntatem dicamus ſimpliciter boni, ac mali, & conſequenter, quod actus eius dicatur peſſimus, & optimus, & quod

tendit in Deum ſecundum agens nobiliſſimum cauſæ, ſcilicet, vt finem, eius enim eſt mouere agens, & quod ſit domina, & formaliter libera, &c. Hæc enim omnia ad nobilitatem ſecundum quid ſpectant. ✠ Vel dici poteſt intellectum eſſe radicaliter liberum, & rationem eſſe regulam humanorum actuũ hocque maiorem perfectionem eſſe, quam eſſe voluntatem formaliter liberam, & per eius operationem effici homines ſimpliciter bonos vel malos.

Circa articulum quartum vide, quę dicemus 1. 2. quæſtione 9. artic. 2. & 3.

Circa articulum 5. nihil ſe offert dicendũ.

QVÆSTIO LXXXIII.

De libero arbitrio.

ARTICVLVS I.

Vtrum homo ſit liberi arbitrij.

Concluſio eſt affirmaus.

SEcundum fidem certam eſſe hanc cõcluſionem conuincit locus in argumento. *Sed contra*, adductus à D. Tho. Eccl. 15. v. 14. *Deus ab in ipſo conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui*, id eſt in libertate arbitrij vt exponit gloſſa. Ne quis autem diceret hominem conditum quidem fuiſſe

cum

cum libero arbitrio; hoc tamen poſt Adæ peccatum fuiſſe amiſſum, Concil. Trid. Seſſ. 6. can. 5. diffinit: *Si quis liberum arbitrium hominis poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum dixerit; aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique à Satana, in vectum in Eccleſiam, anathema ſit.*

Notam etiam eſſe lumine naturali oſtendunt duo, quibus in corp. art. eam probat D. Thom. argumenta primum eſt: *Alioquin fruſtra eſſent conſilia, exortationes præcepta, prohibitiones, præmia, pœnæ.* Quo etiam vtitur D. Aug. lib. de vera religione c. 14. & adeo efficax eſt, vt illo conuictus Cicero, maluerit præſcentiam futurorum Deo negare, quam liberum humanę voluntatis arbitrium, ignorans huius cum illa concordiam, vt teſtatur D. Aug. lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 9.

Secundum eſt: Homo agit libero rationis iudicio; ergo eſt liberi arbitrij. Antecedens patet, quia iudicium, quo agit homo iudicans aliquid eſſe fugiendum, vel proſequendum, non eſt ex inſtinctu naturali in particulari operabili, ſicut eſt iudicium, quo agunt bruta; ſed eſt ex collatione quadam rationis, ac per conſequens non eſt determinatum ad vnum, ſed indifferens, & ad diuerſa ſe habet: ratio enim circa contingentia, qualia ſunt particularia operabilia, viam habet ad oppoſita. Conſequentiam verò neceſſariam eſſe iudicat D. Thom. Vndè concludit: *Et pro tanto neceſſe eſt, quod homo ſit liberi arbitrij, ex hoc ipſo, quod rationalis eſt.*

Circa antecedens huius argumenti aduerte

te; iudicium rationis, quia indifferens eſt, & ad diuerſa ſe habet, non dici liberum, quia ſit tale formaliter, ſed quia liberum eſt radicaliter, & cauſaliter: nam, vt ait Diuus Thomas 1.2 quæſtione 27 artic. 1 ad 2. ¶ Radix libertatis eſt voluntas ſicut ſubiectum, ſed ſicut cauſa eſt ratio. Ex hoc enim voluntas libere poteſt ad diuerſa ferri, quia ratio poteſt habere diuerſas conceptiones boni. ✠

Circa conſequentiam etiam aduerte, illam adeo neceſſariam iudicari à multis, vt dicant nec per Dei potentiam abſolutam fieri poſſe, vt ſtãte iudicio indifferente in intellectu circa aliquod obiectum, auferatur libertas arbitrij, & neceſſitetur voluntas ad tale obiectum. Quod probant: Obiectum voluntatis eſt bonum apprehenſum, ergo non poteſt voluntas neceſſario ferri in obiectum, niſi ei proponatur, vt neceſſariò amandum, ac proinde, ſi non hoc modo proponat ei intellectus, ſed cum indifferentia ad oppoſita, impoſſibile erit, vt voluntas medio illo iudicio tendat in illud bonum neceſſariò, & non liberè. Mihi tamen ſemper oppoſitum probabilius viſum eſt; indifferentia enim iudicij intellectus ſolum eſt radix libertatis voluntatis: ſed ſtante radice poteſt à Deo auferri id, quod eſt tale formaliter, vt manente rationalitate in homine, poteſt Deus ei auferre riſibilitatem; ergo ſtante iudicio indifferenti poteſt Deus voluntati auferre formalem libertatem, illamque ad operandum neceſſitare. Confirmatur: ſtante indifferentia iudicij, poteſt Deus voluntatem neceſſitare ad

non

non operandum, ſi ei ſubtrahat auxilium generale ad operandum requiſitum; cur ergo non poterit etiam neceſſitare eam ad operandum? Neceſſitas enim operandi poteſt voluntati prouenire, & à iudicio intellectus, & à cauſa extrinſeca, ſcilicet Deo: quando autem ab hoc prouenit, non neceſſario requiritur, vt proponatur obiectum, vt neceſſariò amandum, ſed quocumque modò proponatur, poterit Deus facere, vt voluntas in illud neceſſariò tendat. Vnde conſequentia Diui Thomæ ſolum eſt neceſſaria naturaliter, & iuxta potentiam Dei ordinatam, ſicut, & hæc, homo eſt rationalis, ergo eſt riſibilis.

ARTICVLVS II.

Vtrum liberum arbitrium, ſit potentia.

Concluſio eſt affirmans.

ARTICVLVS III.

Vtrum liberum arbitrium ſit potentia appetitiua.

Concluſio eſt affirmans

ARTICVLVS IV.

Vtrum liberum arbitrium ſit alia potentia à voluntate.

Concluſio eſt negans.

Dubium: quid ſit liberum arbitrium.

QVidam liberum arbitrium diffiniunt: Quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt agere, & non agere, aut ita agere vnum, vt contrarium etiam agere poſſit, idque in ſenſu compoſito. Probant: ſi ſufficeret poſſe ageret, & non agere in ſenſu diuiſo, ſequeretur igni conuenire liberum arbitrium, poſitis enim omnibus requiſitis ad calefaciendum poteſt non calefacere in ſenſu diuiſo, nempe ſi aliquid ex prædictis requiſitis auferatur, vt ſi lignum remoueatur. Sequeretur etiam amorem Dei in patria actum eſſe liberi arbitrij, poteſt enim beatus ab illo ceſſare in ſenſu diuiſo, ſi videlicet viſione beatifica priuaretur. Hæc autem falſa eſſe conſtat; ergo &c. Confirmatur: Quacunque Dei motione poſita poteſt liberum arbitrium agere, & non agere in ſenſu compoſito, nam, vt dicitur in Conc. Trid. Seſ 6. can. 4. poteſt diſſentire ſi velit, ergo nihil eſt ex requiſitis, quo poſito non poſſit liberum arbitrium agere, & non agere in ſenſu compoſito: nam ſi aliquid eſſet, maxime Dei motio.

Dic

Dicendum tamen eſt 1. prędictam diffinitionem, præſertim modo ſupradicto intellectam, non eſſe rectam. Probatur 1. Non ſolum eſt liberum arbitrium poſitis requiſitis ad agendum, ſed etiam poſita ipſa actuali actione: ergo in diffinitione, vt recta, & non diminuta ſit, non ſolum debet explicari indifferentia, ſeu potentia ad oppoſita, quam habet poſitis omnibus requiſitis ad agendum ſed etiam poſita ipſa actione. Confirmatur: poſita actuali actione manet indifferentia, atque potentia ad oppoſita, quę eſt libero arbitrio eſſentialis; ergo ſi poſitis omnibus requiſitis ad operandum illa manet, manebit etiam liberum arbitrium. At illa non eſt ad agendum, & non agendum in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diuiſo, vt patet, poſita enim actuali operatione non poteſt voluntas agere, & non agere in ſenſu compoſito; ergo ſi poſitis omnibus requiſitis ad operandum manet in voluntate potentia ad agendum, vel non agendum in ſenſu diuiſo, manebit etiam in ea arbitrij libertas.

Secundò. Aeternum Dei efficax decretum eſt vnum ex requiſitis, vt tam ipſe Deus, quā nos liberè operemur in tempore: ſed illo poſito neque Deus; neque nos poſſumus non operari in ſenſu compoſito; aliàs enim Deus mutabilis eſſet, & nos eius decretum poſſemus infirmare, cum tamen Iſaiæ 14 v. 27. dicatur: *Dominus enim exercituum decreuit: & quis poterit infirmare?* Ergo non eſt de ratione liberi arbitrij poſſe non operari in ſenſu compoſito poſitis omnibus requiſitis ad ope-

randum. Confirmatur: motio Dei eſt vnũ ex prærequiſitis ad agendum: ſed illa poſita voluntas non poteſt non agere in ſenſu compoſito: nam, vt ait D. Thom. 1. 2 q 10. artic. 4 ad 3. ¶ Si Deus moueat voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni, quod voluntas nõ moueatur; non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter: vnde non ſequitur, quod voluntas à Deo ex neceſſitate moueatur; ✠ ergo &c.

Dicendum eſt 2. Optimam liberi arbitrij diffinitionem eſſe hanc: *Liberum arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis ad vtrumlibet*. Quæ ſumpta eſt ex Magiſtro ſentent. in 2. d. 24. §. 5. & d. 25. §. 1. & eam admittit D. Thom. hic art 2. ad 2. & verit. q. 24. in multis articulis, vbi, & eam D. Auguſtini eſſe ait, vnde ab omnibus admitti debet.

Primam particulam ſic explicat D. Thom. hic art 2 ad 2. ¶ Facultas nominat quandoque potentiam expeditam ad operãdum. Et ſic facultas ponitur in diffinitione liberi arbitrij. ✠.

Secundam explicat idem S. Doctor q. 24. de veritat. art. 3. ad 1. ita. ¶ Ratio quandoque ſumitur largè pro omni immateriali cognitione, &c. Alio modo accipitur propriè pro vi cognitiua cum diſcurſu, &c. Poteſt ergo dici, quod ratio in diffinitione liberi arbitrij ponitur ſecundum primam acceptionem. Si verò ſumatur in ſecunda acceptione, tunc difinitur liberum arbitrium ſecundum illum modum, qui eſt in hominibus. ✠

Tertiam particulam explicat ibidem art. 6. ad

ad 1.ſic: ¶ Quia liberum arbitrium non nominat voluntatem abſolutè, ſed in ordine ad rationem, inde eſt, quod ad hoc ſignificandum voluntas, & ratio in diffinitione liberi arbitrij obliquè ponuntur. ✠ Ratio quidem tanquam potentia, in qua eſt libertas radicaliter, & caſualiter; voluntas vero tanquam potentia, in qua eſt libertas formaliter, & tanquam in ſubiecto, vt diximus artic.1.

Quartam particulam nempe *Ad vtrumlibet*, explicat Magiſter in 2.d.25 §.1. *Quia libere poteſt moueri ad hoc, vel ad illud*, Et d. 24 §.5. *Quia bonum eligitur gratia aſſiſtente, vel malum ea deſiſtente* Sed quamuis hoc ſit verum de libero arbitrio creato non confirmato in gratia, de quo ibi agebat Magiſter; ſi tamen ſit ſermo de libero arbitrio ſecundum eius conceptum communem; id diffinitio non requirit; nam, vt ait D.Thom. q.24 de verit. art.3. ad 2. ¶ Poſſe eligere malum non eſt de ratione liberi arbitrij; ſed conſequitur liberum arbitrium, ſecundum quod eſt in natura creata poſſibile ad defectum. ✠ Explicanda eſt ergo hæc particula *Ad vtrūlibet*, id eſt ad agendū, vel nō agendū, vel ad agēdū hoc, vel illud. Vnde perfecta, & & plena ratio libertatis inuenitur abſq; indifferentia contrarietatis, cum ſola indifferentia contradictionis, vel diuerſitatis obiecti cogniti, & voliti: ita, vt poſſit voluntas hoc velle, & non velle, aut eligere vnum mediū, vel alterum ad finem, qui eſt eius obiectū & ad quem determinata eſt, quale eſt bonum

in communi reſpectu noſtræ voluntatis, & reſpectu diuinæ, bonitas diuina, vel ſummum bonum.

Aduertit etiam D. Thom. 1. Contra gentes, cap. 82. ¶ Ad vtrumlibet eſſe alicui virtuti poteſt conuenire dupliciter. Vno modo ex parte ſui: alio modo ex parte eius ad quod dicitur. Ex parte quidem ſui quando nondum conſequuta eſt ſuam perfectionem, per quam ad vnum determinatur: vnde hoc in imperfectionem virtutis redundat, & oſtenditur eſſe potentialitas in ipſa. ſicut patet in intellectu dubitantis, qui non dum aſſequutus eſt principia, ex quibus ad alterum determinetur. Ex parte autem eius, ad quod dicitur inuenitur aliqua virtus ad vtrumlibet eſſe, quādo perfecta operatio virtutis à neutro dependet, ſed tamen vtrumque eſſe poteſt: ſicut aliquis, qui diuerſis inſtrumentis vti poteſt æqualiter ad idem opus perficiendum. Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, ſed magis ad eius eminentiam, in quantū vtrumlibet oppoſitorū excedit, & ob hoc determinatur ad neutrū vtrumq; ſe ad habens. ⁂ Virtus; quæ primo modo eſt ad vtrumlibet dicitur eſſe indifferens priuatiuè, quia ſcilicet non eſt determinata, potentiam tamen, & aptitudinem habet, vt determinetur. Quæ vero ſecundo modo eſt ad vtrumlibet, dicitur eſſe indifferens negatiue: quia ſcilicet non eſt determinata, nec habet potentiam, & aptitudinem, vt determinetur ex parte eius ad quod dicitur. De ratione ergo liberi arbitrij non eſt

eſſe ad vtrumlibet primo modo: nam licèt id poſſit conuenire libero arbitrio creato, vt patet quando eſt ſuſpenſus, & antequam aliquid operetur; tunc enim eſt indifferens priuatiuè: quia non eſt determinatū; habet tamen potentiā & aptitudinē, vt ſe determinet; non tamen libero Dei arbitrio, quod teſte D. Thom. loco proximè citato. ¶ Non ſic abſque neceſſitate alterum oppoſitorum præaccipit circa ſua cauſata, quaſi conſideretur in potentia ad vtrumque, vt primo ſit volens in potentia vtrunque, & poſtmodum volens actu: ſed ſemper eſt volens actu quicquid vult, non ſolum circa ſe, ſed etiam circa cauſata. Sed quia volitum non habet neceſſarium ordinem ad diuinam bonitatem, quæ eſt proprium obiectum diuinæ voluntatis. ✠ Solum eſt ergo de ratione liberi arbitrij eſſe ad vtrumlibet ſecundo modo, & eſſe indifferens negatiue; quod ei conuenit etiam poſtquam ſe ipſum determinauit, & actu operatur; tunc enim tam eſt indifferens ex parte eius quod dicitur, vt ex parte eius determinari non poſſit; nam id ad quod dicitur non habet neceſſariam connexionem cum fine, qui eſt obiectum ad quod eſt voluntas determinata.

Ad argumentum vero factum in principio reſpondetur negando ſequelam quoad vtramque partem; illis enim poſitis, neque ignis in ſenſu diuiſo poteſt non calefacere, neque beatus ab amore Dei ceſſare; nam neque ignis habet facultatem, vt poſſit non calefacere, neque voluntas beati, vt poſſit

non

non diligere ſi velit, quod requirebatur, vt illa poſſent in ſenſu diuiſo. Vnde ſenſus diuiſus, qui in argumento explicatur, vt ſcilicet poſſit non agere, ſi auferatur aliquid ex requiſitis ad agendum, non eſt ſufficiens ad liberum arbitrium, ſed requiritur, vt etiam non ablatis, ſed manentibus requiſitis, poſſit non agere, hoc eſt habere potentiam, & facultatem ad non agendum Ad confirmationem nego antecedens. Verba autem Concil. Trident. poteſt diſſentire ſi velit, non faciunt ſenſum compoſitum, ſed diuiſum: ſicut, & hæc, homo ſedens poteſt non ſedere, ſi velit. De hoc tamen alibi latius.

QVAESTIO LXXXIV.

De animæ cognitione reſpectu corporalium.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima cognoſcat corpora per intellectum.

Concluſio eſt affirmans.

ARTICVLVS II.

Vtrum anima per eſſentiam ſuam corporalia intelligat.

Concluſio eſt negans.

Dubium indigeat nè anima ſpeciebus intelligibilibus ad corporalia intelligenda.

PArtem negantem quidam tenent, & probant. Si indigeret ſpeciebus maximè, vt ab eis determinaretur ad cognoſcẽda hæc obiecta potius, hoc quã illa, ſed ad non indiget eis; ergo, &c. Probatur minor: ſenſus externi determinantur ſufficienter per præſentiam obiectorum, quæ non niſi, vt realiter ipſis præſentia ſentire poſſunt, ſenſui vero interni per ſenſationes ſenſuum externorum, cum non niſi mediantibus his ſentire poſſint, ac tandem intellectus per cognitionem ſenſus interni, nam in potentijs ſubordinatis obiectum oſtenditur potentiæ poſteriori per actum prioris, & per talem oſtẽſionem determinatur; ergo non indiget ad hoc ſpeciebus.

Dicendum tamen eſt: Ad corporalia intelligenda indigere animam ſpeciebus intelligibilibus. Probatur cum D Thom. hic, ad cognoſcenda corporalia neceſſarium eſt ipſa corporalia cognita exiſtere in anima cognoſcente, non materialiter, ſed immaterialiter; ſed, vt hoc modo exiſtant corporalia in animà ſunt neceſſariæ ſpecies; ergo

anima

anima ad corporalia intelligenda indiget ſpeciebus. Maiorem ſimul cum minore docet Ariſt.lib.3 de Anima, c.8.tex.38. lect. 13.apud D.Thom. his verbis. *Neceſſe eſt autem, aut ipſa, aut ſpecies eſſe, ipſa quidem igitur non ſunt, non enim lapis in anima eſt; ſed ſpecies.* Cum enim anima ſit quodammodo omnia, quę intelligit, hæc in illa quodammodo eſſe oportet, ſcilicet immaterialiter, & per ſuas ſpecies, vnde ibidem ait D.Tho. *Et per hunc modum dicitur intellectus in actu eſſe ipſum intellectum in actu, in quantum ſpecies intellecti, eſt ſpecies intellectus in actu.* Probatur etiam maior. Tum, quia intellectus, vt cognoſcat obiectum, debet illud trahere ad ſe, hocque proinde in illo immaterialiter exiſtere. Tum etiam, quia cum intellectus ſit potentia paſſiua, vt dicitur ſup. q.79.art.2. & de ſe indifferens ad hoc, vel illud obiectum cognoſcendum, antequam in actionem prorumpat, debet perfici, & immutari ab obiecto in illo immaterialiter recepto, ab illoque tanquam à principio intellectionis determinari ad cognitionem eiuſdem obiecti; ad actum enim potentiæ paſſiuæ comparatur obiectum, vt principium, & cauſa mouens, vt patet ſupra q.77.art.3. ac proinde debet intra intellectum exiſtere, nam, vt extra illum eſt, ſolum habet rationem termini intellectionis. Tum denique, quia cum ab obiecto, & potentia pariatur notitia, ad hanc requiritur, prius potentia obiectum immaterialiter in ſe recipiat, ſi ab ſpecieque tanquam ab obiecti ſemine fœcundetur. Vnde, quæ

quæ diximus ſupra quæſtione quinquageſi-ma quinta art. 1.

Ad argumentum autem factum in princi-pio reſpondetur negando minorem. Ad pro-bationem nego antecedens: extrinſeca enim præſentia obiecti non ſufficit ad determinan-dum ſenſum externum. Terminat quidem obiectum extra viſum exiſtens viſionem, munuſque obiecti terminatiui exercet, vt tamen ad talem viſionem viſum determinet tanquam principium, & cauſa mouens, & obiectum motiuum, opus eſt, vt ſui ſimili-tudinem, ac ſpeciem producat, & per illam immutet, ac moueat viſum.

Circa articulum 3. & 4. 5. & 6. nihil ſe of-fert dicendum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum intellectus poſſit actu intelligere per ſpecies, quas penes ſe habet non conuertendo ſe ad phantaſmata.

Concluſio eſt negans.

ADuertendum hic eſt cum Ferrarienſe 1. Contra gentes, cap. 65. §. *Ad quintum dubium*: & lib. 2, c. 72. §. *Pro ſolutione primi dubij.* Conuerſionem intellectus ad phantaſmata non eſſe cognitionem phã-taſmatis, ſed motionem imaginationis ad formationem phantaſmatis. Licèt enim,

te-

teſte D. Thom q. 2. de verit. art. 6. intelle-ctu per quandam reflexionem redeat in cognitionem ipſius phantaſmatis, in quo ſingulare repræſentatum reflexè cognoſcit, hęc tamen reflexa cognitio, & conuerſio ad phãtaſmata non ſemper eſt neceſſaria, & ſupponit iam cognita naturam vniuerſalem, vnde de hac non loquitur D. Thom. hic. Quia vero intellectus, non poteſt per ſpecies intelligibiles, quas penes ſe habet, cognoſcere naturam vniuerſalem, niſi imaginatiò cognoſcat ſingulare, in quo talis natura eſt, per phãtaſmata ab imaginatione ipſa formatum ex imperio intellectus(*ſecundum enim imperium intellectus formatur in imaginatione phantaſma conueniens tali ſpeciei intelligibili*, vt ait D. Thom. 2. Contra gentes, cap. 73. arg. 22.) Ideò intellectum conuerti ad phantaſmata neceſſarium eſt, hocque nihil aliud eſt, quam mouere imaginationem ad formationem phantaſmatis. Quod ex D. Thom. hic colligitur; probat enim intellectum debere conuerti ad phantaſmata, quia, vt actu intelligat, *requiritur actus imaginationis*. Et quia natura materialis non poteſt completè, & verè cognoſci, niſi ſecundum, quod cognoſcitur, vt in particulari exiſtens: *particulare autem apprehendimus per ſenſum, & imaginationem*.

Si quęrás autem quomodo particulari apprehenſo non per intellectum, ſed per ſenſum, & imaginationem, intellectus cognoſcat naturam, vt in particulari exiſtentem? Reſpondetur D. Thomam nunquam aſſeruiſſe natu-

ram, vt in particulari exiſtentem cognoſci ab intellectu, vt ſic enim particularis eſt, ſed ſolum ait: ¶ Natura lapidis, vel cuiuſcunque materialis rei cognoſci non poteſt completè, & verè niſi ſecundum, quod cognoſcitur, vt in particulari exiſtens. ✠ Quod intelligendum eſt, ſcilicet ab homine, qui per intellectum ſpeculatur naturam vniuerſalem in particulari exiſtentem, vt inferius ſubdit S. Doctor; vt exiſtentem tamen in particulari per ſenſum, & imaginationem apprehendit. Eſt verò hęc imaginationis apprehenſio neceſſaria ad illam intellectus ſpeculationem, ſicut inſpectio imaginis, quæ fit per viſum; quandoque eſt neceſſaria ad exemplaris cognitionem per imaginationem, vel intellectum. In phantaſmate enim, inquit D. Thom. 2. Contra gent. cap. 73. ratio. 22. *Reſplendet ſpecies intelligibilis ſicut exemplar in exemplato, ſiue immagine.* Non quia ſpecies intelligibilis repræſentetur per phantaſma, ſed quia ¶ per id, quod animæ per phantaſma repræſentatur, excitatur anima ad cognitionem eius, quod per ſpeciem intelligibilem repręſentatur: ✠ vt ibi exponit Ferrarienſis §. *Aduertendum autem.* Vt ergo intellectus ſpeculetur naturam vniuerſalem in particulari exiſtentem, ſeu quæ in particulari exiſtit, neceſſe eſt, vt conuertat ſe ad phantaſmata mouendo imaginationem ad formationem phantaſmatum, in quibus imaginatio cognoſcit naturam, vt in particulari exiſtentem, vt ſic tanquam exemplo, non quidem per intellectum, ſed per imagina-

na-

nationem directè cognito, intellectus colligat ſuum obiectum proprium. Poteſt namque intellectus mouere potentias ſenſitiuas ad earum operationes, quatenus congruit ipſius intellectus operationi, ſicut oculum ad videndum aliquod totum particulare, & ſuas partes, vt quaſi exemplo percipiat omne totum eſſe maius ſua parte.

Aduertendum eſt etiam, quod hic ait Diu. Thom. ¶ **Intellectus humani, qui eſt coniunctus corpori, proprium obiectum eſt quidditas, ſiue natura in materia corporali exiſtens.** ✠ Non eſſe intelligendum de obiecto adęquato: nam hoc eſt ens, & verum in tota ſua latitudine, vt patet ex dictis ſupra q. 12. art. 1. & ex Diuo Thoma infra qu. 87. articulo 3. & 2. contra gentes capit. 98. ſed de obiecto proportionato, & connaturali illi pro ſtatu præſentis vitæ. Vnde S. Doctor ſubdit: ¶ **Et per huiuſmodi naturas viſibilium rerum etiam inuiſibilium rerum aliquam cognitionem aſcendit.** ✠ Et ad 3 ait: *incorporea cognoſcuntur à nobis per comparationem ad corpora ſenſibilia*; tanquam, ſcilicet, per proportionatum, & connaturale obiectum: nam, vt idem D. Thom. inquit ſupra qu. 12. artic. 4. ¶ Per intellectum connaturale eſt nobis cognoſcere naturas, quæ quidem non habent eſſe niſi in materia indiuiduali, non tamen ſecundum, quod ſunt in materia indiuiduali. † Rationem autem cur hæc quidditas, ſeu natura rei materialis ſit obiectum proportionatum, & connaturale noſtri intellectus, aſſignat Diuus Thomas; quia ſcilicet

cor-

conuenit cum illo in modo eſſendi: nam intellectus noſter partim eſt coniunctus materię, quatenus, ſcilicet, eſt virtus animæ, quæ eſt forma corporis;& partim eſt ab ea ſeparatus, quatenus, ſcilicet, non eſt actus organi corporalis:ſicut quidditas rei materialis coniuncta eſt quidem cum materia communi; abſtracta verò à materia indiuiduali per intellectum.

Aduertendum denique eſt, quod hic ait D. Thom. *De ratione huius naturæ eſt, quod in aliquo indiuiduo exiſtat*: non eſſe ſic intelligendum, vt ſit de eſſentia, & quidditate naturę materialis eſſe in aliquo indiuiduo: ſed quia eſt modus quidam intrinſecus inſeparabilis ab ipſa natura materiali in rerum natura exiſtente: nam non poteſt vniuerſaliter ſubſiſtere, ſicut volebat Plato; ſed neceſſario debet in aliquo indiuiduo exiſtere, vt natura lapidis in hoc lapide. Ex quo rectè colligit D. Thom. non poſſe completè, & verè cognoſci naturam rei materialis, niſi cognoſcatur etiam, vt in particulari exiſtens; ita ſcilicet, vt ſecundum ſuam quidditatem, & eſſentiam cognoſcatur per intellectum, & vt exiſtens in particulari per ſenſum, & imaginationem: nam niſi hoc modo cognoſcatur, non cognoſcetur id quod eſt de ratione tanquam intrinſecus modus illlius. Vide Caietanum hic §. *Ad ſecundum dubium*.

Circa articulum octauum nihil ſe offert dicendum.

QVAE-

QVAESTIO LXXXV.

De modo, & ordine intelligendi.

Circa articulum primum nihil ſe offert dicendum. Vide Caietanum.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus abſtractæ ſe habeant ad intellectum noſtrum, vt quod intelligitur.

Concluſio eſt negans.

QVamuis enim intellectus poſſit ſupra ſeipſum reflecti, & ſuam ſpeciem intelligere, ſicque ſpecies poſſit eſſe id, quod ſecundario intelligitur: *Sed id, quod intelligitur primo, eſt res cuius ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo.* Species vero ipſa intelligibilis *ſe habet ad intellectũ, vt quo intelligit intellectus.*

Dubium an ſpecies intelligibilis ſit ſimilitudo formalis obiecti,

PArtem negantem tenent nonnulli, & probant 1. Species intelligibilis eſt quoddã ſemen obiecti, teſte enim D. Auguſt lib. 9. de Trinit. cap. 12. *Ab vtroque notitia paritur, à cognoſcente, & cognito.* Ac proinde verbum habet

habet ſe ad inſtar prolis potentia cognoſcens ad inſtar fœminæ, obiectum ad inſtar viri, & ſpecies intelligibilis ad inſtar ſeminis; ergo ſicut ſemen nõ eſt ſimilitudo viri formaliter, ſed ſolum cauſaliter, quatenus inſtrumentaliter efficit prolem, quę eſt ſimilitudo patris generantis: ita ſpecies intelligibilis non erit formaliter ſimilitudo obiecti, ſed ſolum cauſaliter, quia cauſat verbum, quod eſt formalis ſimilitudo obiecti. Confirmatur, habitus intellectuales nõ ſunt formaliter repręſentatiui aut formales ſimilitudines ſuorum obiectorum, ergo neque ſpecies intelligibiles, quæ ſunt habitus quidam ad ſimplices conceptiones obiectorum.

Secundo: Si ſpecies intelligibilis eſſet formalis ſimilitudo obiecti, per illam fieret intellectus ſimilis obiecto, atque adeo actu intelligens antequam actionem aliquam vitalem eliceret, aut produceret verbum: ſed hoc eſt falsũ, ergo &c. Maior quoad primam partem patet. Quoad ſecundam probatur; tunc intellectus cognoſcit obiectum, quando fit ei actu, & formaliter ſimilis: nam cognitio eſt aſſimilatio cognoſcentis ad cognitum: propter quod D. Aug. lib. 14. de Trinit. cap. 17. inquit: *Tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando Dei perfecta erit viſio*. Ergo ſi per ſpeciem fit intellectus ſimilis obiecto, illud cognoſcit.

Dicendum tamen eſt: Speciem intelligibilem eſſe formalem ſimilitudinem obiecti. Probatur: quia vt colligitur ex D. Tho. hic eodem modo ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo

tudo obiecti, ſeu rei intellectæ, quo ſpecies viſibilis eſt ſimilitudo rei viſæ: ſed ſpecis viſibilis eſt ſimilitudo formalis rei viſę; ergo & ſpecies intelligibilis rei intellectę. Minor probatur: Tum quia non eſt ſimilitudo rei viſæ cauſaliter, cum ſenſus exterior non formet ſibi aiiam formam, aut ſimilitudinem, vt diximus ſupra q. 27. art. 1. dubio vnico ad 4. probationem 2. argumenti. Tum etiam; nam eſt quædam rei viſæ imago, vt talemque eam tam in ſpeculo, quam in pupilla oculi alterius videmus: imago autem non poteſt non eſſe ſimilitudo formalis rei, cuius eſt imago; ergo &c. Confirmatur: vt ait Ariſt. lib. 2. de Anima, cap. 12. lect. 24. apud D. Thomam, *Senſus eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia, vt cera anuli ſine ferro, & auro recipit ſignum*; id eſt imaginem ſiue figuram, vt ibi explicat D. Thom. ergo ſicut imago, vel figura recepta in cera eſt formalis ſimilitudo eius cuius eſt imago; ita ſpecies recepta in ſenſu formalis ſimilitudo erit ſui obiecti Et idem erit de ſpecie recepta in intellectu, de quo idem Ariſt. lib. 3. de Animà, cap. 4. ait; *Vim habet vt ſpecies, & imagines recipiat*.

Secundò probatur: quia vt docet, & probat Caietanus ſupra q. 55. art. 3. §. *Ad euidentiam*, ſpecies tam ſenſibiles quam intelligibiles ſunt per ſe primo inſtitutæ ad repræſentandum ſua obiecta, & illis medijs ſenſus fit ſenſibilia, & intellectus intelligibilia; ergo ſunt formales ſimilitudines ſuorum obiectorum; alias enim ſi ſolum virtualiter, & cauſaliter eſſent tales, non conueniret eis primo re-

repræſentare obiecta; nam nõ primo cõuenit rei, quod conuenit ei virtualiter, ſed quod ei conuenit formaliter; & per illas non poſſet ſenſus fieri ſenſibilia, & intellectus intelligibilia. Confirmatur: quia, vt ait D.T. Quod 8. art. 4 ¶ Species intelligibilis eſt ſimilitudo ipſius eſſentiæ rei, & eſt quodammodo ipſa quidditas, & natura rei ſecundum eſſe intelligibile, non ſecundum eſſe naturale, prout eſt in rebus. ✠ Sed hoc eſt eſſe ſimilitudinem; formalem ergo &c.

Ad primum verò reſpondetur negando conſequentiam: nam licèt ſpecies intelligibilis ſit cauſaliter ſimilitudo expreſſa obiecti: formaliter tamen eſt illius ſimilitudo impreſſa. Et licèt quodammodo ſit ſemen obiecti; à ſemine tamen deciſo à generante differt, quia hoc non eſt per ſe primo inſtitutum ad repræſentandum, ſicut ſpecies intelligibilis. Ad confirmationem reſpondetur negando conſequentiam: nam habitus non ſunt primo inſtituti ad repræſentandum, ſicut ſpecies intelligibiles.

Ad ſecundum reſpondetur: per ſpeciem intelligibilem impreſſam fieri intellectum ſimilem obiecto in actu primo, hoc autem non ſufficere, vt actu intelligat. Quomodo autem notitia, & cognitio dicatur ſimilitudo, ſupra q. 12. art. 2. explicuimus Vbi etiam dub. 2. diximus, quę nam ſpecies efficienter concurrat ad intellectionem.

Circa articulum tertium vide, quę de primo cognito dici ſolent in phyſica. Circa articulum 4. vide, quę diximus ſupra qu. 58.

art 2. Circa art. 5 vide quæ diximus qu. 58. art. 4. Circa articulum. 6. Vide quę diximus qu. 16. art. 1. & 2.

ARTICVLVS VII.

Vtrum vnam, & eandem rem vnus alio melius intelligere poſſit.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium: Sit nè vna anima rationalis in ſeipſa, & intrinſecè perfectior alia.

PArtem negantem quidam tenent, & probant. 1 ex D. Thoma 3. p. q. 69. art. 8. ad 3. vbi ſic ait: Diuerſa capacitas naturalium in hominibus non eſt de diuerſitate mentis, quæ per baptiſmum renouatur, cum omnes homines eiuſdem ſpeciei exiſtentes in forma conueniant, ſed eſt ex diuerſa diſpoſitione corporum. ✠ Sentit ergo vnam animam non eſſe intrinſecè perfectiorem alijs, ſed ſolm extrinſecè ex diſpoſitione corporis.

Secundò. Quia alias animæ rationales differrent inter ſe ſpecie, differentia enim, quæ addit gradum perfectionis eſſentialis, facit differre ſecundum ſpeciem: ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Confirmatur: nam etiam anima vnius equi, aut plantę eſſet altera ſubſtãtialiter perfectior, ſed hoc eſt falsũ: ergo &c.

Dicendum tamen eſt: Vnam animam ratio-

cionalem, ac per conſequens vnum intellectum, eſſe intrinſecè perfectiorem alijs. Hoc adeò certum eſſe exiſtimauit Schola Pariſiẽſis, vt hunc articulum ediderit: *Siquis dicit omnes animas ab origine eſſe æquales, errat, quoniam aliàs anima Chriſti non eſſet perfectior, quã anima Iudę.*

Probatur deinde ex D. Thom. nam hic ait: *Manifeſtum eſt, quod quanto corpus eſt melius diſpoſitum, tanto meliorem ſortitur animam.* Loqui non autem de perfectione animę intrinſeca conſtat, nam ſubdit: *Quod manifeſtè apparet in his, quę ſunt ſecundum ſpeciem diuerſa.* In his enim anima, tãto intrinſecè melior eſt, quanto corpus fuerit melius diſpoſitum. *Vnde etiam* (inquit) *cum in hominibus quidam habeant corpus melius diſpoſitum; ſortiuntur animum maioris virtutis in intelligendo.* Et in 2. d. 21. q. 2. art. 1. ad 2. loquens de ſtatu primorum parentum, inquit: *Mulier etiam quantum ad animam, viro imperfectior erat.* Quæ teſtimonia, tam aperta eſſe iudicat Caietanus hic § *Circa cauſam*, vt multos Thomiſtas aſſerentes non eſſe mentem S. Thomæ animarum humanarum ſubſtantias eſſe inæquales, cœcos appellet.

Denique probatur ratione D. Tho. *Quia actus, & forma recipitur in materia ſecundum materia capacitatem.* Ergo ſicut propter hoc in his, quę ſpecie differunt, quanto melius eſt diſpoſitum corpus, tanto eſt perfectior intrinſecè anima, ita, & in hominibus. Non quod ex corpore perfectionem accipiat anima; ſed quia, quo perfectior eſt anima, perfe-

ctius, & melius organizatum corpus requirit, nam, vt ait D.Thom.ſupra q. 76. artic.5. ¶ Cum forma non ſit propter materiam, ſed potius materia propter formam, ex forma oportet rationem accipere, quare materia ſit talis,& nō è conuerſo† Vndè Ariſt.lib.2. deGenera.animal.inquit: *Prout nobilitate, ignobilitate, vt anima inter ſe differentia, ita, & natura eius corporis differt.* Qua propter,vt hic rectè ait Caietanus, diſpoſitiones corporis non redundant in animam cauſaliter, ſed occaſionaliter, cum non propter perfectiores diſpoſitiones corporis detur anima perfectior ſed è contra propter perfectiorem animam, ſeu perfectioris animæ occaſione, perfectiores ſint diſpoſitiones corporis. Confirmatur nam, vt optimè inquit Caietanus hic ¶ Cōmenſuratio huius animæ ad hoc corpus eſt Indiuidualis differentia contrahens animam ad hanc, & eſt intrinſeca huic animæ, ſicut differentia ſpecifica eſt intrinſecà ſpeciei. ✠ Sed commenſuratio ad corpus perfectius eſt perfectior; ergo propter illam vna anima erit intrinſecè, & ſubſtantialiter perfectior alia.

Ad primum verò reſpondetur: ſenſum D. Tho. eſſe diuerſam capacitatem naturalium non prouenire hominibus ex diuerſitate ſpecifica animarum, ſed ex diuerſitate numerica, quę deſumitur per ordinem ad corpora inæqualiter diſpoſita. Colligitur hoc ex eodem S.Doctore ibi, & hic q.62.art. 6. ad 3. aſſerente gratiam non dari hominibus ſecundum capacitatem naturalium, ſicut Angelis: quia in hominibus non prouenit diuerſitas

na-

naturalium ex diuerſitate ſpecifica, ſicut in Angelis, ſed ex diuerſitate numerica.

Ad ſecundum reſpondetur negando maiorem: nam, vt hic ad 3. ait D.Thom. ¶ Differentia formæ quę non prouenit niſi ex diuerſa diſpoſitione materiæ non facit diuerſitatẽ ſecundum ſpeciem, ſed ſolum ſecundum numerum. ✠ Et 2. Contra gentes cap. 81. ad 2. rationem, inquit: ¶ Non quælibet formarum diuerſitas facit diuerſitatem ſecundum ſpeciem, ſed ſolum illa, quæ eſt ſecundum principia formalia, &c. Multitudo igitur animarum à corporibus ſeparatarum conſequitur quidem diuerſitatem formarum, ſecundum ſubſtantiam, quia alia eſt ſubſtantia huius animæ, & illius: non tamen diuerſitas procedit ex diuerſitate principiorum eſſentialium ipſius animæ: nec eſt ſecundum diuerſam rationem ipſius animæ. Sed ſecundum diuerſam commenſurationem animarum ad corpora; hęc enim anima eſt commenſurata huic corpori, & non illi, illa autem alij, & ſic de omnibus. Huiuſmodi autem commenſurationes remanent in animabus etiam pereuntibus corporibus &c. ✠

Ex quibus patet perfectionem, qua, vna anima ſuperat aliam, eſſe quidem ſubſtantialem, non tamen propriè eſſentialem, ſicut nec differentia indiuidualis eſt propriè eſſentialis (cum ſpecies totam eſſentiam dicat, & vt tota eſſentia prædicetur) ſed ſubſtantialis. Ad confirmationem nego minorem; ſicut enim anima vnius equi ſubſtantialiter diſtinguitur ab anima alterius equi per ordinem ad

ad tale corpus: ita quæ ex ſua natura perfectius corpus reſpicit, ſubſtantialiter perfectior eſt. Et idem eſt in plantis, & alijs quibuſcunque.

Circa articulum octauum nihil ſe offert dicendum. Vide Caietanum.

QVÆSTIO LXXXVI.

Quid intellectus noſter in rebus materialibus cognoſcat.

ARTICVLVS I.

Vtrum intellectus noſter cognoſcat ſingularia.

Concluſio eſt negans.

Dubium. Poſſit nè intellectus noſter cognoſcere directè, & primò ſingularia materialia.

PArtem affirmantem tenent quidam, & probant. 1. Prudentia, & ars, quæ ſunt habitus intellectus primo, & per ſe verſantur circa ſingularia; ergo, & intellectus. Confirmatur 1. Subſtantia materialis ſingularis poteſt directè, & primo cognoſci; ſed non á ſenſu, nam hic ſolum cognoſcit accidentia; ergo ab intellectu. Confirmatur 2.

Sen-

Senſus interni præſertim cogitatiua, & eius operationes ſingulares non poſſunt cognoſci ab aliquo ſenſu exteriori, vt patet, nec interiori, nam nulla potentia ſenſitiua reflecti in ſe ipſam poteſt; ergo cum directè cognoſcibiles ſint, ab intellectu hoc modo poterunt cognoſci.

Secundò. Quod poteſt virtus inferior, id totum poteſt virtus ſuperior; ergo cum, ſenſus, qui eſt inferior, poſſit directè cognoſcere ſingularia, id etiam poterit intellectus. Confirmatur intellectus cognoſcit differentiam inter vniuerſale, & ſingulare; ergo vtrumque cognoſcit directè. Confirmatur 2. Intellectus corrigit ſenſus circa ſingulare, qualis eſt magnitudo ſolis; ergo perfectius cognoſcit illud, ac proindè directè, nam cognitio reflexa imperfectior eſt directa.

Tertiò: In potentijs ſubordinatis vbi deſinit inferior ibi incipit ſuperior: ſed ſenſus, qui ſubordinatur intellectui, deſinit in ſingulari; ergo ab eo incipit intellectus. Confirmatur 1. Intellectus intelligit abſtrahendo naturam à ſingularibus; ergo prius intelligit ſingularia. Confirmatur 2. Sola ſingularia ſunt ante operationem intellectus; ergo cum obiectum debeat præcedere actum potentiæ paſſiuæ, qualis eſt intellectus, hic ſingularia directè, & primò cognoſcit.

Dicendum tamen eſt: Intellectum non cognoſcere directè, & primo ſingularia materialia, ſed indirectè, & per quandam reflexionem. Probatur ratione D. Thom. hic

prima concluſionis huius pars; intellectus noſter directè non intelligit niſi naturam beneficio intellectus agentis abſtractam: ſed hæc non eſt ſingularis, cum ſit à principijs, & conditionibus indiuiduantibus abſtracta; ergo non cognoſcit directè ſingularia materialia. Dices per intellectum agentem naturam abſtrahi à principijs, & conditionibus indiuiduantibus extrinſecis, qualia ſunt accidentia, quæ ſenſus cognoſcunt; non tamen ab intrinſecis, qualis eſt materia ſignata, vel hecceitas. Contra hoc eſt: Tum, quia aliàs natura abſtracta per intellectum agentem non eſſet actu intelligibilis: nam, vt ait D. Thom. ſupra q. 79. art. 3. *Formę in materia exiſtentes non ſunt intelligibiles actu*: immaterialitas enim eſt ratio cognoſcibilitatis. Tum etiam, quia ſaltem non poſſet intellectus directè cognoſcere ſingularia accidentia, nempe hanc albedinem, hanc figuram, &c. Quod ſi concedas, reddas rationem oportet, cur hęc directè non poſſit intellectus cognoſcere, bene tamen ſingularia ſubſtantiæ. Si verò neges, & dicas hæc ſingularia accidentia poſſe directè ab intellectu cognoſci; non ergo erit neceſſarium naturam ab illis abſtrahi; nihil enim obſtabunt, quo minus natura cum illis coniuncta cognoſcatur, ſicque ceſſabit neceſſitas ponendi intellectum agentem. Confirmatur: Quia alias in parte intellectiua eſſet propriè memoria; cognoſceret enim intellectus directè prętęrita, vt prętęrita, cum ſint aliquæ actiones productę ab eodem agente, & in eodem ſubiecto receptæ,

ptæ, quę ſolum diſtinguuntur numero, quia ſunt productæ in diuerſis temporibus, ac proinde ſi cognoſcuntur, vt hę, debent cognoſci, vt productæ in hoc tempore, & ſic, vt præteritæ, vel futurę: conſequens autem falſum eſſe, patet ſupra quæſt. 79. articulo 6. ergo.

Secunda pars concluſionis patet; nam, vt conuincunt argumenta facta in principio, intellectus cognoſcit ſingularia materialia: at non directe, vt probauimus; ergo indirecte, & per quandam reflexionem. Quam ita explicat D. Thom. ſupra q. de Anima, ar. 20. ad 1. ſecundo loco, & q. 2. de verit. art. 6. & q. 10 art. 5. ¶ Mens cognoſcendo obiectum ſuum, quod eſt aliqua natura vniuerſalis redit cognitionem ſui actus, & vlterius in ſpeciem quę eſt actus ſui principium, & vlterius in phantaſma à quo ſpecies eſt abſtracta, & ſic aliquam cognitionem de ſingulari accipit. ✠ Si quis dicat ſe nõ experiri hanc reflexionem per tot cognitiones. Meminerit multa fieri in nobis, quæ non omnes aduertunt; multi enim dicunt intellectum effectiuè mouere voluntatem, quamuis id non experiamur.

Hinc ſequitur ſingularia non cognoſci ab intellectu per propriam ſpeciem, ſed per ſpeciem naturę vniuerſalis. Quidam duo genera ſpecierum intelligibilium diſtinguũt: quædam, quę nulla præcedente cognitione intellectus reſpectu obiecti repręſentati per illas, ſed per abſtractionem intellectus agẽtis producuntur, & de his, dicunt non repræſentare formaliter, & directè ſingularia materia-

ſia, ſed ſolum naturam, & quidditatem materialem abſtractam à conditionibus indiuiduantibus, vt docet D. Thom. ſupra q. 85. art. 1. ad 3. Aliæ quæ, fiunt per intellectionem obiecti repræſentati per eas, & ex intellectione ipſa facta per aliam ſpeciem per ſe primo repreſētantem aliud obiectum relinquuntur: nam intellectus ex ſpeciebus primo conceptis, alias formare poteſt, vt docet D. Thom. ſupra q. 12. art. 9. ad 2. & de his dicunt poſſe formaliter, & quodammodo directè eſſe repræſentatiuas, atque adeò proprias ſingularium materialium, ſicut, & horum dantur proprij conceptus, & ſpecies expreſſæ, ſeu verba: Sed hæc ſententia mihi non placet, ſequeretur enim ſolam primam ſingularis cognitionem eſſe reflexam, reliquas vero poſt primam directas, quod eſt contra Diuum Thomam hic dicentem: *Singularia in rebus materialibus, intellectus noſter directè, & primò cognoſcere non poteſt*. Et inferius: ¶ Intellectus noſter directè non eſt cognoſcitiuus niſi vniuerſalium, indirectè autem, & quaſi per quandam reflexionem poteſt cognoſcere ſingulare. Quia ſicut ſupradictum eſt, etiam poſtquam ſpecies intelligibiles abſtraxerit, non poteſt ſecundum eas actu intelligere niſi conuertendo ſe ad phantaſmata. † Quæ conuerſio ad phantaſmata, licèt diſtincta ſit ab ea qua reflexè cognoſcitur ſingulare, ad eamque ſupponatur, vt diximus ſupra q. 84. art. 7. ex illa tamen hæc ſequitur, & non eſſet illa neceſſaria, poſtquam ſpecies intelligibiles abſtra-

xit

xit intellectus, ſi per alias ex iſtis formatas primò, & directè cognoſcerentur ſingularia. Illa enim conuerſio ad phantaſmata neceſſaria eſt, vt per imaginationem cognoſcatur ſingulare, dum intellectus cognoſcit naturã vniuerſalem; at ſi poſt primam reflexam ſingularis cognitionem, deinceps intellectus illud directè, & per propriam ſpeciem ſingulare cognoſcit, iam non eſſet imaginationis actus neceſſarius; ergo &c. Confirmatur; Intellectus nunquam cognoſcit ſubſtantias ſeparatas per ſpeciem propriam illarum, ſed per ſpecies rerum ſenſibilium, neque ex his alias format intellectus proprias ſubſtantiarum ſeparatarum; ergo idem erit de ſingulari materiali. Vnde Ferrarienſ. 1. Contra gentes cap. 65. circa 8. rationem ait: ¶ Cum intellectus non cognòſcat ſingularia primo, & directè, ſed per reflexionem, dum cognita quidditate redit ad conſiderationem ſui actus, & ſpeciei intelligibilis, ex qua ad phantaſma, & ſingulare conuertitur, non oportet, vt propriam ſimilitudinem, quę eſt ſpecies intelligibilis, habeat in intellectu, ſed ſufficit, vt remotam quandam habeat. ✠ Scilicet, quidditatis materialis.

Si dicas ſpeciem quidditatis materialis, ſeu naturę communis indifferentem eſſe ad omnia ſingularia: à quo ergo determinatur intellectus ad hoc ſingulare, potius, quam illud cognoſcendum? Reſpondetur; determinari à phantaſmate, quia enim in phantaſia eſt phantaſma Petri, & non Pauli, ideo per ſpeciem hominis cognoſcit intellectus Petrum,

& non Paulum. Quod ſi vtriuſque phantaſma adsit, quem voluerit, poterit homo cognoſcere, sicut si ſit in intellectu ſpecies hominis, & leonis, quem voluerit homo, cognoſcet intellectus.

An vero in cognitione iſta per reflexionẽ ſormet in ſeipſo intellectus proprium conceptum singularis, non eſt concors diſcipulorum D. Thomæ ſententia. Ferrarienſis loco proximè citato partem affirmantem tenet. Caietanus hic §. *In hac difficultate*; Vide illum.

Ad. 1. autem reſpondetur negando conſequentiam: nam sicut licèt logica primo, & per ſe verſetur circa ens rationis, quod eſt eius obiectum, intellectus tamen ſolum fertur in illud ſecundariò, & conſequutiuè: ità licèt prudentia, & ars primo, & per ſe verſentur circa singularia, intellectus tamen illa ſolum indirectè, & per reflexionem cognoſcit. Vnde ars, & prudentia primo, & per ſe verſantur circa actus ſecundarios, & reflexos intellectus. Aliqui dicunt: intellectum practicum, & habitus artis, & prudentiæ in eo exiſtentes primo, & per ſe verſari circa operabile in communi: indirectè tamen, & ſecundariò verſari circa operabilia in particulari, quatenus intellectus practicus determinatur à cogitatina circa obiectum particulare, hoc que significari dicunt à D. Thoma hic ad 2. & 2. 2. q. 49. artic. 2. ad 1. Ad 1. confirmationem reſpondetur 1. negando maiorem; multa enim ſunt, quæ à nulla potentia poſſunt directè, & primò cognoſci,

ſed

ſed ſolum ſecundariò ac per reflexionem ab intellectu, qualia ſunt entia rationis, & huiuſmodi etiam eſt ſubſtantia materialis ſingularis. Secundò reſpondetur; ſubſtantiam materialem ſingularem cognoſci directè à cogitatiua hominis, vt docet Ferrarienſ. 1. Contra gentes cap. 65. circa 8. rationem §. *Sed adhuc*. Vnde neganda eſt minor; licèt enim D. Tho. ſupra quæſt. 57. artic. 1. ad 2. dicat: *Senſus non apprehendit eſſentias rerum, ſed exteriora accidentia tantum*. Intelligendus tamen eſt de ſenſu etiam interiori ſecundum ſe ſumpto; cogitatiua tamen hominis quatenus participat aliquid rationis, & ratio quędam particularis eſt, ſicut poteſt diſcurrere, ita, & ſubſtantiam materialem ſingularem poteſt cognoſcere. Ad 3. confirmationem eiſdem modis reſpondetur: Primò cogitatiuam, & eius operationes eſſe ex his, quę à nulla potentia directè cognoſci poſſunt, ſed à ſolo intellectu indirectè. Secundò, cogitatiuam ſecundum ſe conſideratam nõ poſſe ſupra ſe ipſam reflecti; bene tamen, vt aliquid participat rationis, & ratio quædam particularis eſt.

Ad ſecundum reſpondetur: virtutem ſuperiorem poſſe quicquid poteſt virtus inferior, ſed non eodem modo: vnde licèt ſenſus poſſit directè cognoſcere ſingularia, non ſequitur eodem modo poſſe illa cognoſci ab intellectu, ſed ſatis eſt, vt illa cognoſcere poſſit indirectè, & per quandam reflexionem Ad 1. & 2. confirmationem dico, vt illa præſtet intellectus, ſufficere, vt per reflexionem

cogno-

cognoſcat ſingularia. Et licèt cognitio directa perfectior ſit cognitione reflexa, quando ſunt eiuſdem ordinis, quando tamen cognitio reflexa eſt ordinis ſuperioris, qualis eſt intellectualis reſpectu ſenſitiuæ, perfectior eſt cognitione directa.

Ad 3. reſpondetur: maiorem ſolum eſſe veram, quando potentiæ ſubordinatæ ſunt eiuſdem ordinis; ſenſus autem, & intellectus diuerſi ordinis potentiæ ſunt, cum ſenſus ſit potentia materialis, intellectus verò immaterialis. Vel dic, ſenſum immediatè ſubordinari intellectui agenti, qui ab eo incipit, à quo deſinit ſenſus, nempe à ſingulari abſtrahendo ab illo naturam vniuerſalem. Ad primam confirmationem nego conſequentiam; non enim oportet potentiam, quæ vnũ abſtrahit ab alio, cognoſcat illud, à quo abſtrahit, cũ abſtrahere ſit vnum cognoſcere, non cognito alio: vnde viſus abſtrahit colorem à ſapore pomi, & non cognoſcit ſaporem. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, ante operationem intellectus agentis eſſe ſola ſingularia, poſt illam tamen, & ante operationem intellectus poſſibilis, iam naturam eſſe vniuerſalem, ſi non logicè, ſaltem metaphyſicè, quia à ſigularibus abſtracta eſt.

Circa articulum ſecundum, & tertium, & quartum, nihil ſe offert dicendum.

QVAE-

QVÆSTIO LXXXVII.

Quomodo anima intellectiua ſeipſam, & ea, quæ ſunt in ipſa cognoſcat.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima intellectiua ſeipſam cognoſcat per ſuam eſſentiam.

Concluſio eſt negans.

DVplicem habet anima intellectiua ſtatum, ac modum eſſendi: nempè vnionis cum corpore, & ſeparationis à corpore. Cum fuerit à corpore ſeparata, *ſeipſam per ſeipſam intelliget*, vt docet D. Th. infra q.89.art 2. Quandiù autē corpori vnita eſt, nō poteſt ſeipſam, per ſeipſā, aut ſuā eſſentiam cognoſcere, vt ibidem docet S. D. Et rationem aſſignat. Quia quandiù anima corpori eſt vnita, intelligit conuertendo ſe ad phantaſmata, nec poteſt aliquid niſi hoc modo intelligere. ¶ Et ideo nec ſeipſam poteſt intelligere niſi in quantum fit actu intelligens per ſpeciem à phantaſmatibus abſtractam. ✠ Idem docet hic, & rationem reddit: Quia pro hoc ſtatu ¶. intellectus humanus ſe habet in genere rerum intelligibilium, vt ens in potentia tantum,

ſicut, & materia prima ſe habet in genere rerum ſenſibilium, vnde poſſibilis nominatur. ✠ Hoc autem prouenit ex modo intelligendi; quia, ſcilicet, nihil poteſt intelligere niſi conuertendo ſe ad phantaſmata, ac proinde niſi per ſpecies à phantaſmatibus abſtractas, quas cum non habeat à principio, nec in actu primo, nec ſecundo erit intelligens in actu, ſed in potentia pura, & nihil reſpectu illius erit actu cognitum, aut actu cognoſcibile, ſed in potentia tantum; ac proinde anima, nec ſeipſam per ſuam eſſentiam poteſt intelligere, ſed per ſpecies à phantaſmatibus abſtractas.

ARTICVLVS II.

Vtrum intellectus noſter cognoſcat habitus animæ per eſſentiam eorum.

Concluſio eſt negans.

ADuerte hic maximam eſſe differentiã inter habitum, & ſpeciem intelligibilem; hæc enim per ſeipſam cognoſcitur ab intellectu noſtro, nam aliàs eſſet proceſſus in infinitum; habitus verò nequaquam. Ratio diſcriminis ſumitur ex D.Th. hic ad 2. & 3. nam habitus non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ſolum ex parte potentiæ; ſpecies verò intelligibilis, quamuis ſe teneat ex parte potentiæ, quatenus informat illam; tamen

tamen propriè, & ſimpliciter tenet ſe ex parte obiecti; eſt namque ipſummet obiectum in eſſe intelligibili: ac proinde ſicut repræſentat directè obiectum, ita etiam indirectè repræſentat ſeipſam, ſicque per ſeipſam cognoſcitur.

ARTICVLVS. III.

Vtrum intellectus cognoſcat proprium actum.

Concluſio eſt affirmans.

QVæri hic ſolet, an quando intellectus cognoſcit actum proprium, conceptum, ſpeciem, & habitum, formet proprium conceptum, ſeu verbum? Sed huius quæſiti reſolutio patet ex dictis ſupra q.27. art.1. dubio vnico, vbi docuimus in omni intellectione creata, dempta ea, qua Deus clare videtur, conſtituendum eſſe verbum per eam productum. Et quamuis eadem cognitione, qua cognoſcitur res directè, etiam cognoſcatur verbum illius, vt eſt imago in actu exercito; non tamen, vt eſt imago in actu ſignato, ſeu, vt res quædam, & qualitas ſpiritualis. Vnde quando intellectus prædicta cognoſcit, proprium conceptum formare neceſſe eſt; nullum enim illorum eſt præſens intellectui in ratione obiecti, &

ter-

termini. Vide Ferrarienſem 1. Contra gent. cap. 53. & D. Thom. art præc. ad 2.

Circa ſolutionem ſecundi aduerte, non reputari inconueniens à D. Thoma proceſſum in infinitum in actibus reflexis, ait enim: ¶ Alius eſt actus, quo intellectus intelligit lapidem, & alius eſt actus, quo intelligit ſe intelligere lapidem, & ſic deinde. Nec eſt inconueniens in intellectu eſſe infinitum in potentia. ✠ Idem dicendum eſt de conceptibus, ſeu ſpeciebus expreſſis per tales actus productis. De ſpeciebus autem impreſſis, (& idem eſt de habitibus) aliter ſentit Sanctus Doctor: nam q. 10 de verit. art. 9. ad 10. non vult concedere proceſſum in infinitum in illis, ſed ait. ¶ Intellectus cognoſcit ſpeciem intelligibilem non per eſſentiam ſuam, neque per aliquam ſpeciem, ſed cognoſcendo obiectum, cuius eſt ſpecies, per quandam reflexionem. ✠ Vnde ipſamet ſpecies, quæ primò, & immediatè repræſentat obiectum, repræſentat ſeipſam intellectui quantum neceſſe eſt, vt poſſit cognoſci per actum reflexum.

Circa art. 4. nihil ſe offert dicendum.

Quæſt. 88. vide apud D. Thomam.

QVAE-

QVÆSTIO LXXXIX.

De cognitione animæ ſeparatæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima ſeparata aliquid intelligere poſſit.

Concluſio eſt affirmans.

SEcundum fidem certum eſt animam ſeparatam, non ſolum poſſe, ſed etiam de facto aliquid intelligere; ex fide enim conſtat animas beatorum videre Deũ: ex fide etiam conſtat animas ſanctorum ſeparatas orare pro his, qui ſunt in Eccleſia militante, vnde 2. Machabeorum 15. v. 14. dicitur: *Hic eſt, qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei.* Oratio autem actus intellectus eſt. Denique id conuincunt, quæ de animabus Abraham. Lazari, & diuitis epulonis dicuntur Lucæ 16. & de animabus iuſtorum, & iniuſtorum Sap.5. & de animabus interfectorum Apocal.9.v.9.& 10. Nec obſtat quod dicitur Pſalm.145.v.4. *In die illa peribunt omnes cogitationes eorum.* Et Eccleſ.9 v.5. *Mortuus vero nihil nouerunt amplius.* Reſpondetur namque: locum Pſalm.145. non de quibuſcunque cogitationibus intelligendum eſſe, ſed de eis tantum, quibus homines cogitant, & proponunt

nunt aliquid facere in hac vita, qualis erat cogitatio hominis illius diuitis, qui vt dicitur Lucæ 12. v. 17 *Cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam deſtruam horrea mea, & maiora faciam, &c.* Locus verò Eccleſ. 9. aut exponit iudicium carnis, & hominum impiorum negantium Dei prouidentiam, & animæ immortalitatem, vt ſentire videtur D. Hieron. v. 7. eiuſdem capitis explicans, & dicens: *Et hæc, inquit, aliquis loquatur Epicurus, & Ariſtippus, & Cyrenaici, & cæteri pecudes Philoſophorum.* Vel intelligendus eſt de notitia experientali, quæ pendet ex phantaſmatibus, & habetur in corpore beneficio ſenſuum, rerum huius mundi. Verbum enim Hebraicum *Iadangh* eſt etiam experiri, ſentire. De qua etiam notitia, ſcientia, vel cognitione dicitur 1. Corint. 13. v. 8. *Scientia deſtruetur*, ſcilicet, quantum ad modum cognoſcendi per conuerſionem ad phantaſmata.

Dubium. An ratione naturali conſtet animam ſeparatam aliquid poſſe intelligere.

PArs negans probatur: Ratione naturali ſolum conſtat animam poſſe aliquid intelligere conuertendo ſe ad phantaſmata; ſed hic modus intelligendi non poteſt conuenire animæ ſeparatæ; ergo, &c. Maior probatur: nam, vt docet D. Thom. hic; ¶ Modus

dus intelligendi per conuerſionem ad phantaſmata, eſt animę naturalis, ſicut, & corpori vniri; ſed eſſe ſeparatam à corpore eſt præter rationem ſuæ naturæ: & ſimiliter intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, eſt ei præter naturam. ✠ Sed talis intelligendi modus pręter naturam non poteſt ratione naturali conſtare: nam non ex natura animę, cum ſit præter eam, nec ex alio, ex quo enim; ergo, &c.

Dicendum tamen eſt primo: Ratione naturali conſtare animam ſeparatam aliquid poſſe intelligere. Probatur; quia, vt ſupra q. 72. art. 6. dubio vnico con. 2. diximus, ratione naturali conſtat animam rationalem eſſe incorruptibilem, & immortalem, ergo, & poſt hominis mortem remanere ſeparatā à corpore, quod corrumpitur. At non ſine propria operatione, cum omnis res ſit propter ſuam operationem; ergo cum propria operatione, quę eſt intellectio. Confirmatur; nam id cognouit Ariſt. libro enim 12. Metaph. text. 17 lect 3 apud D. Thomam ait: Animam intellectiuam ſimul incipere cum homine cuius eſt forma, nihil tamen prohibere ipſam poſt hominis mortem manere; quia poteſt ſine corporeis organis habere propriam operationem, nempe intellectionem. *Si autem* (inquit) *poſterius aliquid manet, perſcrutandum eſt. In quibuſdam enim nihil prohibet, vt ſi eſt anima talis. Non omnis, ſed intellectus.* Quod explicans D. Tho. ait: ¶ Conſiderandum autem hanc ſententiam eſſe Ariſtotelis de Anima intellectiua,

quod

quod non fuerit ante corpus, vt Plato poſuit; neque etiam deſtruitur, deſtructo corpore, vt antiqui naturales poſuerunt, non diſtinguentes inter intellectum, & ſenſum. ✠

Dicendum eſt 2. Eſſe ſeparatam à corpore, & intelligere ſine conuerſione ad phantaſma quodammodo eſſe contra naturam animæ; non tamen abſolute, ſed quodammodo etiam eſſe illi naturale; abſolutè verò, & ſimpliciter eſſe præter eius naturam, 1. partem docet Ferrar. 2. Contra gent. cap. 83. §. *Ad primam confirmationem*, & probat ex D. Thoma hic dicente, id eodem modo conuenire animæ, quo leui conuenit eſſe extra proprium locum, quod contra naturam eius eſſe conſtat: & infra q. 118. art. 3. ita arguente: *Si enim animæ, naturale eſt corpori vniri, eſſe ſine corpore, eſt ſibi contra naturam:* & 4. Cõtra gentes, cap. 79. ratione 3. eodem prorſus modo argumentante: *Anima, corpori naturaliter vnitur, eſt enim ſecundam eſſentiam corporis forma: eſt igitur contra naturam animæ abſque corpore eſſe.*

Secundam partem docet Caietanus hic §. *Ad euidentiam*. Illam etiam colligo ex Diu. Thom. 1. 2. quæſt. 5. articulo 1. ad ſecundũ dicente: ¶ Homini ſecundum ſtatum præſentis vitæ eſt connaturalis modus cognoſcẽdi veritatem intelligibilem per phantaſmata, ſed poſt huius vitæ ſtatum habet alium modum connaturalem. ✠ Ratione autem ſic probo Anima rationalis eſt ab intrinſeco incorruptibilis, & immortalis, ergo cum ex hoc ſequatur ipſam poſſe à corpore ſeparari,

&

& intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, hoc modo intelligere ,& eſſe à corpore ſeparatam, erit ei quodammodo naturale; nam licèt id non cõueniat ei ſecundnm propriam naturam, qua eſt forma corporis, vt ſic; conuenit tamen quatenus eſt ſuprema inter formas corporis, & attingit, ac participat ſubſtantias ſeparatas: ſicut, & motus circularis, licèt non conueniat igni ſecundum propriam naturam, vt ſic conuenit tamen ei, vt ait Caietanus hic. ¶ Secundum quod participat naturam ſuperiorem cœleſtem ſcilicet, quæ participatio conuenit ei ex eo quod obtinet primatum in ſphera elementari; ſemper enim ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, vt dicitur in 7. cap. de Diu. nom. ✠

Tertiam partem docet D Thom. hic, quia vt ait Caietanus, noluit viam ſectari Auicennę dicentis: ¶ Quod vterque modus eſſendi, & intelligendi eſt naturalis animæ ſucceſſiuè: nam eſſe incorpore, eſt naturale ei in principio: eſſe verò extra, eſt naturale ei in fine, quemadmodum homini ineſt duplex modus viuendi, ſcilicet, in vtero materno in principio, & extra vterum in fine, ſeu poſt principium. ✠ Qui enim hanc viam ſequũtur, abſolutè dicunt, eſſe ſine corpore, & intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata eſſe naturale animæ, quod tamen aſſerendũ non eſt, nam non conuenit ei ſecundum propriam eius naturam, ſed potius oppoſitum. Noluit etiam S. Doctor aſſerere id eſſe

abſolutè contra naturam animę: nam animæ conuenit quatenus, vt forma corporis ſuprema attingit, & participat ſubſtantias ſeparatas, & præterea, quia non poſſet eſſe perpetuum, quod falſum eſſe patet, nam niſi à Deo anima ſeparata reuniretur corpori, perpetuo à corpore ſeparata maneret. Sed dixit eſſe præter naturam animæ, quod (inquit Caietanus) ¶ Eſt communius quid, & ſuperius ad id, quod conuenit alicui contra naturam, & ſupra naturam, & extra naturam, & quomodolibet aliter, quam ſecundũ propriam naturam. ✱ Suddit autem inferius idem Caietanus. ¶ Nec inconuenit, quod huiuſmodi præter, naturale ſit diuturnius, & perpetuum: quoniam non ea ratione dicitur præter naturale, quia exorbitet à natura, quia non eſt contra illam. ✱

Ad argumentum autem factum in principio reſpondetur negando maiorem. Ad probationem neganda eſt minor: ratione enim naturali conſtare poteſt talis modus intelligendi, quamuis ſit præter naturam: nam, vt hic, ait Caietanus ¶ Nec inconuenit tale præter naturale innaſci ex natura ipſius rei, non abſolutè, ſed ſecundum quod participat in ſui ſupremo naturam ſuperiorem. ✱

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum anima ſeparata intelligat ſubſtantias ſeparatas.

Concluſio eſt affirmans.

QVod de Angelo dicit D. Thom. ſuprà q. 56 art. 1. & 2. dicit de anima ſeparata hic, nempè ſe ipſa per ſeipſam intelligere; aliàs vero ſubſtantias ſeparatas ſpecies diuinitus impreſſas, & ex influentia diuini luminis participatas. Quarum ſpecierum artic. præced. ad 3. participem fieri animam ſeparatam dicit S. Doctor, ſicut, & alias ſubſtantias ſeparatas, quamuis inferiori modo. Ex quo prouenit, vt licèt de alijs animabus ſeparatis perfectam cognitionem habeat anima ſeparata; de Angelis tamen imperfectam, & deficientem cognitionem habet, loquendo de cognitione naturali, nam de cognitione gloriæ, alia eſt ratio.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima ſeparata omnia naturalia cognoſcat.

Concluſio eſt affirmans.

DOcet tamen D Thom animam ſeparatam non habere de omnibus naturalibus perfectam cognitionem, qua-

lem habent Angeli, ſed quaſi in communi, & confuſam. Cuius ratio eſt: quia cum anima ſit infima inter intellectuales ſubſtantias, ad perfectam rerum cognitionem exigit ſingulorum obiectorum ſingulas ſpecies intelligibiles. Cum autem ſpecies, quarum fit anima ſeparata particeps, ſint vniuerſales, & plura obiecta repreſentent, per illas non poteſt perfectè omnia intelligere. Cognitio verò, quam hic per ſtudium acquiſiuit, quia eſt per ſpecies dearticulatiſſimas, ſingulorum, ſcilicet, obiectorum ſingulas, propria, & perfecta eſt, vt in ſolutione 4 arg. dicitur. Ex quo colligitur, vt aduertit Caietanus: *Quanta ſolicitudine vacandum ſit ſciendis rebus, quoniam anima noſtra non niſi hic perficitur perfectè.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum anima ſeparata cognoſcat ſingularia.

Concluſio eſt affirmans.

QVæ cum indiffinita propoſitio ſit, non de omnibus, ſed de aliquibus ſingularibus intelligenda eſt. Et ſic intellecta certa eſt ſecundum fidem, vt conſtat ex locis hic art. 1. adductis, præſertim ex illo, quod Lucę 16. v. 28. dixit diuitis epulonis anima, *Habeo enim quinque fratres.* Non tamen cognoſci ab anima ſeparata omnia ſingularia etiam, quæ ſunt præſentia patet. Nam quam-

quamuis Angeli per ſpecies inditas poſſint propter efficaciam ſui intellectus cognoſcere non ſolum naturas rerum in ſpeciali, ſed etiã ſingularia ſub ſpeciebus contenta: ¶ Animę verò ſeparatæ non poſſunt cognoſcere per huiuſmodi ſpecies niſi ſolum ſingularia illa, ad quę quodammodo determinantur, vel per pręcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem habitudinem, vel per diuinam ordinationem. ✠ Ait Diu. Thom. hic, & optimè explicat Caietanus.

Circa ſolutionem primi ſolet eſſe difficultas: an anima ſeparata, non ſolum cognoſcat ſingularia per ſpecies inditas à Deo, ſed etiã per ſpecies, quas hic acquiſiuit, & ſecum detulit? Partem affirmantem quidam tenent. Sed negantem docet D. Thom. hic, & q. de anima art. 20 ad 1. & 6. & de verit. q 19. art. 2. in corp. & ad 1. vbi ſic ait: *Anima ſeparata non cognoſcit ſingularia per ſpecies à corpore acquiſitas, ſed per ſpecies ſibi inditas in ſeparatione.* Species enim in corpore acquiſitæ dependent in repræſentatione ſingularium à phantaſmatibus, a quibus ſunt abſtractæ, quæ cum non habeat anima ſeparata, non poteſt per tales ſpecies cognoſcere.

Si dicas: Anima ſeparata recordatur illorum ſingularium, quæ in corpore geſſit, iuxta illud Lucæ 16. v. 15. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Sed hæc recordatio non fit niſi per ſpecies, quas anima ſeparata ſecum detulit: per alias enim non eſt recordatio, ſed noua cognitio; ergo per illas ſpecies cognoſcit ſingularia. Reſpondetur negando

minorem; recordatur enim anima ſeparata ſingularium preteritorum per ſpecies inditas à Deo: nam quamuis cognitio per tales ſpecies ſit noua recordatio tamen dicitur ratione præcedentis cognitionis, quam habuit anima dum erat in corpore, quę licèt non manſerit actu, remanſit tamen in ſuo effectu, vt diſpoſitio, & præparatio ad cognoſcenda illa ſingularia, de quo vide Caietanum hic. Vide etiam illum circa art. 5.

ARTICVLVS VI.

Vtrum actus ſcientiæ hic acquiſitæ maneat in anima ſeparata.

Concluſio eſt affirmans.

DOcet tamen D. Thom. Actum ſcientiæ hic acquiſitæ non manere ſecundum eundem modum; quamuis enim ſecundum ſpecies intelligibiles hic acquiſitas, anima ſeparata intelligere poſſit, quę prius intellexit; non tamen eodem modo, ſcilicet, per conuerſionem ad phantáſmata, ſed per modum conuenientem animæ ſeparatæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrum diſtantia localis impediat cognitionem animæ ſeparatæ.

Concluſio eſt negans.

QVę intelligenda eſt non ſolum de cognitione rerum in vniuerſali: nam hanc neque impedit diſtantia localis animæ vnitę corpori, cum conſtet nos cognoſcere quidditatem rei, quæ maximè diſtat, imo, &c, quę non extat, ſed etiam de cognitione rerum ſingularium, etiam intuitiua. Cum enim anima ſeparata intelligat ſingularia per influxum ſpecierum ex diuino lumine, quod æqualiter ſe habet ad propinquum, & diſtans, diſtantia localis nullo modo impedit cognitionem intuitiuam animæ ſeparatę.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum animæ ſeparatæ cognoſcant ea, quæ hic aguntur.

Concluſio eſt negans.

EStque in ea ſermo de cognitione naturali colligitur ex illo Iob 14.21. *Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles intelliget.* Quod expligans D Greg. lib. 12. Moral.

 cap. 14.

QVÆSTIO LXXXX.

De prima hominis productione quantum ad animam.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima ſit facta, vel ſit de ſubſtantia Dei.

Conclusio eſt: *Dicere animam eſſe de ſubſtantia Dei manifeſtam improbabilitatem continet*. Hoc inferius errorem appellat. D.Chryſoſt. hom. 13 in Gen. hoc relato errore exclamat: *O inſaniam. O delirium*. D.Aug. lib. 1 de anima, & eius origine, c 4. ait, id à Corde Catholico ſecludendum, longeque fugiendum eſſe, & lib. 7. de Gen. ad litt, cap. 2. inquit eſſe ſacrilegam opinionem, & ſubdit: ¶ Credendum eſt, quod recta fides habet animam ſic eſſe à Deo tanquam rem, quam fecerit, non tanquam de natura, cuius eſt ipſe ✠ Vide, quæ diximus ſupra queſt. 3. artic. 8.

ARTICVLVS II.

Vtrum anima ſit producta in eſſe per creationem.

Concluſio eſt affirmans.

Oppoſitum erroneum cenſeo; animam enim per generationem produci, fuit error Appolinaris, quem confutant D. Thom.

Thom.2, Contra gentes, cap.86.& D.[s] Greg. Nyſſenus lib.2. Philoſophiæ cap:6 D.Hieron. etiam in Epiſt.ad Pamachium docet animas non ex traduci, neque per generatiouem eſſe; ſed quotidiè fabricari, & fieri, & ſubdit: ¶ Quod Eccleſiaſticum eſt ſecundum eloquia Saluatoris: Patet vſque modo operatur, & ego operor. Et illud Iſaiæ: Qui format ſpiritum hominis in ipſo. Et in Pſalmis: Qui finxit per ſingulos corda eorum. †

Circa art 3.& 4: nihil ſe offert Dicendum.

QVÆSTIO XCI.

De productione corporis primi hominis.

ARTICVLVS I.

Vtrum corpus primi hominis ſit de limo terræ.

Concluſio eſt affirmans.

PAtet ex illo Gen.2. v.7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Hebraicum nomen *Ghaphar* propriè puluerem ſignificat. Sed, quia hunc puluerem oportuit, aqua miſceri, ſubigi, vt aptus eſſet efformationi, aptè noſter interpres dixit limum, de quo vide D. Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei, cap. 22. Terram autem, ex qua homo formatus eſt, rubram fuiſſe indicat Hebraicum

nunt aliquid facere in hac vita, qualis erat cogitatio hominis illius diuitis, qui vt dicitur Lucæ 12. v. 17. *Cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam deſtruam horrea mea, & maiora faciam, &c.* Locus verò Eccleſ. 9. aut exponit iudicium carnis, & hominum impiorum negantium Dei prouidentiam, & animæ immortalitatem, vt ſentire videtur D. Hieron. v. 7. eiuſdem capitis explicans, & dicens: *Et hæc, inquit, aliquis loquatur* Epicurus, *& Ariſtippus, & Cyrenaici, & cæteri pecudes Philoſophorum.* Vel intelligendus eſt de notitia experientali, quæ pendet ex phantaſmatibus, & habetur in corpore beneficio ſenſuum, rerum huius mundi. Verbum enim Hebraicum *Iadangh* eſt etiam experiri, ſentire. De qua etiam notitia, ſcientia, vel cognitione dicitur 1. Corint. 13. v. 8. *Scientia deſtruetur*, ſcilicet, quantum ad modum cognoſcendi per conuerſionem ad phantaſmata.

Dubium. An ratione naturali conſtet animam ſeparatam aliquid poſſe intelligere.

PArs negans probatur: Ratione naturali ſolum conſtat animam poſſe aliquid intelligere conuertendo ſe ad phantaſmata; ſed hic modus intelligendi non poteſt conuenire animæ ſeparatæ; ergo, &c. Maior probatur: nam, vt docet D. Thom. hic; ¶ Modus

dus intelligendi per conuerſionem ad phantaſmata, eſt animę naturalis, ſicut, & corpori vniri; ſed eſſe ſeparatam à corpore eſt præter rationem ſuæ naturæ: & ſimiliter intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, eſt ei præter naturam. ✠ Sed talis intelligendi modus prę̨ter naturam non poteſt ratione naturali conſtare: nam non ex natura animę, cum ſit præter eam, nec ex alio, ex quo enim; ergo, &c.

Dicendum tamen eſt primo: Ratione naturali conſtare animam ſeparatam aliquid poſſe intelligere. Probatur: quia, vt ſupra q. 72. art. 6. dubio vnico con. 2. diximus, ratione naturali conſtat animam rationalem eſſe incorruptibilem, & immortalem, ergo, & poſt hominis mortem remanere ſeparatã à corpore, quod corrumpitur. At non ſine propria operatione, cum omnis res ſit propter ſuam operationem; ergo cum propria operatione, quę eſt intellectio. Confirmatur; nam id cognouit Ariſt. libro enim 12. Metaph. text. 17 lect 3 apud D. Thomam ait: Animam intellectiuam ſimul incipere cum homine cuius eſt forma, nihil tamen prohibere ipſam poſt hominis mortem manere; quia poteſt ſine corporeis organis habere propriam operationem, nempe intellectionem. *Si autem* (inquit) *poſterius aliquid manet, perſcrutandum eſt. In quibuſdam enim nihil prohibet, vt ſi eſt anima talis. Non omnis, ſed intellectus.* Quod explicans D. Tho. ait: ¶ Conſiderandum autem hanc ſententiam eſſe Ariſtotelis de Anima intellectiua,

quod

quod non fuerit ante corpus, vt Plato poſuit, neque etiam deſtruitur, deſtructo corpore, vt antiqui naturales poſuerunt, non diſtinguentes inter intellectum, & ſenſum. ✠

Dicendum eſt 2. Eſſe ſeparatam à corpore, & intelligere ſine conuerſione ad phantaſma quodammodo eſſe contra naturam animæ; non tamen abſolutè, ſed quodammodo etiam eſſe illi naturale; abſolutè verò, & ſimpliciter eſſe præter eius naturam, 1. partem docet Ferrar. 2. Contra gent. cap. 83. §. *Ad primam confirmationem*, & probat ex D. Thoma hic dicente, id eodem modo conuenire animæ, quo leui conuenit eſſe extra proprium locum, quod contra naturam eius eſſe conſtat: & infra q. 118. art. 3. ita arguente: *Si enim animæ, naturale eſt corpori vniri, eſſe ſine corpore, eſt ſibi contra naturam*: & 4. Cōtra gentes, cap. 79. ratione 3. eodem prorſus modo argumentante: *Anima, corpori naturaliter vnitur, eſt enim ſecundam eſſentiam corporis forma: eſt igitur contra naturam animæ abſque corpore eſſe*.

Secundam partem docet Caietanus hic §. *Ad euidentiam*. Illam etiam colligo ex Diu. Thom. 1. 2. quæſt. 5. articulo 1. ad ſecundū dicente: ¶ Homini ſecundum ſtatum præſentis vitæ eſt connaturalis modus cognoſcēdi veritatem intelligibilem per phantaſmata, ſed poſt huius vitæ ſtatum habet alium modum connaturalem. ✠ Ratione autem ſic probo Anima rationalis eſt ab intrinſeco incorruptibilis, & immortalis, ergo cum ex hoc ſequatur ipſam poſſe à corpore ſeparari,

&

& intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, hoc modo intelligere, & eſſe à corpore ſeparatam, erit ei quodammodo naturale: nam licèt id non cõueniat ei ſecundum propriam naturam, qua eſt forma corporis, vt ſic; conuenit tamen quatenus eſt ſuprema inter formas corporis, & attingit, ac participat ſubſtantias ſeparatas: ſicut, & motus circularis, licèt non conueniat igni ſecundum propriam naturam, vt ſic conuenit tamen ei, vt ait Caietanus hic. ¶ Secundum quod participat naturam ſuperiorem cœlěſtem, ſcilicet, quæ participatio conuenit ei ex eo, quod obtinet primatum in ſphęra elementari; ſemper enim ſupremum infimi attingit, infimum ſupremi, vt dicitur in 7. cap. de Diu. nom. ✠

Tertiam partem docet D Thom. hic, qui, vt ait Caietanus, noluit viam ſectari Auicenę dicentis: ¶ Quod vterque modus eſſendi, & intelligendi eſt naturalis animæ ſucceſſiuè: nam eſſe in corpore, eſt naturale ei in principio: eſſe verò extra, eſt naturale ei in fine, quemadmodum homini ineſt duplex modus viuendi, ſcilicet, in vtero materno in principio, & extra vterum in fine, ſeu poſt principium. ✠ Qui enim hanc viam ſequũtur, abſolutè dicunt, eſſe ſine corpore, & intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata eſſe naturale animæ, quod tamen aſſerendũ non eſt, nam non conuenit ei ſecundum propriam eius naturam, ſed potius oppoſitum. Noluit etiam S. Doctor aſſerere id eſſe

ab-

abſolutè contra naturam animę: nam animæ conuenit quatenus, vt forma corporis ſuprema attingit, & participat ſubſtantias ſeparatas, & præterea, quia non poſſet eſſe perpetuum, quod falſum eſſe patet, nam niſi à Deo anima ſeparata reuniretur corpori, perpetuo à corpore ſeparata maneret. Sed dixit eſſe præter naturam animæ, quod (inquit Caietanus) ¶ Eſt communius quid, & ſuperius ad id, quod conuenit alicui contra naturam, & ſupra naturam, & extra naturam, & quomodolibet aliter, quam ſecundũ propriam naturam. ✱ Suddit autem inferius idem Caietanus. ¶ Nec inconuenit, quod huiuſmodi præter, naturale ſit diuturnius, & perpetuum: quoniam non ea ratione dicitur præter naturale, quia exorbitet à natura, quia non eſt contra illam. ✱

Ad argumentum autem factum in principio reſpondetur negando maiorem. Ad probationem neganda eſt minor: ratione enim naturali conſtare poteſt talis modus intelligendi, quamuis ſit præter naturam: nam, vt hic, ait Caietanus ¶ Nec inconuenit tale præter naturale innaſci ex natura ipſius rei, non abſolutè, ſed ſecundum quod participat in ſui ſupremo naturam ſuperiorem. ✱

A R-

ARTICVLVS II.

Vtrum anima ſeparata intelligat ſubſtantias ſeparatas.

Concluſio eſt affirmans.

QVod de Angelo dicit D.Thom. ſuprà q.56 art.1. & 2. dicit de anima ſeparata hic, nempè ſe ipſa per ſeipſam intelligere; aliàs vero ſubſtantias ſeparatas ſpecies diuinitus impreſſas, & ex influentia diuini luminis participatas. Quarum ſpecierum artic. præced. ad 3. participem fieri animam ſeparatam dicit S.Doctor, ſicut, & alias ſubſtantias ſeparatas, quamuis inferiori modo. Ex quo prouenit, vt licèt de alijs animabus ſeparatis perfectam cognitionem habeat anima ſeparata; de Angelis tamen imperfectam, & deficientem cognitionem habet, loquendo de cognitione naturali, nam de cognitione gloriæ, alia eſt ratio.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima ſeparata omnia naturalia cognoſcat.

Concluſio eſt affirmans.

DOcet tamen D Thom animam ſeparatam non habere de omnibus naturalibus perfectam cognitionem, qua-

lem habent Angeli, ſed quaſi in communi, & confuſam. Cuius ratio eſt: quia cum anima ſit infima inter intellectuales ſubſtantias, ad perfectam rerum cognitionem exigit ſingulorum obiectorum ſingulas ſpecies intelligibiles. Cum autem ſpecies, quarum fit anima ſeparata particeps, ſint vniuerſales, & plura obiecta repræſentent, per illas non poteſt perfecte omnia intelligere. Cognitio verò, quam hic per ſtudium acquiſiuit, quia eſt per ſpecies dearticulatiſſimas, ſingulorum, ſcilicet, obiectorum ſingulas, propria, & perfecta eſt, vt in ſolutione 4. arg. dicitur. Ex quo colligitur, vt aduertit Caietanus: *Quanta ſolicitudine vacandum ſit ſciendis rebus, quoniam anima noſtra non niſi hic perficitur perfectè.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum anima ſeparata cognoſcat ſingularia.

Concluſio eſt affirmans.

QVæ cum indiffinita propoſitio ſit, non de omnibus, ſed de aliquibus ſingularibus intelligenda eſt. Et ſic intellecta certa eſt ſecundum fidem, vt conſtat ex locis hîc art. 1. adductis, præſertim ex illo, quod Lucæ 16. v. 28. dixit diuitis epulonis anima, *Habeo enim quinque fratres.* Non tamen cognoſci ab anima ſeparata omnia ſingularia etiam, quæ ſunt præſentia patet. Nam quam-

quamuis Angeli per ſpecies inditas poſſint propter efficaciam ſui intellectus cognoſcere non ſolum naturas rerum in ſpeciali, ſed etiã ſingularia ſub ſpeciebus contenta: ¶ Animę verò ſeparatæ non poſſunt cognoſcere per huiuſmodi ſpecies niſi ſolum ſingularia illa, ad quę quodammodo determinantur, vel per precedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem habitudinem, vel per diuinam ordinationem. ✠ Ait Diu. Thom. hic, & optimè explicat Caietanus.

Circa ſolutionem primi ſolet eſſe difficultas: an anima ſeparata, non ſolum cognoſcat ſingularia per ſpecies inditas à Deo, ſed etiã per ſpecies, quas hic acquiſiuit, & ſecum detulit? Partem affirmantem quidam tenent. Sed negantem docet D. Thom. hic, & q. de anima art. 20 ad 1. & 6. & de verit. q 19. art. 2. in corp. & ad 1. vbi ſic ait: *Anima ſeparata non cognoſcit ſingularia per ſpecies à corpore acquiſitas, ſed per ſpecies ſibi inditas in ſeparatione.* Species enim in corpore acquiſitæ dependent in repræſentatione ſingularium à phantaſmatibus, a quibus ſunt abſtractæ, quæ cum non habeat anima ſeparata, non poteſt per tales ſpecies cognoſcere.

Si dicas: Anima ſeparata recordatur illorum ſingularium, quæ in corpore geſſit, iuxta illud Lucæ 16. v. 15. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Sed hæc recordatio non fit niſi per ſpecies, quas anima ſeparata ſecum detulit: per alias enim non eſt recordatio, ſed noua cognitio; ergo per illas ſpecies cognoſcit ſingularia. Reſpondetur negando

minorem; recordatur enim anima ſeparata ſingularium preteritorum per ſpecies inditas à Deo: nam quamuis cognitio per tales ſpecies ſit noua recordatio tamen dicitur ratione præcedentis cognitionis, quam habuit anima dum erat in corpore, quę licèt non manſerit actu, remanſit tamen in ſuo effectu, vt diſpoſitio, & præparatio ad cognoſcenda illa ſingularia, de quo vide Caietanum hic. Vide etiam illum circa art. 5.

ARTICVLVS VI.

Vtrum actus ſcientiæ hic acquiſitæ maneat in anima ſeparata.

Concluſio eſt affirmans.

DOcet tamen D. Thom. Actum ſcientiæ hic acquiſitæ non manere ſecundum eundem modum; quamuis enim ſecundum ſpecies intelligibiles hic acquiſitas, anima ſeparata intelligere poſſit; quę prius intellexit; non tamen eodem modo, ſcilicet, per conuerſionem ad phantáſmata, ſed per modum conuenientem animæ ſeparatæ.

AR-

ARTICVLVS VII.

Vtrum diſtantia localis impediat cognitionem animæ ſeparatæ.

Concluſio eſt negans.

QVę intelligenda eſt non ſolum de cognitione rerum in vniuerſali: nam hanc neque impedit diſtantia localis animæ vnitę corpori, cum conſtet nos cognoſcere quidditatem rei, quæ maximè diſtat, imo, &, quę non extat, ſed etiam de cognitione rerum ſingularium, etiam intuitiua. Cum enim anima ſeparata intelligat ſingularia per influxum ſpecierum ex diuino lumine, quod æqualiter ſe habet ad propinquum, & diſtans, diſtantia localis nullo modo impedit cognitionem intuitiuam animæ ſeparatę.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum animæ ſeparatæ cognoſcant ea, quæ hic aguntur.

Concluſio eſt negans.

ESt que in ea ſermo de cognitione naturali colligitur ex illo Iob 14.21. *Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles intelliget.* Quod expligans D Greg. lib. 12. Moral.

 cap. 14.

cap.14.ait ¶ Mortui vitam in carne viuentiũ poſt eos qualiter diſponatur neſciunt: quia, & vita ſpiritus longe eſt à vita carnis: & ſicut corporea, atque incorporea diuerſa ſunt genera, ita etiam diſtincta cognitione. ✠ Idem etiam docet D Aug. lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 13. & ſeq. Ex quibus ſolutiones argumentorum huius articuli ſumptæ ſunt. Et hæc eſt communis doctrina Sanctorum, & Theologorum. Cuius duplex ratio aſſignari poteſt. Prima: quia ſi animę ſeparatæ naturaliter cognoſcerent, quæ hic aguntur naturaliter triſtarentur de aduerſis caſibus ſuorum: ſed hoc eſt falſum; ergo. Secunda: quia, vt dictum eſt art. 4. anima ſeparata non cognoſcit ſingularia niſi, ad quæ quodã modo eſt determinata, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per ordinationem diuinam: ſed animæ mortuorum ſecundum ordinationem diuinã, & ſecundum modum eſſendi ſegregatę ſunt à conuerſatione viuentium, vt conſtat ex verbis D Greg. adductis; ergo quæ apud nos aguntur ignorant. Niſi forte ea cognoſcant; vt cum D. Aug. docet D Tho. hic ad 1. ¶ Vel per animas eorum, qui hinc ad eos accedunt; vel per Angelos, ſeu dæmones, vel etiam ſpiritu Dei reuelante. ✠

De animabus beatorum (inquit D. Tho. videtur eſſe differentia inter D Greg. & D. Aug. nam D Greg. vbi ſupra ſubdit: ¶ Quod tamen de animabus ſanctis ſentiendum non eſt: quia, quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt

quia

quia foris ſit aliquid quod ignorent. †. Diuo Aug. verò vbi ſupra dicit: mortuos etiam Sanctos neſcire, quid agant viui, & filij eorum. Sed quia D. Aug. vel loquitur de cognitione naturali animarum ſanctarum, vt illũ exponit D. Thom. q. 9. de verit. art. 6 ad 5 & in 4. d. 45. q 3. art. 1. ad 2. Vel ſi loquitur de cognitione beatifica, non aſſerendo, ſed dubitando illud dicit, vt hic oſtendit D Thom. ideo, ait, . Doctor: ¶ Magis videtur ſecundum ſententiam Gregorii, quod animę ſanctorum Deum videntes omnia præſentia, quę hic aguntur, cognoſcant. ✠ Quod intelligendum eſſe, inquit, Caietanus, non de quibuſcunque præſentibus: nam non cognoſcunt omnia, quę ex ſula voluntate libera, tam Dei, quam hominum dependent; ſed de præſentibus quę pertinent ad naturalẽ ordinem vniuerſi. Vnde D. Thom. 3 Contra gentes, cap. 59 ratione 3. ait: ¶ Si per omnia, illa intelligantur, quæ ad vniuerſi perfectionem pertinent, manifeſtum eſt ex dictis, quod videntes diuinam ſubſtantiam omnia videant. ✠ De alijs, quæ videant diximus ſupra q. 12. art. 8. dub 5.

QVÆSTIO LXXXX.

De prima hominis productione quantum ad animam.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima ſit facta, vel ſit de ſubſtantia Dei.

COncluſio eſt: *Dicere animam eſſe de ſubſtantia Dei manifeſtam improbabilitatem continet.* Hoc inferius errorem appellat. D. Chryſoſt. hom. 13. in Gen. hoc relato errore exclamat: *O inſaniam. O delirium.* D. Aug. lib. 1 de anima, & eius origine, c 4. ait, id à Corde Catholico ſecludendum, longeque fugiendum eſſe, & lib. 7. de Gen. ad litt, cap. 2, inquit eſſe ſacrilegam opinionem, & ſubdit: ¶ Credendum eſt, quod, recta fides habet, animam ſic eſſe à Deo tanquam rem, quam fecerit, non tanquam de natura, cuius eſt ipſe ✠ Vide, quæ diximus ſupra queſt, 3. artic. 8.

ARTICVLVS II.

Vtrum anima ſit producta in eſſe per creationem.

Concluſio eſt affirmans.

OPpoſitum erroneum cenſeo; animam enim per generationem produci; fuit error Appolinaris, quem confutant D. Thom.

Thom.2, Contra gentes, cap.86.& D.[s] Greg. Nyſſenus lib.2. Philoſophiæ cap:6 D.Hieron. etiam in Epiſt.ad Pamachium docet animas non ex traduci, neque per generatiouem eſſe; ſed quotidiè fabricari, & fieri, & ſubdit: ¶ Quod Eccleſiaſticum eſt ſecundum' ela, quia Saluatoris: Patet vſque modo operatur, & ego operor. Et illud Iſaiæ: Qui format ſpiritum hominis in ipſo. Et in Pſalmis: Qui finxit per ſingulos corda eorum. †

Circa art 3.& 4: nihil ſe offert Dicendum.

QVÆSTIO XCI.

De productione corporis primi hominis.

ARTICVLVS I.

Vtrum corpus primi hominis ſit de limo terræ.

Concluſio eſt affirmans.

Patet ex illo Gen.2. v.7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Hebraicum nomen *Ghaphar* propriè puluerem ſignificat. Sed, quia hunc puluerem oportuit, aqua miſceri, ſubigi, vt aptus eſſet efformationi, aptè noſter interpres dixit limum, de quo vide D. Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei, cap. 22. Terram autem, ex qua homo formatus eſt, rubram fuiſſe indicat Hebrai-

cum nomen *Adamah*, vnde homo Adam dictus eſt. Theodoretus q. 36. in Numeros ait: *Nomen Adæ terram rubram ſignificat, ex qua corpus ipſius formatum eſt*. Et Ioſephus lib. 1. Antiquitatum cap. 1. inquit: *Homo vocatus eſt Adamus. Significat autem hoc Hebræorum lingua rufum, quandoquidem, e rufa humo fermentata eſt factus. Talis enim eſt intacta terra, & vera.*

Exiſtimant autem plerique veterum Patrum, Adam formatum fuiſſe de terra ſumpta ex quatuor mundi partibus, nempe Oriente, Occidente, Meridie, ſeptentrione, indeque nomen Adam nactum, quod ſingulæ huius vocabuli litteræ inchoēt ſingulas quatuor illas mundi precipuas partes Græce nūcupatas, ſcilicet, Anatole, Diſis, Arctos, Meſembria. De quo inter alios vide Diuum Cyprianum Tractatu de montibus Sina, & Sion, vel ſi quis eſt alius eius operis Auctor, & D. Aug. Tract. 9. 10 in Ioan.

Circa articulum ſecundum, & tertium, & quartum nihil ſe offert dicendum.

QVAESTIO XCII.

De productione mulieris.

Circa Articulum primum, & ſecundum vide D. Thom. & Caiet.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum mulier debuerit formari de coſta viri.

Concluſio eſt affirmans.

HAnc adeò certam exiſtimauit D. Tho. in 2. diſt. 18. quæſt. 1. artic 2. vt dixerit: *Apud Catholicos dubium eſſe non debet, quin mulier de coſta viri formata fuerit, quamuis Iudæi de hoc multa fabulentur.* Et meritò, nam illud Geneſ. 2. verſ. 22. *Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Communiter Sancti Patres explicant in ſenſu proprio, ſicque intelliguntur ab Innocentio III. in cap. *Gaudemus*, extra de Diuortijs, & à Conc. Viennen. vt refertur in Clementina vnica de ſumm. Trinit. Et à Sexta Synodo Conſtantinopolitana, Actione 11. vbi, & damnatur, *In carne Adam formatum fuiſſe nolentes, ex eo Heuam formatam fuiſſe vituperantes.*

Nonnulli exiſtimant Heuam formatam fuiſſe non de vna ſolum, ſed de duabus coſtis Adæ, ſicque exponunt illud Gen 2. verſ. 21. *Tulit vnam de coſtis eius*, ideſt ab vtroque latere ſuam, quaſi duas acceperit, vnam ex dextero, aliam ex ſiniſtro latere, eaſque compegerit. Quod inde confirmant, nè homo plures coſtas in vno quam in altero latere haberet, & quia homo ſtatim, ait, v. 23. *Os ex oſſibus meis*, plura ergo oſſa, ſeu coſtæ,

ſcilicet, duę euulſæ ſunt Adamo. Sed communis Patrum, & Expoſitorum ſententia eſt vnam tantum coſtam cum carne ex vno latere fuiſſe abſtractam. Vnde Innocentius III. in cap. *Gaudemus*, extra de Diuortijs ait; *Cum ab initio vna coſta in vnam fœminam ſit conuerſa*. Illud verò *Os ex oſſibus meus*, ſolum ſignificat Heuam factam fuiſſe ex vno oſſium Adę. Non eſt etiam inconueniens hominem quando primo conditus eſt plures coſtas habuiſſe in vno latere, quam in alio: nam, vt hic ad 2. docet D. Thomas. ¶ Coſta illa fuit de perfectione Adæ: non prout erat indiuiduum quoddam, ſed prout erat principium ſpeciei, ſicut ſemen eſt de perfectione generantis. ✠ Vnde ſicut homo, nec eſt monſtrum, dum habet ſemen, nec eſt mancus, poſt ſemen emiſſum: ita nec Adam ante formationem Heuæ ex eius coſta fuit monſtrum, nec poſt eius formationem manſit mancus.

Circa ſolutionem primi aduerte Magiſtrũ in 2. d. 18. & Hugonem de Sancto Victore, lib. 1 de Sacramentis, parte 6. cap 36. eius fuiſſe opinionis, quæ dicit, de coſta viri ſine adiectione rei extrinſecæ formarum, fuiſſe corpus mulieris. Probat Magiſter. ¶ Si ad perficiendum corpus mulieris Deus extrinſecum augmentum addidiſſet, maius illud, eſſet, quam ipſa coſta, ideoque potiùs de illo addito, quam de ipſa coſta mulier facta deberet dici, de quo plures accepiſſet ſubſtantiæ partes. ✠

Hanc ſententiam impugnat D. Thom. hic

ad

ad 1.& in 2.d. 18. q.1.art.2. nam ſequeretur corpus mulieris ex coſta viri per modum rarefactionis fuiſſe formatum: ſed hoc eſt falſum ;ergo,&c. Minor patet ; non enim inuenitur corpus mulieris rarius,quam viri,ad minus in ea proportione, quam habet coſta ad corpus Heuæ. Maior probatur: Coſta viri fuit multo minor, quam corpus mulieris: ſed ex minori non poteſt fieri maius niſi, vel per additionem, vel per rarefactionem; ergo ſi abſque additione rei alterius fuit de coſta viri formatum corpus mulieris, ex ea per rarefactionem maiori effecta formatum eſt corpus mulieris. Quomodo autem facta fuerit additio nouæ materię,explicat D Tho. dicens factam fuiſſe,vel per creationé,vel per conuertioné materiæ præexiſtentis in coſtã.

Ad argumentum autem Magiſtri reſpondet D.Thom.in 2. d.18.q.1. art.1. ad 2.

¶ Quod per additionem rei exterioris ex coſta corpus mulieris factum eſt, nec tamé oportet, quod ex illo adiecto corpus mulieris factum dicatur, & ſi ſit amplius in quantitate, quia illud adiectum non venit in materiam mulieris, niſi mediante coſta. ✠ Ita ſcilicet, vt materia ſuperaddita primo conuerſa fuerit in coſtam, & deinde ex tota ipſa coſta per additionem nouæ materiæ maiori facta, formata fuerit Heua. Vel reſpondetur 2. Coſtam illam, licèt minor fuerit ſecũdum quantitatem, fuiſſe tamen fundamentum, & principium ædificationis mulieris, ſicque potius dici mulierem productam ex coſta, quam ex materia ſuperaddita: ſicut,

&

& arbor dicitur fieri ex ſemine potiùs quam ex materia nutrimenti, quę poſtea ſuperadditur, quamuis hæc materia ſeminis excedat.

Circa articulum quartum nihil ſe offert dicendum.

QVAESTIO XCIII.

De fine, ſiue termino productionis hominis.

ARTICVLVS I.

Vtrum imago Dei ſit in homine.

Concluſio eſt affirmans.

DOcet tamen D.Thom. imaginem Dei, quæ eſt in homine non eſſe perfectã, ſed imperfectam. *Et hoc ſignificat Scriptura cum dicit hominem factum ad imaginem Dei. Propoſitio enim, ad, acceſſum quendam ſignificat, qui competit rei diſtanti.* Hoc modo explicata concluſio certa eſt ſecundũ fidem, & patet ex Gen.1, ver.26.& 27. Sap.2. verſ 22.& 1.Cor.11.v 7.

Circa articulum ſecundum, tertium, quartum, quintum ſextum, ſeptimum, octauũ, & nonum. Vide Caietanum.

QVAE-

QVÆSTIO XCIV.

De ſtatu, & conditione primi hominis quantum ad intellectum.

ARTICVLVS I.

Vtrum primus homo per eſſentiam Deum viderit.

Concluſio eſt negans.

Quam intelligendam eſſe vult D. Tho. ſecundum communem ſtatum illius vitæ. An verò in raptu, quando Deus immiſit ſoporem in Adam, viderit diuinam Eſſentiam, ſub dubio relinquit. Q. 18. de veritat. art 1. ad 13. illam vidiſſe nullum reputat inconueniens, ſicut, & de Moyſe, & de Paulo dicitur.

Quod verò dicit S Doctor cognitionem primi hominis mediam fuiſſe inter cognitionem præſentis ſtatus, & cognitionem patrię, explicat: quia, ſcilicet, per effectus intelligibiles Dei, Deum clarius cognoſcebat, quam modo cognoſcamus: Nunquam tamen dixit cognouiſſe Dei Eſſentiam, vt in ſe eſt, aut myſteria fidei notitia abſtractiua euidenti; quin potius 2.2 q.5 artic 1. docet primum hominem habuiſſe fidem de myſteriis gratię. Quod verò ibidem ſubdit: ¶ Ange-

gelus ante confirmationem & homo ante peccatum quædam de diuinis myſterijs manifeſta cognitione cognouerunt, quæ nunc non poſſumus cognoſcere niſi credendo. ✠ Intelligendum eſt de his, quæ per accidens pertinent ad fidem, & poſſunt haberi per ſcientiam, vt colligitur ex ipſo contextu. Vnde illud, *Non poſſumus*, ſolum indicat moralem impoſſibilitatem ſimilem ei, qua dicimus ruſticum non poſſe cognoſcere Deum eſſe, niſi credendo.

ARTICVLVS II.

Vtrum Adam in ſtatu Innocentiæ Angelos per eſſentiam videri.

Concluſio eſt negans.

Ratio eſt, quia intelligebat per conuerſionem ad phantaſmata, cum eius anima eſſet corpori perficiendo, & gubernando accommoda ſicut, & nunc; ergo non poterat Angelos Adam per eſſentiam videre, cognitio enim, quæ fit per conuerſionem ad phantaſmata, non terminatur immediatè ad eſſentiam rei ſpiritualis, ſed ad quidditatem rei materialis abſtractam à phantaſmatibus. Neque obſtat, quod art. ſeq. ad 1. ait D. Thom. *Primus homo habuit ſcientiam omnium per ſpecies à Deo infuſas*. Nam ſpecies illæ eiuſdem ſpeciei erant cum acquiſitis, & ſolum erant infuſę per accidens: vnde

vnde licèt in acquiſitione ſcientiæ non indiguerit primus homo phantaſmatibus; in vſu tamen illius conuerſione ad phantaſmata vti debuit, vt docet D. Thomas in 2.d.23. art 2 ad 3. Nec per conuerſionem huiuſmodi ad phantaſmata impediebatur primus homo à contemplatione intelligibilium effectuum, de qua articulo præcedenti eſt ſermo: nam hanc ſolum impedit diſtractio à ſenſibus, & circa ea occupatio, qua primus homo carebat; hæc enim erat eius rectitudo, *vt inferiora ſuperioribus ſubderentur, & ſuperiora ab inferioribus non impedirentur*, vt art. præced. dicitur.

ARTICVLVS III.

Vtrum primus homo habuerit ſcientiam omnium.

Concluſio eſt affirmans.

Limitat eam D. Thom. ad omnia, quę naturaliter homines cognoſcere poſſunt. Quod adhuc quidam limitant, ad omnia pertinentia ad perfectionem illius ſtatus, non enim (inquiunt) opus erat illum ſcire concluſiones omnes Geometriæ, vel Arithmeticę. Sed falluntur: loquitur enim D. Thomas de omnibus *in quibus homo natus eſt inſerui*, quales eſſe conſtat prędictas cõcluſiones. Vide q.18.de verit.art 4.ait Sanctus Doct. *Quicquid vnquam homo aliquis de cogni-*

cognitione eorum naturali ingenio aſſequi potuit, hoc totum Adam naturali cognitioni habitualiter ſeruit. Propter quod ſapientiſſimum omnium hominum, Chriſto ſolo excepto, fuiſſe exiſtimo. Cui non aduerſatur, quod Salomoni Dominus dixit 3. Regum. 3. v. 12. *Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Nam, vt exponit Lyra. ¶ Hoc intelligendum eſt reſpectu Regum, qui fuerunt ante eum, & poſt. De alijs autem hominibus plures fuerunt ſapientiores: ſicut Adam, qui fuit creatus in plenitudine ſcientiæ. ✠ Vnde Salomon ipſe Eccleſiaſt. 1. verſ. 16. ſolum ait: *Præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Ieruſalem.* Circa artic 4. Vide Caietanum.

QVÆSTIO XCV.

De his, quæ pertinent ad voluntatem primi hominis, gratia, ſcilicet, et iuſtitia.

ARTICVLVS I.

Vtrum primus homo fuerit creatus in gratia.

Concluſio eſt affirmans.

Qvamuis hæc concluſio non ſit certa ſecundum fidem, cum eius oppoſitum multi

multi graues Doctores cenſerint cum Magiſtro in 2. d. 24. fidei tamen, ſcripturæ ſacrę, & Sanctorum Patrum doctrinę multum, conſona eſt. Ex fide enim conſtat Adam ante peccatum in ſanctitate, & iuſtitic conſtitutum fuiſſe, eamque à Deo accepiſſe, & ſua inobedientia ſibi, & nobis perdidiſſe, vt dicitur in Concil. Trid. Seſ 5. can. 1 & 2. & Seſ. 6. cap. 7 Quis autem non videat huic maximè conſonum eſſe, Adam in gratia fuiſſe creatum? Scriptura etiam Eccleſiaſtes 7 v. 30. ait *Quod fecerit Deus hominem rectum* Hanc rectitudinem non fuiſſ ſine dono gratię gratum facientis oſtendit D. Tho. hic, & infra q. 100. art. 1. ad 2. & Denique D. Aug lib 14 de Ciuit Dei cap. 11. & lib. de corr ept. & gr. t c. 11. & D. Damaſcenus lib 2 de fide, cap. 30. & alij ſancti non obſcurè indicant concluſionē D. Thom. hic.

ARTICVLVS II.

Vtrum in primo homine fuerint animæ paſſiones.

Concluſio eſt negans.

DIſtinguit tamen D. Thomas paſſiones: nam quædam ordinantur ad bonum, vt amor, & gaudium: quædam ad malum, vt timor, & dolor, & dicit: in Adam non fuiſſe paſſiones, quæ reſpiciunt malum, vt timor, & dolor; non quod ſenſibilis, ſed

quia

quia impaſſibilis eſſet & per propriam rationem vitaret nociua, & diuina prouidentia illum tueretur, ne ei occurreret ex improuiſo aliquid a quo læderetur, vt dicitur infra queſtione 97. art. 2 ad 4 Ex paſſionibus verò, quæ reſpiciunt bonum, inquit S. Doct. non fuiſſe in Adam eas, quæ reſpiciunt bonum non habitum, & nunc habendum, qualis eſt cupiditas æſtuans, ſed illas, quæ poſſunt eſſe boni præſentis, vt gaudium, & amor, vel quę ſunt boni futuri in ſuo tempore habendi, vt deſiderium, & ſpes non affligens, & has non niſi ex rationis iudicio conſequentes.

ARTICVLVS III.

Vtrum Adam habuerit omnes virtutes.

Concluſio eſt affirmans.

EX virtutibus, inquit D. Tho. quędam ſunt, quę nullam imperfectionem important, vt charitas, & iuſtitia, & hæ fuerunt in ſtatu Innocentiæ ſimpliciter, & quantum ad habitum, & quantum ad actum. Aliæ ſunt, quæ de ſui ratione imperfectionem important, vel ex parte actus, vel ex parte materiæ, non tamen repugnantem perfectioni primi ſtatus, vt fides, & ſpes, & huiuſmodi etiam fuerunt in ſtatu Innocentiæ, & quantum ad habitum, & quantum ad actum. Aliæ vero ſunt, quæ de ſui ratione important imperfectionem repugnãtem

per-

perfectioni illius ſtatus, & hę in eo fuerunt ſecundum habitum, non tamen ſecundum actum. Tales fuerunt pœnitentia, & miſericordia, repugnabat enim perfectioni illius ſtatus, tam dolor, quam culpa, & miſeria, ſicque actus prædictarum virtutum. Erat tamen primus homo ſic diſpoſitus, vt ſi peccatum præceſſiſſet, doleret, & ſi miſeriam in alio videret, eam propoſſe repelleret, ac proinde prædictæ virtutes erant in eo ſecundum habitum: ſicut, & teſte Ariſt. 4. Ethic cap. vlt. Verecundia eſt in viro ſtudioſo, quia ſic eſt diſpoſitus, quod verecundaretur, ſi turpè aliquid committeret. Si hinc inferas, poſſe etiam in Chriſto pœnitentiæ habitum eſſe. Reſpondetur negando ſequelam: nam Chriſtus erat omnino impeccabilis; licèt autem actus conditionatus de obiecto abſolutè poſſibili ſufficiat ad virtutem, non tamen de obiecto, vel materia ſimpliciter impoſſibili: vnde in Angelis non eſt temperantia. Sed de hoc 3. p. q. 7. art. 2.

ARTICVLVS IV.

Vtrum opera primi hominis fuerint minus efficacia ad merendum, quam opera noſtra.

Concluſio eſt affirmans.

INtelligenda autem eſt de operibus primi hominis, & noſtris conſideratis ex vi con-

conditionis vtriuſque ſtatus, naturę ſcilicet lapſæ, & integræ abſolute: nam ſi conſideremus in ſtatu naturæ lapſę copioſam Chriſti redemptionem, eiuſque virtutem, qua, vt caput noſtrum abundantiam gratiæ, & meritorum influit in membra; quodque ipſe dixit Ioan. 10. v. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*. Maiora ſunt merita hominum nunc, quam ſi Adam non peccaſſet.

Queſt. 96. vide apud D. Thomam.

QVAESTIO XCVII.

De his quæ pertinent ad ſtatum primi hominis quantum ad indiuidui conſeruationem.

ARTICVLVS I.

Vtrum homo in ſtatu Innocentiæ eſſet immortalis.

Concluſio eſt affirmans

Pelagiani, vt refert D. Aug. lib. de Hæreſibus cap. vlt. ¶ Adam, dicunt, etiam ſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, ſed conditione naturę† Contra illos diffinitum eſt in Concil. Milleuitano 2. ſub Innocentio I. c. 1. ¶

1. ¶ Quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum: ita, vt ſiue peccaret, ſiue non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit. † Idem diffinitum eſt in Concil. Africano ſub Bonifacio, & Celeſtino. Patetque hęc veritas ex illo ad Rom. 5 v. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*. Et Gen. 2. v. 17 *Quocumque enim die comederis ex eo morte morieris*. Vel, vt Symmacus tranſtulit. *Eris mortalis*.

Eſſet autem homo in ſtatu Innocentię immortalis: non quidem per naturam, vt conuincunt 1. & 2. arg. articuli: ad quæ reſpondens D. Thomas ait: *Quod procedunt de incorruptibili, & immortali per naturam*. Sed quia, vt docet idem S. Doct. in corp art. ¶ Inerat animæ vis quędam ſupernaturaliter diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione pręſeruare, quandiù ipſa Deo ſubiecta manſiſſet † Quę vis, vt idem S. Doct. ait in 2. d. 9. q. 1. art. 4. ad 5. *Principalis cauſa immortalitatis erat*. Ex quo colligit immortalitatem non eſſe iudicandam naturalem, propter virtutem ligni vitæ (nam lignum vitæ non erat principalis cauſa immortalitatis, ſed coadiuuans ad continuationem vitæ) ſed gratuitam propter virtutem animæ ſupra naturam collatam.

Hanc virtutem diſcipuli D. Thomæ communiter docent, eſſe iuſtitiam originalem. Vnde 1. 2. q. 81. art. 5. ad 2. ait S. D. ¶ Immortalitas, & impaſſibilitas primi ſtatus non

erat

erat ex conditione materię, vt in primo dictum eſt, ſed ex originali iuſtitia. † Quę adhibitis primo ſolerti, & attenta cura, vigilantiſsimaque prudentia ipſius hominis in his cauendis, quæ eius vitæ, & integritati, ſiue interius, ſiue exterius incommodare potuiſſent: ſecundo ſingulari, & eximia Dei prouidentia, & Angelorum cuſtodia, quibus homo valdè muniretur aduerſus ingruentia, tertiò eſu igni vitæ, quo fortificabatur virtus ſpeciei contra debilitatem prouenientem ex admixtione extranei immortalitatem ſupernaturalem abſolute, & ſimpliciter cauſabat, hominemque in ſtatu Innocentię abſolute, & ſimpliciter immortalem efficiebat.

ARTICVLVS II.

Vtrum homo in ſtatu Innocentiæ fuiſſet paſſibilis.

Concluſio eſt negans.

Esque intelligenda de paſſione propriè dicta, & corruptiua, qua homo à ſua naturali diſpoſitione remouetur, non paſſione communiter dicta, & perfectiua: vnde ſentire, & dormire poſſet homo in illo ſtatu: *Nam ſentire, & dormire non remouent hominem à naturali diſpoſitione, ſed ad bonum naturæ ordinantur.* Ait D. Tho hic. Non tamen poſſet dolorem, aut læſionem pati, ſed ab huiuſmodi paſſione, & quacunque alia

cor-

corruptiua preſeruaretur: ¶ Partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociua vitare, partim etiam per diuinam prouidentiam, quę ſic ipſum tuebatur, vt nihil ei occurreret ex improuiſo, à quo lęderetur. † Vt dicitur in ſolutione 4. Fames, quæ tunc eſſet non procederet ex paſſione inordinata, aut quæ affligeret animam, aut corpus, ſed ſolum eſſet appetitus cibi conuenientis ad conſeruationem indiuidui, quem appeteret homo quando opus eſſet, & quantum opus eſſet ſecũdum rationem, & comederet.

Circa articulum tertium, vide D. Thomam, & Caietanum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum homo in ſtatu Innocentiæ per lignum vitæ immortalitatem conſequutus fuiſſet.

Concluſio eſt affirmans.

QVamuis non ſimpliciter, quodammodo tamẽ immortalitatem cauſabat lignum vitę. ¶ Habebat enim (ait Diuus Thomas hic) virtutem fortificandi virtutem ſpeciei contra debilitatem prouenientem ex admixtione extranei. Vnde Aug. dicit in 14 de Ciu. Dei, quod cibus aderat homini ne eſuriret, potius ne ſitiret, & lignum vitæ ne ſenectus eum diſſolueret. Et in libro de quæſt. Ver. & noui teſt. dicit,

quod vitæ arbor medicinę modo corruptionem hominis prohibebat. ✠

Dubium. An huiuſmodi virtus ligni vitæ fuerit naturalis.

SVpernaturalem, ac diuinitus inditam fuiſſe ligno vitæ ad eum modum, quo Sacramentis nouæ legis ineſt virtus cauſandi gratiam, docent nonnulli cum D. Bonauentura in 2 d. 19. art 3 q. 1 & alijs, & probant 1. ex Patribus: nam Achatius in Greca catena Geneſ 2. Iacobus Sarugenſis Oratione de eiecto Adamo ex paradiſo D. Aug. lib. 8. de Geneſ. cap. 5. & lib 13 de Ciuit. D. i cap. 20 Theodoretus q 21. in Gen. S Beda in 2. Gen. & D. Tho. in 2. d. 19. q. 1. ar. 4 docent virtutem illam fuiſſe arbori vitæ diuinitus conceſſam, & in ſe continere myſterium:

Secundo. Si naturalis fuiſſet illa vis, animalia, quæ in Paradiſo ex fructu ligni vitæ ediſſent, produxiſſent vitam in longiſſimum tempus: ſed hoc quis concederet? ergo, &c.

Tertio Si vis illa fuiſſet naturalis, manſiſſet in ligno vitę poſt lapſum Adæ: at non manſit: nam etſi Adam ex ligno vitę poſt lapſum comediſſet, non fuiſſet immortalis; ergo, &c.

Dicendum tamen eſt: Vim illam ligni vitę naturalem fuiſſe. Ita docent Hugo de Sancto Victore in annotationibus in 2. cap. Gen. Strabus Monachus in 2. Gen. c & Procopius Gazeus ibidem vbi, & hoc ita probat. ¶ Quod autem naturaliter inſitum fuerit arbori

bori vitæ immortalitatem donare ſatis euidens exemplum eſt Adam, qui vbi peccauit, deturbatus eſt de poſſeſſione Paradiſi, ne veſceretur de ligno vitæ, & ſic in æternum viueret. ✠ Vis huius rationis hæc eſt: Si non fuiſſet naturalis, ſed ſupernaturalis virtus illa, non manſiſſet in ligno vitæ poſt Adæ peccatum, nec ſortiretur effectum, niſi homine in originali iuſtitia perdurante: ſed huius oppoſitum colligitur ex illis verbis Gen. 3. v. 22. *Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*; ergo, &c. Scio quoſdam putare verba hæc ironicè à Deo prolata fuiſſe ſicut, & precedentia. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*. Senſumque illorum eſſe: nihil minus fiet quam, vt mittet, ſumat, comedat, mox profligandus ex Paradiſo: & ſi comederit, non eſt periculum, vt viuat in æternum, cum iam iuſtitia originali exciderit, nihilque illi profuturum ſit lignum vitę, per peccatum facto morti obnoxio. Sed quamuis priora verba, *Ecce adam, &c.* ironicè accipienda eſſe non ſit dubium; poſteriora tamen. *Nunc ergo, &c*; & precipuè illa, *Et viuat in æternum*, ferè omnes in ſenſu aſſertiuo, & abſoluto, non ironico exponunt: nam Cherubim, & flammeus gladius appoſiti à Deo ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, ne illuc Adam eſurus peruaderet, ſatis indicant, Deum non ironicè, ſed aſſertiue, & abſolutè loquutum, ac ſi dixiſſet; ne Adam comedat, & viuat in æternum, eijciamus eum ex Paradiſo, arboremque acri cuſtodia

muniamus, quod,& fecit. Vnde Vgo de S. Vict. dict. locum elucidans ait: ¶ Hinc innuitur, quod etiam poſt peccatum, ſi comederet homo de ligno vitę, fieret immortalis. ✠ Auctor Quęſtionum veteris, & noui Teſtamenti, quem D. Tho. hic, D. Aug. fuiſſe ſignificat, q. 19. dicit: ¶ Guſtus arboris vitæ corruptioné corporis inhibebat. Denique etiam poſt peccatum potuit indiſſolubilis manere, ſi modo permiſſum eſſet illi edere de arbore vitę. ✠

Deinde probatur ex D. Thom. nam hic ait: ¶ Non poterat virtus ligni vitæ ad hoc ſe extendere, vt daret corpori virtutem durandi tempore infinito, ſed vſque ad determinatum tempus. Manifeſtum eſt enim; quód quanto aliqua virtus eſt maior, tanto imprimit durabiliorem effectum. Vndè cum virtus ligni vitæ eſſet finita, ſemel ſumptum præſeruabat à corruptione vſque ad determinatum tempus, quo finito, vel homo tranſlatus fuiſſet ad ſpiritualem vitam, vel indiguiſſet iterum ſumere de ligno vitæ. ✠ At ſi virtus ligni vitæ eſſet ſupernaturalis, hęc augumentatio eſſet inualida: nam quis dubitet virtute ſupernaturali potuiſſe lignum vitæ, hominis vitam tempore infinito conſeruare? Ergo, &c. Confirmatur 1. nam in 2. diſt. 19. q. 1. art. 4. ad 5. dicit S. Doctor: ¶ Immortalitas non eſt iudicanda naturalis propter virtutem ligni vitę, ſed magis gratuita propter virtutem animæ ſupra naturam collatam, quę principalis cauſa immortalitatis erat. ✠ At ſi virtus ligni vitæ eſſet ſuperna-

tu-

turalis. etiam ſi ipſa principalis cauſa eſſet immortalitatis, immo, & vnica, propter ipsã non eſſet iudicanda naturalis immortalitas; ergo, &c. Confirmatur 2. nam idem D. Th. in 2 d. 29. q 1. art. 5 ad 4. ait: ¶ Quamuis homo poſt peccatum lignum vitæ ſumpſiſſet, mortem euadere non potuiſſet, potuiſſet tamen mortem differre: ita, vt vita eius auxilio ligni vitæ prolongaretur, ſicut de Enoch, & Elia creditur. ✠ At ſi ſupernaturalis eſſet virtus ligni vitę, non perſeueraſſet in arbore poſt Adæ peccatum, ſed ſolum pro ſtatu Innocentię fuiſſet illi collata: nam eiuſmodi ſupernaturales virtutes non ſolent rebus inhęreſcere permanenter, ſed dum homo earum effectu dignus eſt; ergo, &c.

Ad primum verò reſpondetur, virtutem illam dici diuinitus conceſſam arbori vitæ, quia à Deo illi collata erat; & non quia ſupernaturalis eſſet, ſed, quia inter naturales, ſingularis, & extraordinaria erat; atque naturę eximium miraculum exiſtimari poſſet; in ſe vero cõntinuiſſe Sacramentum, quia myſtice adumbrabat Chriſti virtutem ad gratiam, & gloriam, ſeu vitam ęternam conferendam.

Ad ſecundum reſpondetur negando maiorem: nam, vt hic docet D. Thom cum Auctore Q. vet. & noui Teſt. *Vitæ arbor medicinę modo corruptionem hominum prohibebat,* Non erat autem fructus vitę medicamentum conueniens temperamento aliorum animalium: vnde potuiſset quidem illis prodeſse in alimentum, ſed non in medicamen-

tum; multa enim medicamina humano corpori mirifica in brutis animalibus, aut nihil penitus operatur, aut noxia ſunt: nam, vt ait D. Aug. lib. 2. de Moribus Manicheorum, cap. 8. tom. 1. ¶ Oleum noſtris corporibus commodum eſt, animalium autem multis, quę ſex pedes habent, vehementer aduerſum. Panis hominem alit, accipitrem necat. ✠

Ad tertium reſpondetur negando minorem. Ad eius probationem dico, virtutem ligni vitę non fuiſse afferendi immortalitatẽ perfectam, & ſimpliciter, ita, vt eo guſtato homo nullo modo mori potuiſſet, nec ferro, nec peſte, igni, beſtijs, pręcipitio, aqua &c. Solum enim lignum vitę arcebat mortem, quæ ex ſenio, & defectione virtutis ſpeciei contingere ſolet; quem effectum, ſi Adam ex illo poſt lapſum comediſset, haud dubie percepiſset; iterum enim, atque iterũ ſumendo, ſemper à ſenio intactus maneret, ſicque ſecundum quid eſset immortalis; non tamen ſimpliciter: nã iuſtitia originali priuatus mori potuiſset ex multis alijs cauſis numeratis, ſcilicet, ferro, peſte, &c Mortique obnoxius, & expoſitus eſset, ſi non ab ea parte, qua mors ex ſenio contingit, ab alijs innumeris partibus.

Quęſt. 98. & 99. vide Apud D. Thom.

QVAE.

QVÆSTIO C.

De conditione prolis generandæ quantum ad iuſtitiam.

ARTICVLVS I.

Vtrum homines fuiſſent nati cum iuſtitia.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium. An iuſtitia originalis ſit habitus realiter diſtinctus à gratia gratum faciente.

DVę ſunt de hac re diſcipulorum Diui Thomæ ſententiæ. Prima eſt affirmans, quam tenent Caietanus ſupra q.95. art. 1 §. *Circa hunc locum*, & alij. Probant illam 1. D Thom. hic in corp. art. ait: iuſtitiam originalem fuiſſe *accidens naturæ, ſpeciei*, ſed gratia gratum faciens non eſt niſi accidens perſonæ, & indiuidui; ergo, &c. Confirmatur: nam in ſolutione ſecundi ait, gratiam gratum facientem eſſe radicem iuſtitiæ originalis; ergo ſicut gratia realiter diſtinguitur ab alijs virtutibus, quarum eſt radix, ita, & à iuſtitia originali.

Secundò. Idem S. Doctor 1.2.q.109 ar. 3. & 4. docet hominem in ſtatu naturæ integrę

non indigere gratia ad diligendum Deum ſuper omnia dilectione naturali, & implenda mandata legis, quantum ad ſubſtantiam ſed ad diligendum Deum, & implendum diuina mandata ex charitate; ergo cum integritas illius ſtatus ſit à iuſtitia originali, hæc à gratia diſtincta erit. Confirmatur: iuſtitia originalis ex ſua ratione habet rectificare hominem in ordine ad finem naturalem; gratia vero in ordine ad finem ſupernaturalem; ergo ſunt habitus realiter diſtincti.

Secunda ſententia eſt negans, quam tenet M Soto lib. 1. de natura, & gratia, cap. 5. & alij. Probant illam 1. D. Thomas ſupra qu. 95 art. 1. ait: *Per gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdebantur*. At ſubdebantur per iuſtitiam originalem; ergo hęc, & gratia, idem habitus ſunt. Confirmatu: nam q. 97 art. 1. ad 3. ait: primum hominem per pœnitentiam recuperaſſe gratiam, *Ad remiſſionem culpæ, & meritum gloriæ, non tamen ad animæ immortalitatis effectum*; ergo cū immortalitatis effectus fuerit à iuſtitia originali, ſentit gratiam realiter fuiſſe idem cum iuſtitia originali. Idem ſignificat in 2. d. 32. q. 1. ar. 1. ad 1. dicens: ¶ Quamuis non reſtituatur originalis iuſtitia quantum ad id quod materiale in ipſa erat, reſtituitur tamen quantum ad rectitudinem voluntatis ex cuius priuatione, ratio culpę inerat. ✠ Secundo. Idem S Doctor 1.2.q.83 art. 2 ad 2. ait. *Originalis iuſtitia pertinebat primordialiter ad eſſentiam animæ*. Sed ſola gratia eſt in eſſentia animæ; virtutes verò in animæ poten-

tijs

tijs ſunt, vt colligitur ex D.Th. 1.2.q.110 ar. 4. ergo iuſtitia originalis nõ eſt virtus, aut habitus à gratia diſtinctus. Confirmatur effectus formalis iuſtitiæ originalis erat rectitudo, & ſubiectio animæ in Deum: ſed hanc efficiebat gratia gratum faciens; ergo idem cum illa erat.

Dicendum tamen eſt: Vtramque ſententiã eſſe probabilem. Conuincunt hoc vtriuſque argumenta. Qui affirmantem voluerit defendere, caueat, ne dicat, iuſtitiam originalem poſſe à gratia ſeparari, hoc enim eſt contra D.Thom.q.5.de Malo art.1.ad.13, dicentem: *Iuſtitia originalis ſine gratia eſſe non potuit*. Et hic ad 2. aſſerentem: *Neceſſè eſt dicere, quod ſi pueri nati fuiſſent in originali iuſtitia, quod etiam nati fuiſſent cum gratia.* Aſſerere tamen debet, vt argumentis oppoſitę ſententię ſatiſfaciat, duo. Primum eſt rectitudinem, & ſubiectionem ad Deum finem naturalem, ab vtraque, tam, ſcilicet, à iuſtitia originali, quam à gratia prouenire, non tamen eodem modo, & eandem omninò: nam à iuſtitia originali proueniebat primo, & per ſe; à gratia verò ex conſequenti; & ſecundario. Et rectitudo & ſubiectio ad Deum, quę à iuſtitia originali proueniebat, efficax erat ad cauſandam ſubiectionem corporis ad animam; non tamen, quæ proueniebat à gratia: Vndè cum reſtituta gratia per pœnitentiam, recuperari dicitur iuſtitia originalis quantum ad rectitudinem, eodem modo intelligendum eſt, quo D.Tho 1.p q,88 art.1. docet peccata dimiſſa redire per ſequens peccatum quantum ad

reatum pœnæ æternæ in ſe conſideratum, non in quantum cauſabatur ex alijs peccatis prius dimiſſis.

Secundum eſt iuſtitiam originalem in eſſentia animæ ſubiectari, ſicut, & gratiam: nam virtutes, & habitus, qui in potentijs ſubiectantur, ſunt operatiui, talis autem non eſt iuſtitia originalis; quæ tamen in eſſentia animę diſtinctum cauſabat effectum, ab eo, quem gratia efficit; primo enim, & per ſe rectificabat naturam in ordine ad finem naturalem, ita efficaciter, vt ex ſubiectione animæ ad Deum ſequeretur ſubiectio corporis ad animam, quod non facit gratia gratum faciens.

Qui vero tueri voluerit ſententiam negantem, dicat. gratiam, & iuſtitiam originalem, licèt idem habitus ſint ſecundum rem, differre tamen ſecundum rationem in ordine ad diuerſos effectus. Vnde idem habitus quatenus rectificabat hominem in ordine ad finem ſupernaturalem dicebatur gratia; quatenus verò rectificabat illum in ordine ad finem naturalem, iuſtitia originalis: ſicque eodem modo diſtinguebantur, quo iuxta doctrinam D. Thom. 3. p. q. 8. ar. 5. & q. 62. art. 2. diſtinguuntur gratię capitalis, & habitualis in Chriſto, & gratia habitualis, & ſacramentalis in nobis. Sicut autem gratia ſacramentalis conſtituitur per quendam modum, & perfectionem intrinſecam: ita iuſtitia originalis. Et quia modus, & perfectio hæc tanquam radicem, & fundamentum pręſuppoſnit gratiam habitualem; ideo hæc dicitur

tur radix iuſtitiæ originalis; non quia ad modum paſſionis procedat ab illa originalis iuſtitia, ſicut virtutes infuſæ. Dicitur verò à D. Thom. iuſtitia originalis accidens naturę ſpeciei; *Non quaſi ex principijs ſpeciei cauſatum, ſed tantum ſicut quoddam donum diuinitus datum toti naturę* Et hoc modo etiam gratia, in qua Adam fuit conditus, poteſt dici accidens naturę ſpeciei, quia etiam traduceretur in poſteros, ſicut iuſtitia originalis Quod verò ait D. Thom. 1. 2. q. 109. hominem in natura integra ad diligendum Deum finem naturalem non indiguiſſe gratia, nominæ gratiæ, non intelligit gratum facientem, nam ſine hac, non erat natura integra, cum ab ea ſeparari non poſſit iuſtitia originalis, ſed auxilium ſpeciale, vel donum ſupernaturale ſuperadditum gratiæ habituali.

ARTICVLVS II.

Vtrum pueri in ſtatu Innocentiæ nati fuiſſent in iuſtitia confirmati.

Concluſio eſt negans.

NOnnulli ex D. Thom. diſcipulis non ſolum docent pueros in ſtatu Innocentię non fore naſcituros in gratia confirmatos, ſed etiam exiſtimant plures perituros tunc, quam nunc homines: quia licet non ex parte inferioris naturę, ex ſuperiori tamen portione multa grauiora, efficaciora,

ac violentiora orirentur impedimenta ad virtutum officia, præſertim ingens ſuperbiæ,& elationis appetitus fundatus in excellentia donorum, & alijs. Et præterea tunc homines non habuiſſent auxilia ita efficacia, atque habent homines per Chriſtum redempti.

Scotus in 2 d.20. q 2. omnes ſaluandos eſſe putat, & ſolos nunc electos fore in ſtatu Innocentiæ naſcituros. Quod probat ex D. Greg lib.4. Moral. cap 36. dicente: *Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet; nequaquam ex ſe filios gehennæ generaret: ſed hi, qui nunc per redemptionem ſaluandi ſunt, ſoli ab illo electi naſcerentur.* Addit verò Scotus eoſdem numero nunc electos fore ſolum naſcituros in ſtatu Innocentię. Nec reputat inconueniens dicere eundem numero hominē poſſe eſſe filium diuerſorum parentum, immò, & marem, & fœminam.

D. Thom. quodlib 5. art, 8. expreſsè docet: *Quod impoſſibile eſt eundem filium naſci, ſiue ſit alius pater, ſiue ſit alia mater.* Quod optimè probat. Subdit etiam: *Quod aliqui nunc ſaluantur, qui ſi primus homo non peccaſſet, non naſcerentur, & per conſequens non ſaluerentur.* Denique ait, quod dicit D. Gregor. ¶ Quod hi ſoli, qui nunc ſaluandi ſunt naſcerentur, intelligendum eſt, quod pronomen facit ſimplicem demonſtrationem: quia ſoli electi naſcerentur, quantum eſt ex ratione originis, non autem demonſtrationem perſonalem: quia aliæ perſonæ eſſent hominum, qui ſaluantur. ✠ Vnde eodem modo loquitur D. Greg. quo cum aliquis videns herbam aliquā

in

in alieno horto dicit, hæc herba naſcitur in meo horto, hoc eſt non eadem numero, ſed qualis hæc. An vero omnes, qui naſcerentur, ſaluarentur, non explicat D.Thom. nam electorum nomine non intelligit prędeſtinatos, ſed iuſtos, qui in gratia naſcerentur, vndè addidit: *Quantum eſt ex ratione originis*. Hic autem in ſolutione primi probabile eſſe inſinuat, omnes fore ſaluandos: non quia eſſent in iuſtitia confirmati; peccare enim potuiſſent; *ſed propter diuinam prouidentiam, per quã à peccato conſeruarentur immunes*.

Circa quæſt. 101. nihil ſe offert dicendum.

QVAESTIO CII.

De loco hominis, qui eſt Paradiſus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Paradiſus ſit locus corporeus.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium primum. An ſit certum ſecundum fidem Paradiſum eſſe locum corporeum.

PArs negans probatur 1 nam D.Aug. lib. 2. de Gratia Chriſti, & peccato originali cap. 23. inter quæſtiones, quę non

per

pertinent ad fidem hanc connumerat: *Qualis, vel vbi ſit Paradiſus, vbi conſtituit Deus hominem, quem formauit ex puluere*. Sed quærere, an Paradiſus ſit corporeus, eſt quærere qualis ſit; ergo hoc non pertinet ad fidem.

Secundò quod dicitur Gen. 3 v 8. Deum poſt meridiem deambulaſſe in Paradiſo, non poteſt intelligi de corporali deambulatione, ſed figurali tropo hoc a Scriptura profertur, quo aliquid myſticum indicatur, ergo & quod dicitur Gen. 2. v. 8. de Paradiſo, non eſt intelligendum de Paradiſo corporali, ſed allegorico, & myſtico.

Dicendum tamen eſt. Certum eſſe ſecundum fidem Paradiſum eſſe locum corporeũ. Probatur 1. D. Aug lib. de Hæreſibus, c. 59. de Seleucianis, vel Herminianis refert, *Negant etiam viſibilem Paradiſum;* hocque inter hæreſes recenſet. Quod etiam, ait, Origenes libro 4. Periarchon cap. 4. *Quis vero ita idiotes inueniatur, vt putet velut hominem quendã agricolã Deum plantaſſe arbores in Paradiſo, &c.* D. Hieron. Epiſt. 61. inter errores huius Auctoris connumerat. Eadem etiam erroris, hæreſisue cenſura dignum cenſetur, quod dixit Philo. lib. de opificio mundi recitata vniuerſa Moſis de Paradiſo Hiſtoria. *Hæc potius ſymbolice, quam reuera, & proprie videtur mihi Moſes philoſophatus*; ergo ſecundum fidem certum eſt paradiſum eſſe locũ corporeum; aliàs enim eius oppoſitum, quod prædicti Auctores docuerunt, non damnaretur à ſanctis, vt erroneum, & hæreticum. Confirmatur: nam D. Hieron. Danielis 10. in il-

lud;

lud : *Die autem vigeſima*, inquit, ¶ Eorum deliramenta conticeſcant, qui vmbras, & imagines in veritate quærentes, ipſam conatur euertere veritatem; vt flumina, & arbores, & Paradiſum putent allegoriæ legibus ſe debere ſubruere. ✠ Et D. Aug. lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 1. ait : ¶ Non ignoro de Paradiſo multos, multa dixiſſe; tres tamen de hac re quaſi generales ſunt ſententię. Vna eorum, qui tantummodo corporaliter Paradiſum intelligunt. Alia eorum, qui ſpiritualiter tantum. Tertia eorum, qui vtroque modo Paradiſum accipiunt aliàs corporaliter, aliàs autem ſpiritualiter. Breuiter ergo vt dicam, tertiam mihi fateor placere ſententiam. ✠ Contra Auctores verò ſecundæ ſētētiæ, quę noſtræ concluſioni aduerſatur ibi diſputat, & concludit : ¶ Nemo erit, vt opinor, tam infideliter pertinax, qui cum ea ſecundum regulam fidei expoſita propriè viderit, malit in priſtina remanere ſententia, ſi forte illi viſa fuerant non niſi figurate poſſe accipi. ✠ Alij denique Patres innumeri præſertim D. Epiphanius Hęreſi 31. & in Anchorato, & in Epiſ. ad Ioan. Ieroſol. Epiſ. D. Chryſoſt. Homil. 13. in Gen. D. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 11. S. Theophilus Antiochenus Epiſcopus lib. 2. ad Autolycum, s. Metodius aduerſus Origenem, s. Ambroſ. libro de Paradiſo, cap. 1. s. Anaſtaſius ſinaita lib. 7. in Hexameron Anaſtaſius Nicenus Epiſc. quæſ. 24. in ſcripturam, Theodoretus q. 25. in Gen. noſtram concluſionē docent, & oppoſitam ſententiam damnant, & impugnant ergo &c.

Se-

Secundo probatur ex 6. Synodo Generali Conſtantinopolitana, quæ Actione 13 approbat Epiſtolam Sophronij recitatam Actione 11. in qua inter alios errores Origeniſtarum hic etiam condemnatur. *Quod extra paternã, & apoſtolicam traditionem Paradiſi plantationẽ proijcerint.*

Denique probatur ex hiſtoria Paradiſi, quã ſcripſit Moſes Gen. 2. & proſequitur á ver. 8 in quo plantationem deſcribit, vſque ad v. 24. capitis 3. vbi eiectionem Adami de Paradiſo commemorat. Quam non ſolam, & nudam allegoriam, ſed etiam veritatem continere; narrationis modus conuincit. Eodem enim tenore narrationis deſcribit Moſes Paradiſi plantationem, quo rerum creationem, opera ſex dierum, hominis productionem: ſed hæc vere, & realiter ſunt intelligenda; ergo, & quæ de Paradiſo dicuntur, præſertim cum regula communis ſit: cum verba Scripturæ proprie, & verè accipi poſſunt, non eſſe ad allegorias nudas abducenda. Vnde cum D. Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 22 dicit D. Tho. hic: ¶ Quæ commodè dici poſſunt de intelligendo ſpiritualiter Paradiſo, nemine prohibente dicantur: dum tamen, & illius hiſtoriç fideliſſima veritas rerum geſtarum narratione comẽdata credatur. Ea enim, quç de Paradiſo in ſcriptura dicũtur per modum narrationis hiſtoricæ proponuntur; in omnibus autem, quç ſic ſcriptura tradit, eſt pro fundamento tenendą veritas hiſtoriç, & deſuper ſpirituales expoſitiones fabricandę. †

Ad 1. vero reſpondetur, quæſtionem an

Para-

Paradiſus ſit corporeus, non eſſe de qualitate Paradiſi terreſtris, ſed de eius exiſtentia, quã ad fidem pertinere indicat ibi D Aug. ſubdẽs *Cum tamen eſſe illum Paradiſum, fides Chriſtiana non dubitet*. Ad qualitatem autem Paradiſi pertinent, cuius ſit temperamenti, & alia huiuſmodi.

Ad 2. reſpondetur 1. negando antecedens: nã deambulatio illa facta eſt per Angelum, Dei perſonam repræſentantem in corpore aſſumpto, vt docet D. Gregor lib. 28. Moral: cap. 3. & colligitur ex dictis à nobis ſupra q. 51. art. 2. Reſpondetur 2 negando cõſequentiam: nam cum Deus ſit incorporeus, nequit eius deambulatio intelligi corporaliter, quaſi facta per iſtum nullo aſſumpto corpore, ſine maximo inconuenienti. At nullum inconueniens ſequitur, quod de Paradiſo corporali intelligantur, quę deſcribit Moſes Gen. 2. & 3.

Dubium ſecundum. An Paradiſus ſit aliquis locus determinatus in terra.

PArtem negantem tenuerunt nonnulli, vt refert Hugo de S. Victore in Adnotationibus in 2. cap. Gen. aſſerentes Paradiſum non certum aliquem terræ locum, ſed totam ipſam terram orbis fuiſſe. Idem etiam tenent alij, & probant 1. Si Adam non peccaſſet, omnes homines eius poſteri habitaturi fuiſſent in Paradiſo. at ſi is locus aliquis diffini-

finitus terrę eſſet, vel non omnes homines capere potuiſſet, vel certè tota reliqua terra perpetuo cultoribus vacua, ac penè deſerta manſiſſet fruſtra, & in nullum vſum comparata, quod eſt inconueniens, cum Deus, & natura nihil faciant fruſtra; ergo &c.

Secundò. Gen. 2. vero dicitur: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* At hic fluuius nõ erat alius, quam Oceanus, vt ait D. Damaſc. lib. 2. fidei, cap. 9. Ergo cum Oceanus non procedat ex aliquo terrę loco determinato, ſed totam terram alluat, tota terra erat Paradiſus. Confirmatur, flumina quatuor, in quę diuidi dicitur fluuius, qui procedit de Paradiſo, non in aliquo loco determinato, ſed in diuerſis orbis partibus habent manifeſtas origines; ergo Paradiſus nõ eſt locus aliquis determinatus, ſed tota terra, & fluuius, qui Paradiſum alluebat Oceanus.

Dicendum tamen eſt: Paradiſum locum aliquem determinatum eſſe in terra. Probatur: Scriptura ait, Paradiſum in Oriente plantatum, tota verò terra nedum ad Orientem, ſed ad Occaſum, Aquilonem, & Meridiem latè diffuſa iacet. Deinde ſubdit: Deũ è loco in, quo Adamum condiderat, ipſum in Paradiſum tranſtuliſſe, & poſtea propter peccatum Adamum, & Heuam ex Paradiſo eieciſſe, & ante Paradiſum Cherubim conſtituiſſe ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. At non creauit Deus Adamum extra hunc terrarum orbem, vt ex illo in hunc tranſue-

he-

hęretur. Nec Adamum, & Heuam exegit in alium mundum, cum in hac noſtra terra habitaſſe conſtet, nec ante totum orbem, Cherubim collocauit, ne protoplaſti ex alio mundo in hunc irrumperent: ergo non tota terra, ſed locus, aliquis determinatus in ea eſt Paradiſus. Cuius oppoſitum, quidam, prorſus intollerabile, alij non ſolum temerarium, ſed etiam erroneum eſſe aſſerunt.

Ad 1. vero reſpondent quidam; Si Adam non peccaſſet futuram omnium habitationē in Paradiſo: tum, quia, vt docet D. Thom. art. ſeq. *Paradiſus eſt locus conueniens habitationi humanæ ſecundum primæ immortalitatis ſtatum*. Tum etiam, quia aliis deficeret hominibus extra paradiſum habitantibus lignū vitæ. Aiuntque Paradiſum locum ſpatioſiſſimum eſſe, qui abunde caperet electos illius ſtatus, præſertim cum non omnes quotquot tunc erant naſcituri, ſemper in Paradiſo manſiſſent, ſed per generationes certis temporibus in cœlum transferrentur, vt docet Magiſter ſentent. in 2. d 20. Reliquam vero terram ſine cultoribus manere, non eſt incōueniens, ſicut nec inconueniens eſt modo Paradiſum ſine cultore aliquo manere. Nec obſtat, quod dicitur Iſaiæ 4. ver. 18. *Deus formans terram, &c. non in vanum creauit eam, vt habitaretur formauit eam*. Nam id intelligendum eſt de terra quidem Paradiſi ante peccatum Adæ; de reliqua verò terra, vt poſt Adæ peccatum habitaretur. Vnde Philoxenus Mabugæ Epiſc. Orat. de contemplatione ligni vitæ dicit; ¶ Deſtinatus fuerat

Pa-

Paradiſus, vt eſſet hominum priuſquam peccaſſent, domicilium. Spreto autem Dei mandato Adamus per ignominiam deiectus eſt in hanc terram. ✠ Et Moſes Barcepha, lib. de Paradiſo, cap. 22 inquit: ¶ Tria loca condiderat Deus pro Adamo, cœlum, paradiſum, & hanc, quæ extra paradiſum eſt, terram, &c. Igitur Adam, atque Heua cum omni ſua poſteritate, ſi legi Dei paruiſſent, inde (ſcilicet de paradiſo) ad cœli regnum erant euehendi. Abiecti ergo ſunt in hanc deteſtabilem terram propter ſuum peccatum. ✠ Alijs non videtur ſolum futuram eſſe habitationem in paradiſo hominum in ſtatu Innocentiæ: nam creato Adamo, & Heua cum iuſtitia originali: *Benedixit illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, &c.* Gen. 1. ver. 28. vbi de vniuerſa terra nuper à ſe creata, etiam extra paradiſum, loquitur Deus; ad replendam enim ſolam terram paradiſi non erat tanta multiplicatione, quantam, benedictio illa, ſignificat. Vnde ad argumentum respondent negando minorem; non enim in ſolo paradiſo, ſed in omni terra ſicut, & modo habitaturi eſſent poſteri Adæ; videntes namque paradiſum non poſſe cunctos capere, inde multi ad alias ſe conferrent terras: qui tamen ſæpius edendi e fructu ligni vitæ cauſa ad paradiſum venirent; vel talem fructum ad ſe deferri curarent, vel certè ſecum ramum, aut ſemen talis arboris deferrent, vt vbi degerent plantarent.

Ad 2. reſpondetur negando minorem. Ad pro-

probationem D.Thom. in 2 d.17. q.3. art 2. ad 4. dicis: *Quod primum principium illorum fluminum ſicut, & cæterarum aquarum eſt Oceanus; ſed principium proximum eſt fons ille qui in illa parte terræ ſurgit.* Sicque interpretatur auctoritatem D.Damaſceni. Ad confirmationem reſpondetur cum eodem D. Th. ibidem ad 5. ¶ Quod ſicut contingit in quibuſdam fluminibus, vt fontes, à quibus originem habent ſub terram intrent poſtquam per aliquod ſpatium fluxerunt, & iterum in alijs locis erumpant; ita etiam dicit Aug. 8. ſuper Gen. hoc in illis fluminibus contingere, quod primum principium eorum eſt fons paradiſi, qui in aliquo loco nobis ignoto terram ſubintrant, & deinde in alijs locis aqua illa erumpit, vbi videtur illorum fluuium eſſe principium. ✠ Idem dicit hic ad 3. Quæ eſt etiam ſententia non ſolum D. Auguſt. lib. 8. ſuper Gen. ad lit. cap. 7 citati à D.Thom. ſed etiam D. Epiphan. in Anchorato, Theodoreti q. 29. in Gen. Ruper. lib 2. in Geneſ. cap. 14 & 29. Hugonis de Sancto Victore annotationibus in Geneſ. 2. Moſis Parcephe lib de Parad. c 21. & aliorum.

Dubium 3. in qua terræ parte fuerit Paradiſus plantatus.

QVidam in Syria, aut Meſopotamia fuiſſe plantatum paradiſum putant & probant 1. Gen. 2. v 8 iuxta 70. tranſlationem, & Hebraicam veritatem dicitur; *Plantauit*

Do-

Dominus Deus paradiſum in Edem ad Orientem. Sed Eden, vt colligitur ex 4. Reg 19. v 12. & Iſaiæ 37. v. 12. & Ezech. 27. v. 23 vrbs, vel regio fuit Syriæ, aut Meſopotamiæ, quæ reſpectu Terræ ſanctæ, vel deſerti vbi Moſes Geneſim condebat, oriens eſt; ergo in Syria, aut Meſopotamia fuit plantatus paradiſus.

Secundo: Conſtans Hebræorum, & plurium ex noſtris traditio eſt, Adam eſſe formatum iu agro Damaſceno ex *Adamah*, hoc eſt terra rubra, qualis dicitur eſſe terra Syriç, & Armeniç, at vero ſimile eſt Adam non niſi in proximo loco, vbi conditus fuit, in paradiſum introductum; ergo paradiſus Syriç Damaſcene propinquus fuit.

Tertio: Adam eiectus à paradiſo, non procul à paradiſo, ſed ante, vel contra eum fuit à Deo poſitus, vt colligitur ex Gen. 3. v. 24. vbi 70 Interpretes in Romana editione reddiderunt: *Et eiecit Adam, & collocauit eum contra parad ſum*. In Compluterſi, *Ante paradiſum*. Sed Adam in Paleſtina, vel in Chaldęa vixit, in Terraque ſancta ſepultus eſt; ergo paradiſus non longe aberat à Paleſtina, aut Chaldęa, atque adeo in Syria, aut Meſopotamia conditus fuit.

Dicendum tamen eſt 1. Paradiſum non fuiſſe conditum in Syria, aut Meſopotamia, ſed vltra illam in partibus Orientis. Probatur ex loco citato in primo argumento ex Gen. 2. v. 8. vbi in Textu Hebręo, & tranſlatione 70 Interpetum dicitur: *Plantauit Dominus Deus Parad ſum in Eden ad Orientem*. Sed neque hoc Eden, neque hoc Oriens in Sy-

Syria, aut Meſopotamia, ſed vltra illam; ergo, &c. Minor quoad primam partem patet: quia hoc Eden paradiſi cum Tſere, & Segol, atque adeo cum quinque punctis notatum eſt à Maſſoretis, Eden verò Meſopotamię cum duplici Segol, atque adeo cum ſex punctis, quo dignoſceretur vnum ab alio diuerſum eſſe.

Quoad ſecundam partem probatur: hoc Oriens eſt non ſolum reſpectu Terrę ſanctę, ſed ſimpliciter reſpectu omnis terrę veteris, & cogniti orbis; ergo non eſt in Syria, aut Meſopotamia; hanc enim conſtat non eſſe Orientem reſpectu omnis terrę veteris, & cogniti orbis, ſed ſolum reſpectu Terrę ſanctæ. Antecedens probatur: Tum ex noſtri Vulgati Interpretis lectione *A principio*; accipi enim poteſt id, vt Petrus comeſtor in Hiſtoria Scholaſtica, Gen cap. 13. & Toſtatus Gen. 1. & 13. quęſt. 92. & 129 obſeruarunt. ¶ De principio temporis, & de principio loci, principium autem terræ eſt Oriens: & in principio terrę, hoc eſt in prima parte terrę habitabilis Orientalis plantatus fuit paradiſus ✠ Tum etiam ex Patribus, illud enim aſſerunt Tertullianus lib. de Gen. cap. 2. Lactantius Firmianus in carmine de Phœnice, S Alcimus Auitus lib. de initio mundi, & alij innumeri, præſertim vero S. Athanaſ. q. 47 ad Antiochum, ſic enim ſcribit: ¶ Plantauit Deus paradiſum in Eden ad Orientem. Docet igitur nos, quod ex Oriente omnis terra ſit paradiſus. Vnde perhibent exquiſitores Hiſtorici, quod huius rei gratia omnia

nia aromata ſuauiſſimi odoris circa Orientaliora loca, ſeu Indiæ fines proueniunt, vtpote,quę ſunt vicina paradiſo. ✠ Confirmatur ex D. Thom. hic, ſic enim habet. ¶ Eſt ergo paradiſus, vt Iſidorus dicit in lib. Etymolo. locus in Orientis partibus conſtitutus. Conuenienter autem in parte Orientali dicitur ſitus; quia credendum eſt, quod in nobiliſſimo loco totius terræ ſit conſtitutus. Cum autem Oriens ſit dextra cœli, vt patet per Philoſophum in 2. de cœlo, dextra autem eſt nobilior,quam ſiniſtra, conueniens fuit, vt in Orientali parte paradiſus terrenus inſtitueretur à Deo. ✠ Sed hæc Orientalis pars non eſt Syria, aut Meſopotamia, ſed vltra illam; ergo, &c.

Si dicas Scripturam eas dumtaxat regiones appellare Orientem, quæ ſunt eis Perſicum ſinum,vt Perſiam,Arabiam,Meſopotamiam, Chaldęam, Armeniam, &c. quę reſpectu terræ ſanctæ,Orientales erant. Reſpondetur; id falſum eſſe: nam Gen. 10. v. 30. de filijs Iectan dicitur: *Et facta eſt habitatio eorum de Meſſa pergentibus, vſque ad Sephar montem Orientalem*. At de Meſſa,Euſebius Ceſſarienſis, & S. Hiero. De locis Hebraicis hæc habent: *Meſſa regio India, in qua habitauerunt filij Iectan, filij Heber*. Et de Sephar,ita ſcribunt: *Sophora mons Orientis in India, iuxta quem habitauerunt filij Iectan, filij Heber*. Indiam autem vltra Sinum Perſicum eſſe conſtat.

Dicendum eſt 2. Probabilius eſſe paradiſum conditum fuiſſe in Orientis partibus ſub Zona temperata; certo autem indicare regio-

gionem Orientis, in qua fuit plantatus, nec poſſumus, nec debemus. Prima pars probatur: nam licèt D. Thom. in 2.d.17.q 3.ar. 2 de paradiſo loquens dicat: ¶ Hunc autem locum exiſtimant ſub Aequinoctiali eſſe verſus partem Orientalem, eo quod quidam Philoſophi locum illum temperatiſſimum afferunt. ✠ Hacque opinione tanquam probabili vſus fuiſſe videatur. S. Doctor, 2. 2. q.164.art.2.ad 5. oppoſitam tamen, quam noſtra concluſio aſſerit, probabiliorem exiſtimat hic ar.ſeq ad 4.& merito: nam licèt ſub Aequinoctiali, & Torrida Zona multæ repertę ſint temperatiſſimæ, & fertiles regiones, illę tamen ex natura rei non ſunt huiuſmodi, ſed ex accidenti aliquo, vt ex opacitate ingentium arborum, ex leni ventorum flatu ardorem temperantium: nam ex natura rei vt artic.ſeq.ad 4 cum Ariſt. ait D. Thom. *Sunt intemperata in calore propter ſolam vicinitatem ſolis*. At paradiſum in loco omnium amœniſſimo ex natura rei temperatiſſimo plantatum fuiſſe decebat; ergo non ſub Aequinoctiali, aut Torrida Zona, ſed ſub Zona temperata fuit conditus. Confirmatur. Sub Aequatore, aut circulo Aequinoctiali præfinite, conſtat in Oriente tantum iacere Samotram Inſulam, & Borneum, & Zebu, & alias Inſulas minores: at nullus dixit paradiſum in aliqua Inſula fuiſſe plantatum; ergo, &c.

Secunda pars patet: nam nullæ ſunt ad hoc indicandum niſi leuiſſime coniecturę, qualis eſt, qua moti quidam dixerunt paradiſum

in Indoſcytia fuiſſe plantatum inter Indum, & Gangem, prope Aceſinem fluuium, eo loco, quo Hieroti celebri Amni coniungitur; quia ibi plurimæ ſunt ficus Indicę, ex quarum folijs, quę miræ magnitudinis ſunt, dicunt, primos parentes feciſſe ſibi perizomata, quę Gen.3.v.7.memorantur. Hanc enim leuiſſimam coniecturam eſſe conuincit, quod ficus Indica per totam Indiam etiam vltra Gangem progerminat.

Ad 1. verò reſpondetur ex dictis con. 1. conſtare paradiſum in orientem non ſolum Terræ ſanctæ, ſed etiam ſimpliciter reſpectu veteris, & cogniti orbis fuiſſe plantatum: & Eden paradiſi longè diuerſum eſſe ab Eden Meſopotamiæ, cum Eden paradiſi cum quinque punctis. Eden verò Meſopotamiæ cum ſex punctis ſcribatur. Nonnulli aliam etiam differentiam aſſignat: quia Eden paradiſi eſt nomen appellatiuum voluptatem, delitias, & amęnitatem ſignificans, propter quod Vulgatus noſter interpres *Paradiſum voluptatis* vertit, hoc eſt amęniſſimum, ac delicatiſſimum, quaſi in ipſa amęnitate, delitijs, & voluptate poſitum; Eden verò Meſopotamię eſt nomen proprium loci in Meſopotamia; vnde illud ſine interpretatione reliquit noſter Vulgatus interpres locis citatis in argumento. Sed hoc ab alijs non probatur, nā putant etiā primum Eden nomen eſſe propriū loci, in quo ſcilicet conditus fuit paradiſus: Vnde D. Hieron. lib. de locis Hebraicis ait: *Eden ſacer paradiſi locus a Orientem, quod in voluntatem, delitiaſque transfertur.* Quod etiā col-

colligunt ex Gen. 4. verſ. 16 vbi Eden paradiſi cum quinque punctis notatum reliquit interpretatum, & litera maiuſcula in principio ſcripſit noſter Vulgatus interpres ſatis innuens nomen proprium loci vbi erat paradiſus extetiſſe. Quod licèt Geneſ. 2. verſ. 8. interpretetur, hoc fecit, quia ſolet interdum hebraica locorum nomina, quod ſuas ſignificationes habeant, Latinis auribus dare, ac interpretari, vt patet Pſalm. 75. verſ. 3. vbi *Salem*, quod eſt loci nomen proprium, interpretatus eſt *in pace*.

Ad 2. reſpondetur: non eſſe omnino certum Adamum formatum fuiſſe in Damaſceno agro; ait enim S. Anaſtaſius Sinaita hom. 9. in Hexameron ignorari locum, vbi Adam compactus fuit. Alij veriſimile, eſſe dicunt conditum fuiſſe in Orientis regione aliqua proxima paradiſo. Cæterum vbicunque Deus Adamum formauerit, tam facilè ei fuit eundem ex remoto, quam ex proprio loco in paradiſum transferre, nimirum miniſterio Angelorum.

Ad 3. reſpondetur; Adamum, quam primum eiectus fuit à paradiſo, non longe ab eo in regione vicina nutu Dei habitaſſe; vt docent D. Auguſt. lib. 2. de Geneſ contra Manicheos, D. Chriſoſt hom. 18. in Geneſ. D. Cyrillus Ieroſol. Catacheſi 2. Theodoretus, q. 40. in Gen. & alij. Non tamen ibi toto vitæ ſuę tempore manſiſſe, ſed poſt aliquot annos inde migraſſe in occidentales terras, atque in Iudæam deueniſſe; ibique, vel in Hebrone, vel Hieroſolymis vſque ad ſenectutem ha-

bitaſſe, ac tandem mortuum, ac ſepultum ſuiſſe. Vnde D. Epiphanius hæreſi 46. inquit; ¶ egreſſus Adam de Paradiſo cum habitaſſet è regione ipſius multo tempore; & per multos dies permanſiſſet, poſtea abijt ab eo, & in loco hoc Hieroſolymorum videlicet, debitum naturæ perſoluens; illic ſepultus eſt in loco Golgotha. ✠ Hoc poſtremum non probatur à D.Thom. 3 parte, q. 46. art 10. ad 3. cum D. enim Hieronym. ait. ¶ Adam ſepultum iuxta Hebron, & Arbee in Ieſu filij Nauæ volumine legimus. Magis autem Ieſus crucifigendus erat in loco communi damnatorum, quam iuxta ſepulcrum Adæ, &c. ✠

Dubium 4. An paradiſus adhuc perſeueret in terra.

PArtem negantem quidam tenent, & probant 1. Paradiſus conſitus fuit à Deo, vt eſſet conſentaneus locus humanæ fœlicitatis, & innocentiæ: ſed iuſtitia originalis, & immortalitas hominis, & perbeatus ille ſtatus perijt: cur igitur non interijt paradiſus?

Secundò: etiam ſi paradiſus vſque ad diluuium permanſerit, aquis tamen diluuij deletus eſt; ergo modo non extat. Antecedens probatur. Tum, quia aquis diluuij *Operti ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cœlo*, Gen. 7. ver. 19. ergo, & paradiſus; atque adeò deletus eſt. Tum etiam, quia alias quid opus erat

rat Noê tanto labore arcam fabricare, vt à diluuio ſeruaretur, cum facilè tutus ab eluuione conſeruari potuiſſet in paradiſo?

Tertiò; Si extaret adhuc paradiſus integer, ab aliquo fuiſſet inuentus: at à nemine vnquam inueniri potuit, ergo non extat.

Dicendum tamen eſt, Paradiſum adhuc extare. Hoc quidam ita certum eſſe dicunt, vt oppoſitum ſit temerarium, & à rectæ fidei regula exorbitet, & communi Patrum omnium conſenſui repugnet. Sed quidquid ſit de hac cenſura Probatur 1. noſtra concluſio ex illo Ecclеſ. 44. v 16. *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in parad ſum, vt det gentibus pœnitentiam*. Cuius ſenſus eſt, Henoch aſſeruari viuum in paradiſo, vt extremo mundi, & Antichriſti tempore veniat, & hominibus pœnitentiam prædicet. Si dicas in Greco nõ eſſe vocem illam *in paradiſum*. Contra eſt vulgati interpretis auctoritas; qui illam adiecit, quia in Græcis codicibus, ſeu originali textu ſuo tempore legit; vel quia diuino impulſu nouit hanc eſſe mentem Auctoris, & communem Eccleſiæ ſenſum eſſe vidit.

Sècundo probatur: nam D. Ireneus lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 5. affirmat apoſtolicam traditionem eſſe, Henoch, & Eliam nunc manere in paradiſo, ait enim: ¶ Quapropter dicunt Presbyteri, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, eos qui tranſlati ſunt, illac tranſlatos eſſe, & ibi manere eos qui tranſlati ſunt vſque ad conſummationem. ✠ D Aug. etiã lib. 2. de peccato originali aduerſus Pelagiũ, & Celeſtium cap. 23. licet dicat non perti-

nere ad fidem *Qualis, vel vbi ſit paraſus*, ſubiungit tamen, *Cum tamen eſſe illum paradiſum, fides Chriſtiana non dubitet*. Eſſe ait, non fuiſſe. Et lib. 8. de Gen. ad litteram c. 7. ait: ¶ *Quoniam locus ipſe paradiſi à cognitione hominum eſt remotiſſimus, inde quatuor aquarum partes diuidi credendum eſt ſint fideliſſima ſcriptura teſtatur*. ✠

Tertiò probatur ex communi Patrum cõſenſu. Quidam enim paradiſi pulchritudinem, & delitias ita deſcribunt, vt eum adhuc ſtare, & de re præſenti ſe loqui manifeſtè oſtendant, vt Tertullianus lib. de Iudicio Domini cap. 8. Lactantius Firmian ſeu ſi quis alius eſt Auctor carminis de Phœnice, Marius Victor lib. 1. carminum in Gen. s. Alcimus Auitus lib. 1. de initio mundi, s. Iſidorus lib. 14. Etymol. cap. 13. & D. Damaſcenus lib. 2. fidei cap. 11. Alij docent idcirco in Eccleſia hunc vigere morem, vt ad Oriẽtem conuerſi adoremus, quia in ea mundi parte ſitus eſt paradiſus, vt s. Athanaſius q. 37. ad Antiochum, s. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi Myſtagogica 1. s. Baſilius, & s. Greg. Nyſ. & Seuerus citati à Barcepha lib. de Paradiſo cap. 13. Alij Gangem, Nylum, Tigrim, & Euphratem, etiam hoc tempore ex fonte illo, qui paradiſum irrigabat, & ex ipſo paſadiſo profluere, occultiſque ſub terram cuniculis in diuerſis mundi regionibus conſpicuos fontes apperire dicunt, vt Philoſtorgius apud Nicephorum lib. 9. Hiſt. Eccleſ. c. 19. s. Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 7. Moſes Barcepha lib. de Paradiſo cap. 21. Hu-

go de s. *Victore* Adnotationibus in Gen. 2. Rubertus lib. 2. in Gen. c. 24. & 29. & Theodoretus q. 29 in Gen. Alij denique aſſerunt Henoch, & Eliam nunc ſeruari ſuperſtites in paradiſo, ad finem vſque ſæculi, vt s: Iren. li. 5. in hæreſes c. 5 Auctor nomine s. Iuſtin. Philoſ. & Mart. q. 85. ad Orthodoxos, s. Athanaſius in Epiſt. Quod Nicena synodus ſit recipienda, s. *Victorinus* Martyr. Commentario in Apoc. s. Ephrem Syrus, vt refert Moſes *Barcepha* libro de Paradiſo, cap. 11. S Hieron. epiſt. 61. s. Alcimus Auitus lib. 1. de mundi initio cap 9 & alij. Quos omnes ſequutus D. Thom. noſtram concluſionem aſſerit hic ad 3. & ar. 2. ad 3. & 3. p. q 49. a. 5 ad 2. & in 2. d. 29. q. 1. art. 5. ad 4. Quem Theologi fere omnes ſequuntur.

Ad 1 vero reſpondetur cum D. Thoma art. ſeq ad 3. & 2 2. q. 164. art. 2. ad 4. non fruſtra perſeuerare paradiſum: nam quamuis non ſeruiat homini ad vſum, ſeruit tamen ei ad documentum. ¶ Per huiuſmodi enim oſtenditur benignitas Dei ad hominem, & quid homo peccando amiſerit: quamuis, vt dicitur nunc Henoch, & Elias in illo paradiſo habitent. ✠ Nec eſt mirum ob ſolos duos amicos ſuos, Deum paradiſum ſeruaſſe; nam non noua, & extraordinaria prouidentia, ſed eadem, qua alia, quæ condidit conſeruat, paradiſum ſeruat, & ſi noua foret, non eſt nouum Deo, ſibi dilectos eiuſmodi honoribus illuſtrare.

Ad 2. reſp. negando antece. Ad 1. probat. reſpondet D. Thom. Geneſ. 7. ¶ Quod intel-

ligit de montibus terræ ſpectantibus ad noſtram habitationem miſeram, & non intelligit de paradiſo terreſtri; quia vſque ad ipſum diluuium nō peruenit ſecundum Magiſtrum in hiſtorijs, & Iſidorum in lib. Etymol. ✠ Cuius exceptionis magnum eſt in ſcriptura fundamentum, cum dicat Henoch translatum in paradiſum, conſtetque ex ipſa, Henoch non perijſſe aquis diluuij Ad ſecundam probationem dico, paradiſum locum genuinum eſſe hominum innocentię, & fœlicitati in terris deſtinatum, nec vllo pacto conueniſſe Noe, & filijs qui erant peccato, morti, erūnis vitę obnoxij. At Henoch, & Eliam puros ęternitatis candidatos, miſerijs vitæ exemptos, maximeque myſterijs conſecratos par erat illic degere.

Ad 3. reſpondet D. Th. hic ad 3. ¶ Quod locus ille ſecluſus eſt à noſtra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium, vel marium, vel alicuius ęſtuoſæ regionis, quæ pertranſiri non poteſt. Et ideo ſcriptores locorum de hoc loco mentionem non fecerūt. ✠ Nec eſt, qui de illius inuentione gloriari poſſit. Si in media ferme Hiſpania, prouincia cultiſſima, non ante plurimos annos in profundiſſimis vallibus, editiſſimarum rupium muro conſeptis, nouę gentes, antea ignotę detectæ ſunt, quas *Batuecas* vocant: quæ tam longo tempore occultari potuerūt; quid mirum in ſecretiſſimis vaſtiſſimis Oriētis receſſibus poſſe ſingulari Dei prouidentia, nunc occultum, & ignoratum ſeruari paradiſum? Quo circa quæ de Macario alijsque

rſe-

referũtur, quod ad fores paradiſi peruenerint' vt fabuloſa explodenda ſunt, fabellam proindè iudica, quam refert Ioan. Gonçalez in Itinerario noui orbis c. 18.

ARTICVLVS II.

Vtrum paradiſus fuerit locus conueniens habitationis humanæ.

Concluſio eſt affirmans.

Circa ſolutionem ſecundi aduerte, quod ait D. Thom. cum S. Damaſceno, *In paradiſo nullum irrationabilium habitabat*. Intelligendum eſſe tanquam in loco conuenienti, & in quo liberè poſſet morari, illucque per ſeipſum ingredi: nam locus ille proprius immortalitatis non congruebat animantibus morti, & corruptioni obnoxijs: & vt ait D. Thom. in 2. d. 17 q. 3. art. 2, ad 1. *Non probabile eſt illuc alia animalia peruenire potuiſſe ex ſe ipſis* - Virtute autem diuina, aut operatione dæmonis illuc fuiſſe introducta docet, & patet, nam Deus *Adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea*, Gen. 2. v. 19. Serpens etiam illuc acceſſit per operationem diaboli. Adde etiã potuiſſe hominem ipſum bruta animalia ad tempus in paradiſum inferre: vnde ſi vellet potiri poſſet voluptatibus, & delitijs honeſtis, quæ ex animalibus, & volucribus percipi poſſunt. Quapropter, quod ait D. Auguſt.

lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 11. *Cum duobus illis hominibus maſculo, & fœmina, animalia etiam terreſtria cætera ſubdita, & innoxia verſabantur*. Non pugnat cum doctrina D. Thomæ hic; intelligendum enim eſt, ibi animalia verſari, à Deo, cum ea addnxit ad Adam, introducta, & ad tempus ibi relicta. Eodem modo intelligendum eſt, quod ait D. Baſilius lib. de Paradiſo: *In paradiſo omnia erant auicularum genera, &c. Illic etiam variorum animalium ſpectacula, &c.*

ARTICVLVS III.

Vtrum homo ſit poſitus in paradiſo, vt operaretur, & cuſtodiret illum.

Concluſio eſt affirmans.

PAtet ex illo Gen. 2. v. 15. *Poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum*. Quod, vt hic cum D. Aug. explicat D. Thom. dupliciter poteſt intelligi. Primò, vt Deus Adamum operaretur, ipsũ iuſtificãdo, gratiaq; ſua in dies augẽdo, & ornando; & cuſtodiret ab omni corruptione, & malo. Secundò, vt Adam operaretur; & cuſtodiret paradiſum: operaretur, inquam, ſine labore, ſed potius cum iucunditate propter experientiam virtutis naturæ; cuſtodiret verò, non ab inuaſore, ſed ſibi, ne illum peccando amitteret.

Vtri-

Vtrique expoſitioni obuiare videtur pronomen *Illum*, quod etſi Græcè, ac Latinè ſit ambiguum, & ad hominem, & ad paradiſum referri poſſit; in Hebraico tamen fonte eſt generis fœminini, & nec de Adamo, nec de paradiſo dici poteſt: Sed reſpondetur Scripturam, Hebraice interdum, ſolitam de rebus maſculis, fœminine loqui, & è conuerſo, de fœmineis, maſculine. Aduertunt tamen Hebraicè linguæ periti in eiuſmodi loquutionibus ſubintelligendum eſſe aliud ſuppoſitum fœmineum. Vnde ſi dicamus pronomen *illum* referre paradiſum, qui eſt etiam Hebraicè, videlicet *Gan* maſculini generis, ſubintelligi debet terra, vt ſit ſenſus: vt operaretur, & cuſtodiret eam, nempè terram paradiſi. Si verò dicamus referre Adamum, ſubintelligi debet anima, vt ſit ſenſus: vt operaretur, & cuſtodiret eam, nempè Adami animam, quam Deus præcipuè erat exculturus, & conſeruaturus. Aliqui dicunt myſterium aliquod ibi ſubeſſe, indicarique pronomine fœmineo pulchritudinem, & decorem Adami, vel paradiſi; Hebraica enim lingua myſterio quodam fœmineis pro maſculeis interdum vtitur ad rei præſtantiam ſignificandam. Sic Salomon dicitur *Kobeleth*, hoc eſt, concionatrix, quaſi elegas, ac pulcher concionator, ſolent enim fœminæ eſſe pulchriores. Sic Pſal. 67. v. 12. *Dominus dabit verbum Euangelizantibus.* Heb. *Ham baſroth*, euangelizatricibus; hoc eſt præſtantiſſimis prędicatoribus Euangelij.

ARTICVLVS IV.
Vtrum homo factus fuerit in Paradiſo.

Concluſio eſt negans.

VBi Adam formatus fuit, non explicat D. Thom. hic, Moſes Barcepha lib. de Paradiſ. cap 27. ait: ¶ Quidam putant Deum ex Ieruſalem ſublatum Adamum tranſtuliſſe in paradiſum: nam in Ieruſalem formatum eſſe, vbi, & mortem etiam obierit. ✠ Honorius in Chronico inquit: *Adam primus homo in Hebron à Deo formatus*, Petrus Comeſtor in Hiſtoria Scholaſtica Gen 13. & 24 docet in agro Damaſceno formatum Adam. Cuius ſententiæ innumeri ſunt aſſertores recentiores. Abenexra in 2. Gen. ait: ¶ Terram è qua homo factus eſt, non procul a paradiſo Eden extitiſſe: & ſunt, qui putent hanc eſſe terrã Iſraël: ſed non conſiderant illud: Et factum eſt dum proficiſcerentur ab Oriente ✠ ſatis innuens in Orientis aliqua regione fuiſſe formatum Adam, quod & alij tenent. Sed nobis tutius videtur, quod ait S Anaſtaſius Sinaita Ho. 9: in Hexameron: ¶ Deus infert Adam ex quodam loco ignoto, & qui nec poteſt explicari, nec comprehendi, ſolum nudum, & incompoſitum in paradiſum. ✠ Vnde rectè D. Thom. hic, locum, in quo formatus fuit Adam, inexplicatum reliquit, illum ignorari innuens.

Cir-

Circa ſolutionem tertij aduerte; fuiſſe quorundam opinionem, Heuam extra paradiſum conditam fuiſſe ſicut, & Adam; quam inſinuat Ioſephus lib. 1. Antiq. cap. 1. Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcionem, Rupertus lib. 2. in Geneſ. cap. 22. & alij. Sed melior habetur ſententia, Heuam in paradiſo formatam, quam docent S. Anaſtaſius Sinaita lib. 9 in Hexameron, S. Baſil. lib. de Paradiſo, S. Ambr. lib. de Paradiſo, cap. 4. Diuus Thomas hic, & communiter Theologi.

QVÆSTIO CIII.

De gubernatione rerum in communi.

Circa articulum primum, ſecundum, & tertium, quartum, & quintum nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum omnia immediatè gubernentur à Deo.

Concluſio eſt negans.

LIcèt enim quantum ad rationem gubernationis pertinet, Deus immediatè omnia gubernet; quantum tamen pertinet ad exequutionem gubernationis. Deus gu-

gubernat quædam mediantibus alijs. Vbi aduerte immediate gubernare, hic ſumi pro gubernare ſe ſolo ſecluſo quocunque alio: & quia ratio gubernationis a ſolo Deo eſt, exequutio vero gubernationis eſt à Deo, & ab alijs cauſis; ideò Deus dicitur immediatè gubernare omnia quantum ad rationem gubernationis; non tamen quantum ad eius exequutionem. Quod non tollit huiuſmodi exequutionem eſſe à Deo immediatè, tam immediatione virtutis, quam ſuppoſiti, hoc eſt, Intime. Deus enim licet non ſe ſolo, intimus tamen operatur, & exequitur quod aliç cauſæ operantur, & exequuntur, quam ipſæmet cauſę, quæ ſimul cum Deo concurrunt.

Circa articulum ſeptimum; & octauum vide Caietanum.

QVÆSTIO CIV.

De effectibus diuinæ gubernationis in ſpeciali.

ARTICVLVS I.

Vtrum creaturæ indigeant, vt à Deo conſeruentur.

Concluſio eſt affirmans.

HAnc dicit D. Thom. eſſe, & certam ſecundum fidem, & notam ratione naturali. Primum patet ex illo ad Hebreæ.

bræ. 1.v.3. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Quod explicans D.Chryſoſt hom 2.ait ¶ *Feratque, inquit, omnia, hoc eſt, gubernet omnia. Siquidem cadentia, & ad nihilum tendentia continet.* ✠. Ex illo etiam Sap.11. v.26. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?* Et ex alijs quamplurimis Secundum conuincit ratio articuli, quam optimè explicat Caietanus.

Dubium, An conſeruatio ſit actio diſtincta à creatione.

Partem affirmantem tenent Aureolus, & alij, quos refert Capreolus in 2 d.1 qu.2. ar.2. in arg. Contra 3. & probant 1. Via in terminum, & manutenentia in termino non ſunt eadem actio: ſed creatio habet rationem viæ in terminum, conſeruatio vero manutenentiæ in termino; ergo non ſunt eadem actio. Secundo, Creatio non durat niſi per inſtãs: ſed conſeruatio durat etiam per multũ tempus; ergo non ſunt eadem actio.

Dicendum tamen eſt: Creationem, & conſeruationem eſſe vnam, & eandem actionem ſecundum rem, & ſola ratione diſtingui. Docent hoc Capreol vbi ſupra con.3. Ferrarienſis 3. Contra gent cap 65. & communiter diſcipuli D. Thom

Pars 1. prob. 1. ex D Tho. hic enim ad 4. ait *Conſeruatio rerum à Deo non eſt per aliquam nouam actionem ſed per continuationem actionis, quæ dat eſſe* Et q.5. de potentia artic. 1. ad 2. dicit *Deus non alia operatione producit res in eſſe, & eas in eſſe conſeruat.* Se-

Secundo probatur exemplo adducto à D. Tho. hic ad 4. *Conſeruatio luminis in aere eſt per continuatum influxum a ſole*, non per actionem distinctam à productione luminis, qua aer primo fuit illuminatus: nam quæ eſſet cauſa, vt prima actio ceſſaret, & alia de nouo inciperet? ergo ſimiliter conſeruatio rerũ à Deo non eſt per aliquam nouam actionem, ſed per continuationem actionis qua dat eſſe, nam vt ait D. Tho. hic in corp. *Sic ſe habet omnis creatura ad Deum, ſicut aer ad ſolem illuminantem.* Confirmatur: non eſt alia actio, qua beati primo vident Deum, & qua deinceps in Dei viſione perſeuerant, alias enim prima non eſſet de ſe perpetua, nec eſſet beatitudo ergo nec eſt alia actio, qua Deus primo res producit, & qua deinceps eas conſeruat.

Tertiò probatur ratione ſumpta ex Capreolo vbi ſupra. Creatio, & conſeruatio non diſtinguuntur ex parte principij, nam idem Deus, & per eandem ideam producit & rem productam conſeruat; nec ex parte termini, nam eadem res numero eſt, quæ producitur, & conſeruatur: nec tandem ex temporis interruptione, nam abſque vlla temporis interruptione res poſtquam producta eſt, continuo conſeruatur, ergo non ſunt duæ actiones, ſed vna continuata.

Secunda pars probatur cum Capreolo, & Ferrarienſe vbi ſupra: Creatio ſecundum cõmunem acceptionem in ſua ratione includit nouitatem effectus, non autem conſeruatio: ſimiliter conſeruatio includit in ſua ratione continuationem actionis, & influxus, non

au-

autem creatio : ſed ad hoc requiritur, & ſufficit diſtinctio rationis, ſicut & in effectu denuo producto, & poſtmodum conſeruato : ergo &c.

Ad 1. verò reſpondetur: viam in terminum & manutenentiam in termino, quando ſunt à diuerſis agentibus, aut principijs, non eſſe eandem actionem, vt quando vnus lapidem ſurſum proijcit, & alter eum in ſuperiori illo loco manutenet, quando tamen ſunt ab eodem agente non opus eſt, vt ſint diſtinctæ actiones realiter ſed eadem actio continuata poteſt conſiderari, vt vis in terminum, & manutenentia in termino, & ſic ſe habent creatio, & conſeruatio.

Ad 2. reſpondetur diſtinguendo maiorem: ſecundum rem, & quantum ad ſubſtantiam actionis nego maiorem; eadem enim actio, quæ fit in inſtanti, continuatur tempore ſequenti: ſecundum rationem, nomen, aut connotationem, vt à nobis accipitur cum nouitate eſſendi concedo illam. Hoc tamen ſolum infert diſtinctioné rationis inter creationem, & continuationem; quę ſufficiens eſt vt concedi non debeat rem quamdiù eſt creari propter appellationem conceptus, & rationis creationis. Quamuis non ſit inconueniens dicere ſecundum rem quamdiù eſt fieri à Deo, ſicut, & quamdiù aër lucet, dicitur illuminari à ſole.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus immediatè omnem creaturam conſeruet.

Concluſio eſt negans.

QVæ eodem modo intelligenda eſt, quo concluſio art. 6. queſtionis præcedentis: vndè immediatè conſeruare idem eſt, ac ſe ſolo ſine miniſterio, creaturæ conſeruare. Si enim acciperetur immediatè pro intime, affirmandum eſſet, Deum omnem creaturam immediatè conſeruare, ſicut, & aſſerimus Deum immediatè, & intimè eſſe in omnibus rebus.

Circa ſolutionem primi aduertit optimè Caietanus; res eſſe in duplici ordine; quædam enim ſunt, quibus creari conuenit per ſe, hoc eſt, vt ſi fiant; eorum actio ſit creatio: aliæ verò, quibus creari conuenit per accidens, poſſunt enim fieri per aliam actionem. ¶ Ea, quæ per ſe creantur à ſolo Deo conſeruantur, & in his eſt neceſſariò verum, quod eadem actio eſt conſeruationis, & creationis. Talia ſunt autem ſubſtantię immateriales, & vniuerſaliter ingenerabilia, & incorruptibilia. Ea verò, quę per accidens creantur, non oportet à ſolo Deo conſeruari, & in his conſeruatio non eſt creatio. ✠ Alias enim ſicut non ſolus Deus ea conſeruat, ita nec ſolus ipſe crearet, cum tamen ſup. qu. 45 art 5. oſtenſum ſit, creare ſolius Dei eſſe.

Non,

Nonnulli etiam ex Thomiſtis affirmant, ea quoque, quę Deus mediantibus cauſis creatis conſeruat, aliquo modo ſe ſolo conſeruare, quia putant eſſe, vt dicit exiſtentiā abſolutè, & quatenus per illud res ſunt extra nihil, ita eſſe effectum proprium Dei, vt à ſolo Deo fiat, & conſeruetur; cauſę verò ſecundę ſolum conſeruant eſſe, vt receptum, & limitatum ad eſſe ſpecificum, vel numericum.

Mihi probabilius videtur oppoſitum; aliàs enim ea, quę Deus mediantibus cauſis creatis conſeruat, duplici actione conſeruaret: nam conſeruatio, quæ à ſolo Deo eſt, diſtincta actio eſt ab ea, qua mediantibus creaturis res conſeruat, vt patet in conſeruatione, qua ſe ſolo conſeruat quantitatem ſine ſubiecto in Eucharistia, quę diſtincta; & non actio eſt ab ea, qua ante conſecrationem eandem quantitatem media ſubſtantia panis, vel vini conſeruabat. Præterea D. Thom. hic, vt patet ex argum. *Sed contra*, probat res in eſſe conſeruari à Deo mediantibus cauſis ſecundis, quia mediantibus cauſis ſecundis dat eis eſſe; ergo eſſe earum non eſt, neque conſeruatur à ſolo Deo. Nec valet diſtinctio de eſſe abſolutè, aut limitatè ſumpto: nam ſi eſſe, quod eſt in leone, v. g. abſolutum à ſolo Deo eſſet, & conſeruaretur, ante generationem leonis eſſet, & poſt corruptionem leonis maneret, quod tamen videtur abſurdū, cum res genita abſolutè incipiat eſſe per generationem, & res corrupta abſolutè deſinat eſſe per corruptionem, & non ſit aliquod

eſſe,

eſſe, quod ſit idem in genito, & corrupto. Dicitur quidem res genita eſſe extra nihil, non quia eius eſſe abſolutè ex nihilo productum ſit, non enim habet eſſe niſi genitum; ſed, quia productum eſt ex aliquo, quod originaliter ex nihilo factum eſt. Vnde cauſę ſecundę, quę illud producunt, & conſeruant, licèt proximè, & immediatè ſolum conſeruent illud ne corrumpatur, tamen quaſi remote, & mediatè cõſeruant illud ne redigatur in nihilum. Poteſt quidem Deus illud in nihil redigere ceſſando ab actione, & ſuſpendendo ſuum concurſum; eius tamen actione ceſſante, etiam ceſſaret actio cauſarum ſecundarum, & ex ſuppoſitione conſeruationis à cauſis ſecundis, neceſſitatur Deus ad nõ ſuſpendendum ſuum coucurſum. Quomodo autem eſſe dicatur effectus proprius Dei, diximus ſup. q. 45. art. 5. cum Caietano, & Ferrarienſe.

Circa art. 3. & 4. vide Caietanum.

QVÆSTIO CV.

De mutatione creaturarum à Deo.

Circa articulum primum, & ſecundum nihil ſe offert ſcribendum.

AR-

ARTICVLVS. III.

Vtrum Deus moueat immediatè intellectum creatum.

Concluſio eſt affirmans.

DEus dicitur mouere intellectum, inquit D Thom ¶ Inquantum dat ei virtutem ad intelligendum, vel naturalem, vel ſuperadditam, & inquantum imprimit ei ſpecies intelligibiles. ✠ Vbi aduertit Caietanus. ¶ Quod lumen infuſum non numeratur inter ſpecies, ſed inter virtutes intellectiuas, quia non ſe habet, vt ratio intelligendi, ſed vt efficaciam præſtans intellectui, confortando, & eleuando ipſum. ✠ Quod tu benè nota pro his, quæ ſupra q.12. art.5. dubio 3. diximus de lumine gloriæ, non eſſe, ſcilicet ſpeciem impreſſam diuinæ Eſſentiæ.

Circa articulum quartum, vide quæ dicemus 1.2. q.9. art.4.

Circa articulum quintum, & 6.7.& 8. nihil ſe offert dicendum.

QVAE-

QVÆSTIO CVI.

Quomodo vna creatura aliam moueat, & de Angelorum illuminatione.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnus Angelus illuminet alium.

Concluſio eſt affirmans.

QVomodo vnus Angelus alium illuminet, explicat optimè D. Thomas; & ait: ¶ Vnus Angelus dicitur illuminare alium, in quantum ei manifeſtat veritatem, quam ipſe cognoſcit. ✠ Hocque fieri ſubdit: ¶ Primò quidem fortificando virtutem intellectiuam eius. Secundò autem vnus Angelus alteri manifeſtat veritatem ex parte ſimilitudinis intellectæ. ✠

Dubium. Quomodo vnus Angelus alium illuminet confortando virtutem intellectiuam eius.

QVidam putant D. Tho. ſentire, Angelum illuminantē confortare illuminatū virtute aqliua agente in illum, aliquidq; in illo imprimendo, & probant 1. nam D. Tho. aper-

tè

tè dicit, in illuminatione Angelorum duo eſſe, nempè corroborari lumen intellectus, & proponi veritatem, ſeu obiectum: at ſi corroborari lumen intellectus crtum haberet ex veritatis propoſitione, hæc duo non distingueret, ergo, &c.

Secundo: Nam infra q. 117. art. 1. oſtendens D. Thom. quomodo poſſit vnus homo ab alio edoceri, inquit, dupliciter hoc fieri: primum proponendo ei aliqua, quibus paulatim deduceretur ad cognitionem ignotæ veritatis, deinde corroborando intellectum eius. *Non quidem aliqua virtute actiua quaſi ſuperioris naturæ ſicut ſupradictum eſt de Angelis illuminantibus*. Sentit igitur intellectum Angeli inferioris corroborari à ſuperiore virtute aliqua ſuperioris agente in inferiorem.

Dicendum tamen eſt: Vnum Angelum alium illuminare, & confortare intellectum eius ſola veritatis propoſitione abſque aliqua virtute, quæ agat in ipſum, ſicut, & inter homines contingit. Probatur ex D. Th. q. 9. de *V*erit. art. 1. vbi ſic ait; ¶ Nihil eſt aliud Angelum ab Angelo illuminari, quam confortari intellectum inferioris Angeli per aliquid inſpectũ in ſuperiori ad alia cognoſcenda. ✠ Et ad 2. inquit, ¶ Ab Angelo illuminante non fit nouum lumen gratiæ vel naturæ niſi, vt participatum. Cum enim omne, quod intelligitur ex vi intellectualis luminis cognoſcatur, ipſum cognitum in quantum huiuſmodi includit in ſe intellectuale lumẽ, vt participatum, ex cuius virtute habet intellectum confortare, ſicut patet quando magiſter

giſter tradit diſcipulo aliquod medium alicuius demonſtrationis, &c. Vnde per hoc, quod ſuperior Angelus ſuum cognitum alteri Angelo demonſtret, eius intellectus confortatur ad alia cognoſcenda, quę prius non cognoſcebat. ✠ Quid clarius? Vide etiam Caietanum hic.

Ad 1. verò reſpondetur: duo illa etiam diſtingui à D. Thoma infra q. 117 art. 1 in illuminatione qua vnus homo alium illuminat, & docet, & tamen tunc confortatio nõ fit virtute aliqua magiſtri agente in diſcipulum, ſed veritatis propoſitione. Obiecti enim propoſitione duobus modis poteſt fieri illuminatio tam in nobis quam in Angelis. Primo cum proponitur obiectum illuſtratum à ſuperiore, hoc eſt, tali ordine, & modo digeſtum, & diſpoſitum, vt ab inferiori percipi poſſit, & tunc illuminatio fit confortatione virtutis intellectiuæ inferioris, eo quod hæc corroboratur per lumen contentum in obiecto participatum à lumine intellectus ſuperioris. Secundò cum obiectum proponitur abſque illuſtratione ſuperaddita ab intellectu ſuperioris cum ſola particularizatione, & diuiſione conceptuum habilium, vt participatur: & tunc illuminatio dicitur fieri ex parte ſimilitudinis intellectæ, ſeu conceptus; hæc autem duo diſtincta eſſe conſtat.

Ad ſecundum reſpondetur: differentiam quam ibi D. Thom. conſtituit inter corroborationem intellectus hominis, & Angeli, non eſſe, quia vna fiat aliqua virtute actiua, altera non; vtraque enim fit virtute actiua con-

tenta in ipſo obiecto: ſed quia vna fit virtute actiua ſuperioris naturæ, altera non. Ex quo ſequitur Angelum ſuperiorem poſſe manifeſtare inferiori aliquid per ſe illi ignotum, & lumini eius præcisè ſumpto improportionatum; magiſtrum verò homini diſcipulo ſolum per accidens ignotum.

Circa articulum ſecundum, tertium, & quartum, vide Caiet.

QVAESTIO CVII.

De locutionibus Angelorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnus Angelus alteri loquatur.

Concluſio eſt affirmans.

SEcundum fidem certam eſſe patet ex multis Scripturæ locis, præſertim Iſaię 6. v. 3. Zachariæ 2. v. 4. Epiſt. Iudæ verſ. 9. Apoc. 1. v. 2. Locus adductus à D. Thoma in argum. *Sed contra*, Ex 1. Cor. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, optimus eſt: nam, vt D. Chriſoſt. ibi hom. 32. ait: *Linguā Angelorū dicit, qua vtuntur inter ſe ipſi* Quomodo fiat iſta locutio, his verbis explicat D Thom. ¶ Ex hoc quod conceptus mentis angelicæ ordinatur ad manifeſtandum al-

teri per voluntatem ipſius Angeli, conceptus mentis vnius Angeli innoteſcit alteri. Et ſic loquitur vnus Angelus alteri. Nihil eſt enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifeſtare. ✠

Dubium. An his verbis rectè explicet D.Thom. modum, quo vnus Angelus alteri loquitur.

PArtem negantem quidam tenent, & probant 1. Quia difficilè eſt ſola voluntate loquentis Angeli ſecretum voluntatis, ſeu intellectus, quod antea omnino ignotum erat, alteri Angelo, nulla facta in eo mutatione, nec aliqua re in ipſo Angelo loquente, aut audiente producta, fieri manifeſtum: nam res aliqua in ſe omnino immutata eodem modo comparatur cum intellectu nunc & antea: mirabile namque eſſet, ſi propter reſpectum aliquem extrinſecum, quem ex voluntate acciperet, fieret intelligibilis.

Secundo: Etiam ſi verum eſſet ſecretum cordis poſt voluntatem, & ordinationem voluntatis manifeſtum fieri Angelo; in hoc tamen modo aperiendi ſecretum non ſeruaretur vera ratio locutionis: nam locutio non eſt actus voluntatis, ſed intellectus exprimentis aliquid.

Si dicas locutionem Angelorum eſſe conceptum ipſum, quem habent occultum in mente ſua, prout iam manifeſtus eſt ordinatione volontatis. Contra, nam conceptus

ille,

ille, prout ſit manifeſtus ex affectu voluntatis ordinantis, non eſt expreſſio ipſa, & ſignificatio, quæ eſt de ratione locutionis, ſed potius eſt res expreſſa, & locutione ipſa ſignificata, nulla igitur via vera ratio locutionis poteſt defendi.

Dicendum tamen eſt: Prædictis verbis optimè à D. Thoma explicari modum, quo vnus Angelus alteri loquitur: Vt hoc pateat opus eſt prædicta verba, & omnia in eis contenta explicare, & intelligere.

Primum eſt: locutionem vnius Angeli cũ altero eſſe ordinationem conceptus mentis angelicæ ad alterum Angelum; per quod diſtinguit hanc locutionem ab ea, qua Angelus loquitur ſibi ipſi, & nihil aliud eſt, quam mentis conceptio, vel conſideratio, qua verbum mentis producitur, ait enim S. Doctor: *Quando mens conuertit ſe actu conſiderandum, quod habet in habitu, loquitur aliquis ſibi ipſi: nam ipſe conceptus mentis interius verbum vocatur*. Locutio verò vnius Angeli cum altero eſt ordinatio conceptus mentis angelicæ ad alterum Angelum, vnde de formali dicit ordinationem; conceptum verò mentis de materiali.

Secundum: Hanc ordinationem eſſe ad manifeſtandum alteri; per quod locutio vnius Angeli cum altero diſtinguitur à locutione Angeli cum Deo, quę non ordinatur ad aliquid manifeſtandum Deo, nam omnia nouit; vnde D. Thom. hic art. 3. ad 1. ait: *Locutio non ſemper eſt ad manifeſtandum alteri.*

Tertium: Per voluntatem ipſius Angeli eſ-

ſe hanc ordinationem conceptus. Quod non ita intelligendum eſt, vt hæc ordinatio ſit à voluntate tanquam eliciente, ſed quia eſt ab ea tanquam mouente: nam vt ait D. Thom. 1.2. q. 17. art. 2. *Ordinare eſt proprius actus rationis*, & 2. 2. q. 83. art. 1. probat orationem non eſſe actum voluntatis, ſed rationis, quia *Petare, ſiue deprecari ordinationem quandam importat. Vnde pertinent ad rationem cuius eſt ordinare.* Ordinatio ergo conceptus mentis ad manifeſtandum alteri, quæ eſt locutio vnius Angeli cum alio, actus intellectus eſt, preſuppoſito tamen actu voluntatis, vt de imperio, & oratione dicemus locis citatis.

Quartum: Conceptu mentis ita ordinato, innoteſcere alteri Angelo talem conceptum. Hoc ita explicat S. Doctor in ſolutione primi: ¶ In nobis interior mentis conceptus, quaſi duplici obſtaculo clauditur. Primò quidem ipſa voluntate quæ conceptum intellectus poteſt retinere interius, vel ad extra ordinare, &c. Secundò autem clauditur mens hominis ab alio homine per groſſitiem corporis. Vnde cum etiam voluntas ordinat conceptus mentis ad manifeſtandum alteri non ſtatim cognoſcitur ab alio, ſed oportet aliquod ſignum ſenſibile adhibere, &c. Hoc autem obſtaculum non habet Angelus. Et ideo, quam cito vult manifeſtare ſuum conceptum, ſtatim alius cognoſcit. ✠ Quod non ita intelligendum eſt, vt ſolo actu voluntatis manifeſtet, ſed ſenſus eſt: quam citò vult manifeſtare ſuum conceptum ordinando illum alteri per intellectum ex impe-

rio,

rio, & motione voluntatis; ordinatio enim ipſa conceptus quæ fit ab intellectu practico eſt conceptus manifeſtatio. Quod etiam dicit: *Voluntas ordinat conceptum*, eodem modo intelligendum eſt, quo in corpore articuli dicitur, per voluntatem conuerti mentem ad conſiderandum actu; quia ſcilicet voluntas mouet ad hoc. Et hoc etiam modo intelligendum eſt, quod nos diximus ſupra q. 12. art. 8. dubio 2. ad 4.

Quintum. *Et ſic loquitur vnius Angelus alteri*; Quod probat: *Nihil eſt enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifeſtare*; ſed ex eo, quod vnus Angelus ordinat conceptum ſuę mentis ad manifeſtandum alteri, illi talem conceptum manifeſtat; ergo ſic vnus Angelus loquitur alteri, nempè ordinando ſuum conceptum ad manifeſtandum illum ipſi. Quod argumentum ſuppoſitis præmiſſis euidens eſt.

Deindè probatur concluſio: quia nō poteſt aſſignari alius modus, quo vnus Angelus alteri loquatur. Quod enim ait Scotus in 2.d. 9.q 2. vnum Angelum loqui alteri efficiendo in illo auditionem, falſum eſſe patet: nam hæc auditio eſt actio vitalis, & reuera intellectio, quę poſtulat produci à principio intrinſeco in quo eſt.

Quod etiam dicunt alij vnum Angelum alteri imprimere ſpeciem notitię, quam ipſe de re aliqua habet, & ſic cum iſto loqui, eſt contra D,Thom. q 9 de verit art. 6. ad 4. dicentem: *Angelus ad quem fit locutio non recipit aliquid à loquente, ſed per ſpecies quas tenet ſe*

habet, & alium Angelum, & locutionem eius cognoſcit. Et prætereafalſum eſſe probatur: nam ſi Angelus immediatè, & ſeipſo produceret ſpeciem in intellectu alterius Angeli, ibi eſſet realiter, nam ibi eſt vbi operatur, & in mentem alterius illaberetur. Si verò talem ſpeciem produceret medio obiecto, Angelus eam recipiens intelligeret per ſpeciem non inditam à Deo, ſed à re, ſeu obiecto acceptam, quod ſupra qu.55. artic.2. impoſſibile eſſe oſtendimus.

Quod denique dicunt nonnulli, locutionē hanc fieri, conceptu vno reflexo alium explicando, falſum eſſe oſtendo: Tum, quia conceptus ille reflexus non eſt minus occultus, quam alius: illo enim interius poteſt Angelus ſibi ipſi loqui dicens, hoc nunc concipio, hæc in mente habeo, quin alijs manifeſtet. Tum etiam, quia non oportet omnem locutionem eſſe actum reflexum; poteſt enim Angelus loquendo manifeſtare, & dicere, non ſolum ſe aliquid concipere, ſed etiam alios aliquid agere.

Ad 1. verò reſpondetur: falſum eſſe, ſola voluntate loquentis Angeli ſecretum voluntatis, ſeu intellectus fieri manifeſtum: nam, vt diximus, ordinatio conceptus ad manifeſtandum alteri actus intellectus eſt, & à voluntate ſolum eſt tanquam à mouente ad talem ordinationem, quæ ordinatio, cum per voluntatem, quam pręſupponit ſit ablatum impedimentum voluntatis retinendi conceptum interius, illum alteri manifeſtat, immo ipſe conceptus manifeſtatio eſt, ac proinde

locutio, quæ ad ſecretum mentis non ſpectat, ſed potius eſt qua ſecretũ fit alteri manifeſtũ.

Ad 2. reſpondetur: poſt voluntatem manifeſtum fieri Angelo ſecretum cordis, non ex vi actus voluntatis formaliter, ſed ex vi ordinationis, quæ eſt actus intellectus præſuppoſito actu voluntatis, vt diximus. Sicut autem de imperio, & oratione ait D. Thom. 2.2 q 83. art. 1. ad 3. neceſſe ſimplicem apprehenſionem, nec compoſitionem, aut diuiſionem, nec diſcurſum, aut ratiocinationem, quia iſti tres actus pertinent ad rationem ſpeculatiuam. *Sed vlterius ad rationem practicã pertinet cauſare aliquid per modum imperij, vel per modum petitionis*. Idem dicendum eſt de ordinatione prædicta, quæ ipſa locutio eſt, eſſe ſcilicet actum rationis practicæ: quo ſuũ conceptum vnus ordinat ad alterum, illique manifeſtat. Vnde concedendum non eſt locutionem eſſe conceptum ipſum: nam ſicut oratio imperatiua, teſte D. Thom. 1. Periher. lect 7. *Non ſignificat ipſum conceptum intellectus, in quo eſt verum, vel falſum, ſed quendam ordinem ad hoc conſequentem*. Ita, & locutio formaliter non ſignificat ipſum conceptum mentis, ſed quendam ordinem hoc eſt, actum rationis practicæ, quo talis conceptus ordinatur ad manifeſtandum alteri, ſicque innoteſcit illi. Si quis autem velit locutionem appellare conceptum mentis, vt ordinatum non repugnabimus, ſi tamen per ordinationem intelligat eam quæ eſt actus intellectus, præſuppoſito actu voluntatis, hoc enim etiam denotat, quod formale eſt in lo-

cutione, eſſe talem ordinationem, conceptum autem ſolum importari, vt quid materiale. Quamuis autem in nobis res expreſſa, & ſignificata locutione vocali ſit non ſolum conceptus obiectiuus, ſed etiam formalis intellectus, vt diximus ſupra q. 16. art. 1. dub. 1. in Angelis tamen ſibi inuicem loquentibus mentali locutione res expreſſa, & ſignificata locutione, non eſt conceptus formalis. ſed obiectiuus, niſi forte in locutione, quæ fit per conceptus reflexos, vt ſi vnus Angelus dicat alteri. nunc oro, vel contemplor; tunc enim conceptus formalis orationis, vel contemplationis ſignificatur, vt tamen habet rationem obiecti conceptus reflexi.

An verò in locutione Angelorũ ſit aliquod ſignum, non quidem ſenſibile, ſed intellectuale, explicat D. Thom. q. 9. de verit. art. 4. ad 4. dicens: ¶ Communiter poſſumus ſignum dicere, quodcunque notum, in quo aliquid cognoſcitur, & ſecundum hoc forma intelligibilis poteſt dici ſignum rei, quę per ipſam cognoſcitur. Et ſic Angeli cognoſcunt res per ſigna Et ſic vnus Angelus per ſignum alij loquitur, ſcilicet per ſpeciem in cuius actu intellectus eius ſit in ordine ad alium. ✠ Et ni fallor ſpecies hæc eſt illud naturaliter notum in vno Angelo, ab alio, quod idem D. T. in 1. d. 11. q. 2. art. 2. in corp & ad 2. ait: eſſe ſignum non ſenſibile, ſed intellectuale expreſſiuum interioris conceptus; nam ſpecies intellectus Angeli vnius exiſtentes naturaliter cognoſci ab alio, conſtat ex eodem S. Doctore ſupra q. 57. art. 4. ad 2. Cum autem An-

ge-

gelus conceptum ſuę mentis coordinat alicui earum ſpecierum,quas habet, vt illum alteri manifeſtet, talis ſpecies *fit ſignum expreſſiuum interioris conceptus.*

Circa ſolutionem tertij aduerte, quod in ea dicitur: ¶ Sicut per ſignum ſenſibile excitatur ſenſus, ita per aliquam virtutem intelligibilem poteſt excitari mens Angeli ad attendendum. ✠ Non eſſe intelligendum, vt optimè docet Caietanus, de virtute, quæ ſit aliqua ſpecialis intentio habens vim excitatiuam ad audiendum, ſed de vi excitatiua,quę eſt in ipſa intellectuali locutione. ¶ Ordinatio enim ipſa(ait Caietanus) conceptus ad alterum, vt videatur, habet in ſe virtutem exercitatiuam ea ratione, quia facit hunc conceptum eſſe de pertinentibus ad illum, cui loquitur. ✠ Quę etiam videtur eſſe doctrina Diui Thom in 2.d.11 qu.1.art.3.ad 4. vbi ſic ait: ¶ Quam cito vnus Angelus ordinat locutionem ſuam ad alterum, efficitur locutio eius de pertinentibus ad illum, & ita ab eo cognoſcitur: ✠ Fit autem excitatio ad attendendum non per aliquid receptum in mente Angeli audientis cauſatum ab Angelo loquente, ſed per propoſitionem obiecti: vnde quædam moralis cauſalitas dicitur à nonnullis.

Circa articulum 2.& 3.vide Caietanum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum localis diſtãtia operetur aliquid iu locutione angelica.

Concluſio eſt negans.

CVm locutio angelica in intellectuali operatione conſiſtat, quæ omnino abſtracta eſt à loco, & tempore in ea nullum impedimentum facit diſtantia loci, ſicut nec hæc impedit, quin vnus angelus alium videre poſſit.

ARTICVLVS. V.

Vtrum locutionem vnius Angeli ad alterum omnes cognoſcant.

Concluſio eſt negans.

RAtio eſt: quia conceptus mentis vnius Angeli percipi poteſt ab altero, quia ille, cuius eſt conceptus ſua voluntate ordinat ipſum ad alterum, modo art. 1. explicato: ſed poteſt ex aliqua cauſa ordinari aliquid ad vnum, & non ad alterum, ergo poteſt conceptus vnius ab aliquo vno cognoſci, & non ab alijs.

Queſt. 108. & 109. vide apud D. Thom.

QVAE-

QVÆSTIO CX.

De præſidentia Angelorum ſuper creaturam corporalem.

ARTICVLVS I.

Vtrum creatura corporalis adminiſtretur per Angelos.

Concluſio eſt affirmans.

VEritas hęc oſtenſa eſt Iacob cum Gen. 28.v.12. *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen eius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalę.* Nam, vt Theodoretus, q.82. in Gen. & alij explicant ſcala Dei omnium prouidentiam ſignificabat, Angeli vero miniſterium diuinum declarabant: ¶ Docetur enim (inquit Theodoretus) nihil negligenter, & ſine cura ab omnipotentis Deo adminiſtrari: ſed ipsũ omnia diſpenſare, ſanctorum Angelorum vtentem miniſterio.

Vtrum materia corporalis obediat Angelis ad nutum.

Concluſio eſt negans.

MAteriam corporalem obedire Angelis ad nutum eſt Angelos poſſe in materia producere formas immediatè. Cum autem forma propriè non fiat, ſed cõpoſitum. hocque non fiat niſi à compoſito ſimili ſibi, aut ab eo, in cuius virtute eſt totum compoſitum, & quantum ad materiã, & quantum ad formam, quod eſt proprium Dei, *Omnis inf rmatio materiæ, vel eſt à Deo immediatè, vel ab aliquo agente co porali, non autem im..ediatè ..b A..gelo*. Quod non ſolum intelligendum eſt de omni informatione ſubſtantiali, ſed etiam de accidentali, vt colligitur ex ſolutione primi huius articuli, & primi, & ſecundi articuli ſequentis, & ex eodem S Doctore in ..d. 7 q. 2 art. 1. vbi ſic ſcribit: *Dæmones virtute propria ..ullam firmam in materiam infl ere poſſ..nt, nec accidentalem*. Verum qui, idem D Thomas in 1. d 37 q. 3. art. 1. aſſerit: *Angelus eſt in loco in quantum operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel lumen, vel aliud huiuſmodi*. Ideò à nonnullis interpretatur de formis accidentalibus, quæ ſubſtantiales per ſe conſequuntur, & concomitantur, vel ad eas diſponunt; nam hę ſunt, quæ ad productionem compo-

ſiti

ſiti fiunt, A Ferrarienſe verò 3. Contra gentes, cap. 68. §. *Ad primum*. interpretatur ſic: ¶ Intelligitur de tranſmutatione ad formam omnino materialem, non autem de tranſmutatione ad formam aliquo modo ſpiritualem. Hanc enim poteſt Angelus producere. ✠ Vide D. Thom. quæſt. 16. de malo, articulo 9.

ARTICVLVS III.

Vtrum corpora obediant Angelis ad motum localem.

Concluſio eſt affirmans.

ADuertendum tamen eſt, quod ait D. Thom. queſt. 16. de Malo, art. 10. ad 8. *Non eadem vis ſufficit ad mouendum totum, quæ mouet partem. Vnde licèt dæmones poſſint mouere aliquam partem terræ, non ſequitur, quod poſſint mouere totam terram, quia hoc non eſt proportionatum naturæ ipſorum, vt mutent ordinem elementorum mundi.* Vide S. Doctorem ibi.

Circa articulum quartum nihil ſe offert dicendum.

Quæſtionem III. vide apud D. Thomam, & Caietanum.

QVAESTIO CXII.

De miſsione Angelorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angeli in miniſterium mittantur.

Concluſio eſt affirmans.

ARTICVLVS II.

Vtrum omnes Angeli in miniſterium mitantur.

Concluſio eſt negans.

OPinionem, quam hic refert D. Thom. ¶ Quod ſecundum cõmunem legem ſuperiores non mittuntur ſed inferiores tantum. ſed ex aliqua diſpenſatione diuina interdum etiam ſuperiores mittuntur. ✠ Durandus in 2. d. 10. q. 1. num. 7. ſatis rationabilem eſſe dicit, illamque nonnulli tenent, & probant; Primo, nam Lucæ 1. verſ. 26. dicitur: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, &c.* Sed Gabriel eſt vnus de ſuperioribus, vnde D. Bernardus hom. 1. ſuper Miſſus eſt ait: *Non arbitror hunc Angelum de minoribus eſſe, qui quali-*

qualibet ex cauſa crebra ſoleant ad terras fungi legatione, ergo &c.

Secundo, Daniel. 10, ver. 13. dicitur: *Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum*. Hic autem vtrumque, aſſeritur nempe Michaelem eſſe de ſuperioribus Angelis, & eſſe miſſum; ergo &c.

Tertio. Tobię 12. v. 24. dicitur: *Miſit me Dominus, &c. Ego ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum*. Sed hi ſeptem erant Angeli ſuperiores, vt colligitur ex Apoc. 1. v. 4 ergo &c.

Sed hęc opinio Diuo Thomę non videtur rationabilis. Tum quia, ¶ Ordo angelicus attenditur ſecundum dona gratiarum, ordo autem gratiæ non habet alium ſuperiorem ordinem propter quem prętermitti debeat: ſicut prætermittitur ordo naturę propter ordinem gratiæ. ✠ Tum etiam quia ¶ Nihil eſt ita magnum in myſterijs diuinis, quod per inferiores ordines exerceri non poſſit. Vnde Gregorius dicit, quod, qui ſumma annuntiant, Archangeli vocatur. Hinc eſt quod ad Mariam Virginem Gabriel Archangelus mittitur. Quod tamen fuit ſummum inter diuina myſteria. ✠

Vnde concludit S. Doct. *Et ideo ſimpliciter dicendum eſt cum Dionyſio, quod ſuperiores Angeli nunquam ad exterius miniſterium mittuntur*. Hanc D. Dionijſij ſententiam refert, & ſequitur D. Gregor. hom. 14. in Euangelia. Quidam ex diſcipulis D. Thomę dicunt cum veritate huius ſententiæ ſtare, quod Christo in cœlum aſcendenti miſſi ſunt etiam ſpiritus

ſupre-

ſupremæ Hierarchię, vt illi exhiberent famulatum. Nam S. Tho. Greg. & Dionyſ. loquuntur de miſſione, qua Ang. li mittuntur ad ſalutem hominum, & cum in Chriſto ſit ordo vnionis hypoſtaticæ, qui eſt ſuperior ordini gratiæ propter illum prætermitti potuit ordo angelicus, qui attenditur ſecundum dona gratiarum. Sed ſi hoc concedatur, neſcio cur non ſit etiam dicendum, Angelos, qui poſt Chriſti tentationem in deſerto acceſſerunt, & miniſtrabant ei, Matth. 4. v. 11 & qui Chriſtum in agone paſſionis poſitum confortauit, Lucæ 22. v. 43. fuiſſe ſupremæ Hierarchiæ, niſi forte ſtatus Chriſti triumphantis, vel patientis differentiam hanc efficiat.

Ad 1. vero reſpondetur, Gabrielem non eſſe de minoribus, quia non eſt de infimo ordine Angelorum, qui minima nuntiant, ſed de ſecundo ordine Archangelorum; qui ſūma nuntiant, vt cum D. Gregor. hic docet D. Thom. Item non eſſe de minoribus ſecundi ordinis: nam, vt credit D. Bernardus epiſtola 77. ad Hugonem, Gabriel fuit Angelus cuſtos B. Virginis Mariæ, decuit autem, vt ad cuſtodiam eius, quæ ad ſummum gradum gratię, & gloriæ fuit à Deo electa, deputaretur ſummus Archangelus.

Ad 2. reſpondetur: Michaelem dici vnum de Principibus primis, non quia ſit Angelus ſupremi ordinis, aut Hierarchiæ ad ſecundum enim ordinem tertiæ Hierarchię ſpectat, ſed quia Archangeli, quorum vnus eſt Michael, dicuntur Principes Angelorum, vt

vt docet D. Th. art. 3. vnde D. Hier. in locum citatum Dan. 10. ait: *Principes autem primos Archangelos intelligimus*. Vel quia eſt vnus de Angelis, qui velut Principes vniuerſę terræ pręfecti ſunt, qui olim conſtitutus fuit Princeps Synagogæ, & modo præſidet Eccleſiæ Chriſtianę. Quidam duos Michaeles conſtituunt: alterum dicunt eſſe ſupremum omnium Seraphinum, & primarium Ducem cœleſtis militię in Eccleſia Triumphante. Alterum Archangelum, & ſupremum Ducem in Eccleſia Militante: & vtrique ſub hoc nomine Michaelis feſtum celebrari ab Eccleſia. Verum ad hoc aſſerendum nihil eſt, quod cogat.

Ad 3. reſpondent quidam: Raphaelem dici vnum ex ſeptem, hoc eſt vnum ex multis Angelis, qui aſtant ante Dominum videntes faciem Dei ſemper; teſte enim D. Greg. hom. 33. in Euangelia, *Septenario numero vniuerſitas figuratur*. Alij dicunt fuiſſe vnum ex ſeptem Angelis, qui velut Principes vniuerſæ terræ præfecti ſunt, de quibus mentio fit Apoc. 5 v. 6. & cap. 8. v. 2. & cap. 15. v. 1. & cap. 16. v. 1. & cap. 17. v. 1. Nec cap. 1. v. 4. ſignificatur hos ſeptem ſpiritus eſſe de ſuperioribus Angelis primæ Hierarchiæ: nam ibi nonnulli putant per ſeptem ſpiritus ſignificari Spiritum ſanctum ob ſeptem eius dona, & multiplicem gratiam, eodem pacto quo ſupra: q. 65. art. 3. diximus Deum plurali nomine Hebraico *Elohim* appellari, ob magnitudinem diuinæ poten-

tentiæ. Et quamuis de Angelis creatis ſit ſermo, gratiam, & pacem prius ab eis deprecatur Ioannes, quam à Chriſto, vt oſtenderet Chriſtum ſecundum humanitatem minorem fuiſſe Angelis, aut, quia de Chriſto poſtea loquuturus, illum vltimo loco commemorare voluit.

Circa articulum 3. & 4. nihil ſe offert ſcribendum.

QVAESTIO CXIII.

De cuſtodia bonorum Angelorum, & impugnatione malorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum homines cuſtodiantur ab Angelis.

Concluſio eſt affirmans

CErta eſt ſecundum fidem: colligitur enim ex ſacra Scriptura, tam ex veteri, quam ex nouo teſtamento præſertim ex illo Pſal. 9[illegible]. v. 11 *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te.* Et ex illo Matth. 18 v. 10. *Angeli eorum, &c.* Illam etiam multi ex Philoſophis docuerunt, fortaſse ab Hebræis edocti: aut certè ratione naturali ducti, qua ſcilicet hic vtitur D. Thom.

Quia

Quia ſecundum rationem diuinę prouidentiæ mobilia, & variabilia per immobilia, & inuariabilia mouentur, & regulantur, vt corporalia per ſpirituales ſubſtantias, & corpora inferiora per ſuperiora; ſed in rebus agendis cognitio, & affectus hominis multipliciter variari, & deficere poſſunt à bono; ergo neceſsarium fuit, vt hominibus Angeli ad cuſtodiam deputarentur, per quos regularentur, & mouerentur ad bonum.

Ob quam etiam rationem diſcipuli Diui Thomę hic veroſimilius eſſe exiſtimant, homini condito in puris naturalibus, deſignandos fore Angelos ad eius cuſtodiam. Nec obſtat (inquiunt) quod dicitur ad Heb. 1. v. 14. Angelos mitti, *propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Qualis non foret homo conditus in puris naturalibus. Reſpondent enim Paulum loqui de ordine inſtituto à Deo de facto, & illam dictionem, *Propter*, non denotare totalem cauſam, ſed congruentiam optimam, quæ de facto conſideranda eſt. Tunc autem, licèt non ad hunc effectum capiendæ ſalutis æternæ, ad cuſtodiendum tamen hominem in finem ſibi cõnaturalem, tollendo impedimenta, exortando ad virtutum officia, mitterentur Angeli.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſinguli homines à ſingulis Angelis cuſtodiantur.

Concluſio eſt affirmans.

SI de iuſtis hominibus ſit ſermo, adeò certa eſt concluſio, vt eius oppoſitum manifeſtus error in fide cenſeatur; non ſolum propter perpetuam traditionem Eccleſię, ſed etiam propter teſtimonia Scripturæ ſacræ art. præced. citata. Illud enim Pſ. 90. v. 11. *Angelis ſuis mandauit de te, &c.* Non ſolum ab Expoſitoribus Catholicis, ſed etiam Hebræis exponitur ad litteram de quolibet ſeruo Dei, qui eidem per veram charitatem adhęret, vt docet Burgenſis in additione ad illum Pſalmum. Illud etiam Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum, &c.* de puſillis, qui in Chriſtum credunt, fuit dictum à Chriſto.

Caietanus in hunc locum Matthæi exiſtimat, ex hoc textu non haberi ſingulos puſillos credentes in Chriſtum habere ſingulos Angelos, ſed ad eius verificationem ſufficere, multos eſſe, Angelos eorum, hoc eſt multitudinis eorum, Sanctus tamen Chryſoſt. ibi hom. 60. & in cap. 1. Epiſt. ad Coloſſen. hom. 3. ex illo manifeſſum eſſe docet, ac liquere omnes ſanctos, & vnumquemque credentium Angelum habere, & ſecundum numerum fidelium eſſe numerum Angelorum. Et quamuis verba textus non co-

ge-

gerent (vt faretur Catherinus Caietanum impugnans, quorum verba refert Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliot. Annot 77.) in dubium tamen vocari non debet, cũ non repugnent, ſed magis conſentiant,& hinc Theologi dogma iſtud accipiant, faueatque communis opinio,quæ pro comperta habebatur, iuxta quam loquuti ſunt, qui Act. 12. v. 15. pulſante Petro ianuam quidam dixerunt, *Angelus eius eſt*, iuxta quam etiam Chriſtus quaſi de re comperta loquutus eſt.

Si de fidelibus peccatoribus ſit ſermo, oppoſitum concluſionis cenſetur à multis pluſquam temerarium, non tamen error manifeſtus; quia aliqui SS. Patres inſinuant Angelum cuſtodem recedere ab homine peccatore; in illud namque Pſal. 33. *Immittet Angelus Domini, &c.* inquit S. Baſil. *Omni in Chriſtum Credenti Angelus aſſiſtit, niſi nos illum ob noſtra peccata abſterreamus. Velut enim fumus apes fugat, & fœtor columbas expellit: ſic Angelum vitæ noſtræ cuſtodem, tenebroſum ſeculentumque peccatum.* Et in Pſal. 37. illud v. 13. *Et qui iuxta me erant, a longè ſteterunt.* Explicat de Angelis bonis Dei miniſtris hominum cuſtodibus. Et quamuis hoc in bono ſenſu explicetur à D. Thom. hic art. 6. hic tamen modus loquendi ab errore manifeſto excuſat ſententiam aſſerentem fidelibus peccatoribus non adeſſe Angelos cuſtodes.

Si denique ſit ſermo de hominibus infidelibus vix abſque temeritate dici poteſt illis non eſſe deputatos ſingulos Angelos: Sancti

enim

enim Patres abſolutè fatentur ſingulis hominibus ſingulos Angelos deputari, præſertim S. Hier. in cap. 18. Matth. cuius teſtimonio hic vtitur D. Thomas in arg. *Sed contra*. Vide etiam D. Aug. vel Auctorem lib. de diligendo Deo, cap. 12. Vnde concluſio articuli generaliter de omnibus hominibus certiſſima eſt. Cuius veritatem vtcumque etiam agnouerunt vetuſtiſſimi Poetarum, & Philoſophorum; de quo vide Celium Rodiginum lib. 2. lectionum antiquarum, cap. 10. Aug. Steuchum Eugubinum lib. 8. de perenni Philoſophia cap. 40. Iuſtum Lipſium lib. 1. Phiſilogiæ Stoicorum cap. 19. & 20. Epictetum lib. 1. cap. 14. Cenſorinum de die natali, cap. 3. Ammianum Marcellinum lib. 21. ca. 28. & Seruium ad illum verſum Maronis 6. Aeneidos. *Quiſquis ſuos patimur manes*. Vnde Seneca Epiſtola 3. inquit: *Vnicuique noſtrum pedagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notę ex eorum numero, quos Ordinis, ait, de plebe deos*.

Præter Angelos, qui deputantur ad cuſtodiam ſingulorum hominum, etiam oportet fateri cuilibet Prouinciæ, & Regno, imò fortè, cuilibet ciuitati ſingulos Angelos deputari; hęc enim eſt communis doctrina SS. Patrum, quę ex Ioſue 5. v. 14. Dan. 10. v. 13. & ex alijs locis Scripturæ ſacrę colligitur.

De perſonis verò publicis aſſerendum eſt; præter Angelum, quem habent delegatum ab ortu natiuitatis, habere alium ipſis datum à Deo ab eo temporę, quo incipiunt habere cu-

curam communitatis. Vnde D. Tho. in 2. d. 11. q. 1. art. 2. ad 4. ait: *Homo in prælatione conſtitutus illuminatur ab Angelo inferioris ordinis de his, quæ ad ſtatum perſonæ ſuæ pertinent Sed ab Angelo Principe de his, quæ ſpectant ad regimen multitudinis.* Hunc autem Angelum Principem diſtinctum eſſe ab illo, qui præfectus eſt toti communitati, docent D. Thomæ diſcipuli.

Si quęras, an non ſolum vnicuique homini adſit bonus Angelus, ſed etiam malus? Reſpõdetur etiam malum adeſſe, *Adeſt namque, & dæmon*, ait S. Chryſoſt. hom. 3. in cap. 1. Epiſt. ad Coloſ. Quod, & docuit Rabbi Moyſes in lib. qui inſcribitur Director dubitantiũ lib. 3. cap. 13. docentque diſcipuli D. Tho. hic, & alij quamplures, aſſeruntque Angelũ malum non poſitiuè deputari à *Deo*, ſed permiſſiuè in exercitiũ virtutis, & militię Chriſtianæ; poſitiuè autem deputari à ſupremo cacodæmone.

ARTICVLVS III.

Vtrum cuſtodire homines pertineat ſolum ad infimum ordinem Angelorum.

Concluſio eſt affirmans.

INtelligendam eſſe docet D. Tho. de cuſtodia particularium hominum: nam cuſtodia vniuerſalis humanę multitudinis

aut

aut omnium naturarum corporearum ad ſuperiores ordines ſpectat. Vide illum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnibus hominibus Angeli ad cuſtodiam deputentur.

Concluſio eſt affirmans.

DE Chriſto Domino dicit S.Thom. hic ad 1. debitum fuiſſe illi miniſterium Angelorum; eorum tamen cuſtodia non indiguiſſe. Vnde abſolute aſſerendum eſt quod dicit s. Doct. in 2. d. 11. q. 1. art.3. ad 6. *Chriſtus non habuit Angelum cuſtodem.*

De B. Virgine dicunt nonnulli, ſtatim ac concepit in vtero Filium Dei diſceſſiſſe ab ea Angelum cuſtodem, quod colligunt ex illo Luc. 1. v. 38. *Et diſceſſit ab ea Angelus.* Intellexit enim Gabriel, qui erat B. Virginis cuſtos, non indigere cuſtodia angelica, quæ mater erat Regis Angelorum. Sicque ex tunc præſertim toto eo tempore quo Chriſtum ſuo vtero circundedit, non habuiſſe Angelum tanquam cuſtodem, ſed tanquam miniſtrum inferiorem, qui ei inſeruiret. Poſt Aſcenſionem Chriſti s. Ildefonſus ſerm. 5. de Aſſumptione Mariæ inquit, Angelo commiſſam fuiſſe curam ſeruandi B. Virginem.

De Antichriſto ait D Thom. hic ad 3 non fore priuandum exteriori auxilio toti naturę humanæ diuinitus conceſſo, ſcilicet cuſtodia

dia Angelorum, vnde concludit s. Doctor; *Antichriſtus non tantum nocebit quantum vellet*. Retractus ſcilicet ab Angelo custode: Ioannes Viguerius inſtit. Theologicarum, cap. 21. §. 3. v. 3. inquit: *D. Thomas dicit, quod adueniente vſu rationis illius, Angelus ei ad cuſtodiam deputatus propter eius nequitiam direlinquet eum*. Sed neſcio vbi hoc apud D. Tho. inuenerit, cum oppoſitum indicent verba s. Doctoris citata, & artic. 6. dicat: *Angelus cuſtos nunquam totaliter dimittit hominem, ſed ad aliquid interdum eum dimittit*. Viguerius vero non ſolum de dimiſſione ad tempus, & ad aliquid, ſed ſimpliciter loqui videtur.

ARTICVLVS V.

Vtrum Angelus deputetur homini ad cuſtodiam a ſua natiuitate.

Concluſio eſt affirmans.

DOcet eam D. Hieron. in c. 18. Matth. dicens: *Magna dignitas animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum*. Antequam naſcatur homo ait D. Tho. hic ad 3. Angelus qui cuſtodit matrem cuſtodit etiam prolem in matris vtero exiſtentem, Sicut cuſtos qui cuſtodit arborem, cuſtodit etiam fructum dum in ea exiſtit.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Angelus quandoque deſerat hominem.

Concluſio eſt negans.

QVamuis enim interdum Angelus cuſtos dimittat hominem ad aliquid, nõ tamen totaliter illum deſerit, dum eſt in via. Poſt mortem damnatorum animę omni bonorum Angelorum cuſtodia deſtitutæ, a diabolo deferuntur in infernum. Iuſtorum vero animæ ſicut olim portabantur ab Angelis in ſinum Abrahæ, vt colligitur ex Luc. 16. v. 22. ita nunc ab eiſdem in cœlũ aut in locum purgatorij deferuntur.

Circa articulum ſeptimum nihil ſe offert dicendum. vide Caietanum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum inter Angelos poſſit eſſe pugna, ſeu diſcordia.

Concluſio eſt affirmans.

PVgna inter bonos, & malos Angelos, qualis fuit inter Michaelem, & draconem, ſeu diabolum Apoc. 12. v. 8 conſiſtit in diuerſis, ac contrarijs voluntatibus. Quæ tamen eſt inter bonos Angelos, qualis fuit

fuit inter Principem regni Perſarum, hoc eſt Angelum regno Perſarum in cuſtodiam deputatum, & Gabrielem, in cuius adiutorium Michael venit, Dan. 10. v. 13. abſque contrarijs eorum voluntatibus eſt, in quantum de contrarijs meritis hominum diuinam conſulunt voluntatem.

Circa quæſtionem 114. nihil ſe offert dicendum.

QVÆSTIO CXV.

De actione corporalis creaturæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum corpus ſit actiuum,

Concluſio eſt affirmans.

Scotus in 1. d. 37. & in 2. d. 9. q. 2. & d. 16. q. 1. non ſolum aſſerit corpus eſſe actiuũ, ſed etiam ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe elicitiuum alicuius propriæ actionis, puta generationis; ſicque quando ignis generat ignem, hanc generationem elici a ſubſtantia ignis, non ſecus, ac calefactio elicitur à calore.

Oppoſitum docet Caietanus hic §. *Aduerte*, circa finem commentarij aſſerens corpus ſecundum ſuam ſubſtantiam non eſſe principium elicitiuum alicuius actionis, ſed tan-

tum eſſe radicem, & principium, quod qualitas ſua actiua eliciat actionem aſſimilatiuam ſibi ſubſtantialiter. ¶ Verbi gratia, ſubſtantia ignis non elicit generationem huius ignis geniti, ſed eſt præbens efficaciam calori ſuo, vt eliciat generationem, qua effectus fiat ſimilis ſubſtantialiter igni, ideſt fiat ignis, quia eſt agens vniuocum. ✠ Quam ſententiam ſubdit eſſe Ariſtotelis, lib. de ſenſu, & ſenſato, & D Thom. ſæpè aſſerentis ſubſtantiam creatam nullius actionis eſſe proximum eliciti uum principium. Et certè nulla videtur eſſe maior ratio, cur cum homo generat hominem, non eliciat generationem per ſuam ſubſtantiam immediatè, ſed per potentiam generatiuam eius ſubſtantiæ ſuperadditam, & cum ignis generat ignem, hanc generationem eliciat ignis per ſuam ſubſtantiam immediatè.

Circa articulum ſecundum, & tertium nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum corpora cœleſtia ſint cauſa humanorum actuum.

Concluſio eſt negans.

RAtio eſt: *Nam illud, quod fit in iſtis inferioribus ex impreſſione corporum cœleſtium naturaliter agitur. Et ita ſequeretur, quod homo non eſſet liberi arbitrij.* Qua

etiam

etiam vtuntur SS. Patres vniuerſi, præſertim D. Damaſcenus, lib. 2. de fide, cap. 7. citatus à D Tho. hic in argum. *Sed contra:* cum aduerſus Aſtrologos iudiciarios diſputant. Illa conuicti nonnulli dixerunt, corpora cœleſtia, & aſtra non eſſe quidem cauſas humanorum actuum; ſigna tamen eſſe eorum. Hæc ſententia, *Non mediocriter Doctorum hominum fuit*, vt ait D. Auguſt lib 5. de Ciuit. Dei, cap. 1. vbi Viues ſententiam Origenis fuiſſe dicit, idemque alij cenſent. In commentarijs enim in Geneſim, vt refert Euſebius libro 6 de præparatione Euangelica, cap 9. Hæc habet Origenes: ¶ *Quemadmodum poteſtas humana minimè tollitur, quamuis Deus quæcunque facturi ſumus prauideat: ſic etiam ſigna, quæ ad ſignificandum diuinitus ordinata ſunt, libertati noſtræ nequaquam officiunt. Sed eſt vniuerſum cœlum quaſi liber quidam apertus omnia futura in ſe conſcripta continens, Idcirco in oratione Ioſeph, quod à Iacob dicitur, ſic intelligi poteſt: Legi enim, inquit, in tabulis cœli, quæcunque continget vobis, & filijs veſtris. Forſan autem etiam illud complicabuntur cœli, vt liber ſignificatiuas futurorum rationes conſummatas, &, vt ita dixerim adimpletas fore oſtendit, ſicut prophetias etiam adimpletas dicimus, cum iam euenerint. Hoc modo in ſigna ſecundum Scripturæ vocem ſtellas factas, arbitramur.* ✠

Sed videtur Origenem non ex propria ſententia hæc dixiſſe, ſed ex ſententia aliorum, quos impugnat, de quibus immediatè ante

verba citata dixerat: ¶ *Quare niſi pertinaces ſint, & nihil humanarum rerum effici, ſed forſan ſignificari concedent.* ✠ Vnde immediatè poſt verba citata ſubdit: ¶ *Hieremias autem, vt hominem ad ſeipſum conuertat, vtque formidinem, quæ à ſigna impendat, auferret, ac vt omnem forſan huiuſmodi opinionem ab hominum animo eijciat, A ſignis inquit, cœli ne timeatis.* ✠ Qui locus ex Hieremię 10.ver.2.ſumptus præſertim hanc ſententiam de ſignificatione aſtrorum reſpexiſſe videtur illamque proinde falſam eſſe conuincit. Præterea, cum ſtellæ naturaliter non ſignificent futuros actus humanos, vt probat D Thom.2.2 q 95. art.5. quis ſibi perſuadeat, Deum ſuo placito illa ſigna inſtituiſſe talium futurorum veluti notas eorum indices? Debuiſſe enim hominibus earum ſignificationem reuelare, cum aliter ſciri non poſſit, & inutilis ſit, & ſuperuacanea, nihilque iuuet eius inſtitutio. Nonne ſtultus putaretur Princeps, qui ſub placito ſignum inſtitueret ad ſignificandum aliquid ſubditis, eius ſignificatione in mente ſua retenta, & nulli explicata? De Deo autem quis tale audeat dicere.

Oratio Ioſeph, cui prędicta ſententia innititur, inter libros apochryphos veteris Inſtrumenti connumeratur à S.Athanaſio in Synopſi aliquanto ante finem, vnde verba ex illa adducta nullius momenti ſunt ſed falſa ſicut, & alia quæ in illa narratione continētur præſertim nonnullos Angelos ad imitationem Chriſti fuiſſe incarnatos, de quo vide Sixtum

Se-

Seneniem lib. 1. Bibliothecæ ſanctæ, littera. verbo Ioſeph oratio.

Locus Iſaię 34. v. 4. *Complicabuntur ſicut liber cæli*, ſupra q. 2. art. 2. & q. 68. art. 2 à nobis explicatus eſt. Nunc dicimus: ibi ſicut, & Apoc 6. 14. non ſignificari, quod prędicta ſententia intendit, ſed ſolum, cœlum oculis ſubductum fuiſſe, & deſijſſe videri. Vel in die iudicij ceſſaturum motum cœli, & vſum quem nunc in illo obſeruamus. Eſt enim alluſio ad librum qui apud Hebræos erat vnius pergamenę chartæ, ſeu membranę longæ, quę cum illius vſus eſſet, in longum explicabatur; cum verò eiuſdem vſus ceſſaret, circum cylindrũ conuoluebatur: vnde voluminis vocabulum.

Denique locus Gen. 1. v 14. *Et ſint in ſigna*, ſupra q. 70 art. 1. à nobis explicatus eſt, excluſaque expoſitio de ſignificatione luminarium cœleſtium reſpectu futurorum ex libera hominis voluntate pendentium.

Nullum ergo effugium reſtat Aſtrologis. Quos præterea Scriptura ſacra abominatur, & irridet, & eos qui Aſtrologiæ libros comburunt commendat. Primum patet ex illo Deut. 18. ver. 10. *Nec inueniatur in te &c. qui obſeruet ſomnia &c. nec incantator &c. Omnia enim hęc abominatur Dominus*. Vbi Hebraicum participium *Maghonen*, non ſolum ſignificat obſeruantem ſomnia, ſed etiam obſeruantem ſitus, & poſitus aſtrorum, Horoſcopantem, Mathematicum, Genethliacum, Planetarium, & Aſtrologum. Nomen etiam Hebraicum *Chober*, non ſolum ſignificat, incanta-

torem, ſed etiam Aſtrologum, ſic dictum à coniunctione; Aſtrologi enim toti in coniunctionibus ſtellarum verſantur, vt qui nunquam ceſſant ſtellas combinare, ſeu coniungere, ac coniunctiones aſtrorum, oppoſitiones, & conſtellationes obſeruare, vnde *Choberim* vocantur, quaſi dicas coniunctores cœlorum.

Secundum etiam conſtat ex illo Iſaiæ 47. v.23 *Stent, & ſaluent te augeres cœli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis nunciarent ventura tibi*. Vbi per augeres cœli, Aſtrologi intelligendi ſunt: nam, vt ait S Iſidorus lib 8 Ethim cap.9. *Aſtrologi dicti, eo quod in aſtris augurantur*. Vndè vocem *Hoberim*, quæ peregrina eſt ex Arabico deducta, vt quidam dicunt, & nullibi alibi occurrit, Septuaginta *Aſtrologi* interpretati ſunt, & rectè, cum obſeruatores, contemplatores, ſpeculatores ſeruatores cœlorum, Aſtrologoſque ſignificet. Quidam vitio ſcribentium mutata *Cheth* littera in *He* ibi poſitam eſſe putant, & ſcribendum eſſe *Choberim*, quo nomine Aſtrologos vocari diximus.

Tertium colligitur ex illo act. 19. verſ. 18. *Qui fuerant curioſa ſectati contulerunt libros, & combuſſerunt*. Quod de Mathematicis; & libris Aſtrologię iudiciariæ videtur intelligere D. Auguſt. in Pſal 61. ad fin.

Concilia etiam Aſtrologos Aſtrologiamque iudiciariam damnant, dicitur enim in Concilio Tolet. 1. Can. 15. Confeſſionis fidei: *Siquis aſtrologia, vel Matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit*. Et in Concilio Bracha-

cha-

pharenſi 1. Can. 9. fere idem dicitur. Damnantur quoque in vtroque Iure in Canonico quidem cap *Ex tuorum*, de Sortilegijs, & in quam plurimis alijs capitibus, in Ciuili vero in l. *Nemo*, & l. E*ſi* de Maleficis, & Mathematicis.

Dubium. An ſaltem poſſint Aſtrologi cognoſcere complexiones, & inclinationes hominum, ac paſſiones appetitus ſenſitiui, & ex his aliquo modo prædicere actus humanos.

PArtem negantem tenent Picus Mirandulanus lib. 3. aduerſus Aſtrologos, & alij recentiores, probantque 1. ex quodam Motu proprio Sixt. V. qui incipit *Cœli, & terra*, edito anno 1586. vbi ſic dicitur: ¶ *Statuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcunque dictæ iudiciariæ Aſtrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam, in poſterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiam ſi id ſe non certo affirmare aſſerant, aut proteſtentur, &c. Epiſcopi, &c. Inquiſitores hæreticæ prauitatis, &c. inquirant, & procedant.* † At ſi aliquo modo prædici poſſent ab Aſtrologis, hoc maximè eſſet aſſerendo ſe non certo affirmare

quod prædicunt, ergo &c.

Secundo. Complexio corporis, atque adeò inclinationes humanæ, & paſſiones appetitus ſenſitiui, non proueniunt, vt à ſola & adæquata cauſa ab influxu ſyderum, ſed à pluribus alijs, vt à genitoribus à loci temperie, & alijs circunſtantijs, quæ cum proximiores cauſæ ſint, & particulares, efficaciores ſunt multo, quam influxus corporum cœleſtium, qui remotiores cauſæ ſunt, & vniuerſaliores, & cauſis proximis facile impediri poſſunt, & neceſſario determinari, & modificari debent; ergo ex ſola ſyderum conſideratione non poſſunt Aſtrologi aliquid prænuntiare de complexione hominis, & inclinationibus, & paſſionibus, ſicque nec aliquo modo prædicere actus humanos.

Tertiò. Etſi ſyderum influxus adæquata cauſa eſſet complexionis, & inclinationũ, ac paſſionum prædictarum, Aſtrologis tamen ignotæ ſunt ſyderum naturæ, & virtutes, ergo ex illis non poſſunt complexionem corporis, & inclinationes, ac paſſiones prędictas cognoſcere. Dicent cognitas fuiſſe ab antiquis Aſtrologis longa experientia, & obſeruatione, & ab eis earum cognitionem accepiſſe. Contra experientia hęc eſt omnino impoſſibilis: nã requirit longiorẽ vitam, quam quæ hominibus contingit, & in ea nimis aſſiduam obſeruationem, & ſpeculationem aſtrorum: neq. vnius hominis tantum: ſed plurium obſeruatio, & teſtificatio conſentire deberet, quod nunquam contigit. Nam vt conſtaret ſub tali ſydere natos his

af-

affectionibus præditos eſſe, eorumque complexionem, & inclinationes prouenire ab aſtrorum vi, & efficacia, oporteret, vt experimentum monſtraret, omnes vniuersè, qui ſub eodem ſydere naſcuntur, eaſdem habere qualitates, aut rarò aliter euenire, hoc vero nulla experientia hactenus oſtendit. Immo oſtendit oppoſitum; quotidie enim cernimus, ſub eodem climate, & in eodem oppido, & eadem hora, ac puncto, duos homines naſci adeo diuerſis moribus, & affectibus, vt non eſſent difformiores, ſi vnus apud Indos, alter in Belgia ortus eſſet. Adde etiam gemellos fratres eodem patre, & matre genitos, & eodem concubitu, ſimulque natos, quales fuerunt Eſau, & Iacob hanc morum diſcrepantiam, & qualitatum diuerſitatem ſortitos eſſe.

Quarto. Aſtrologi vtuntur regula prorſus fallaci, & deceptoria, vt de his affectionibus pronuntient. Nam obſeruant natiuitatis horam, & non curant conceptionis, & animationis punctum, & tempus quo formatur proles in vtero, quod non inſtantaneum, ſed diuturnum eſt, quod tamen potius obſeruari deberet; quia cum homo formatur, & fouetur, tunc acquirit proprium, & ſubſtantiale temperamentum, quod ſecum affert, quando egreditur ab vtero, neque in inſtanti ortus ab aſtris, ſub quorum dominio, & influxu naſcitur, illud recipit; vanum eſt ergo iudicium, quod Genethliaci ſumunt à ſyderibus, quę præeminent in hora natiuitatis. Dicunt ex tempore natiuitatis dedu-

ci tempus conceptionis,& ſimul ab vtroque ſumi iudicium. Sed huic ſolutioni obſtat, quod impoſſibile eſt ex tempore natiuitatis tempus conceptionis, & quo anima corpori vnitur certo deduci: nam tempus, quo fętus à conceptione ad partum in vtero exiſtit, non eſt mathematicè vniforme, & ſemper vnum, ſed non parum habens latitudinis, & varietatis. Præterea, quia formatio corporis humani non pendet à ſolo puncto conceptionis, ſed fit toto tempore, quo proles in vtero fouetur, præſertim vſque ad animę infuſionem, in quo aſpectus, & figuræ aſtrorum ſępius variantur. Denique, quia Aſtrologi ſolum obſeruant tempus natiuitatis, & nullus Aſtrologus curat ex hoc deducere tempus conceptionis, ſed ſemper ab hora natiuitatis diuinationem ſuam, & iudicium adſtruit.

Quintò. Motus cœlorum, atque adeò aſtrorum figuræ, aſpectus,& poſitiones ignotę ſunt Aſtrologis, nec adhuc certò, & mathematicè cognoſci potuerunt, id quod ipſi fatentur: inane ergo eſt, quidquid ex his motibus, & figuris ipſi deducunt.

Dicendum tamen eſt 1. Aſtrologos poſſe ex cœlorum motibus, & aſtrorum influentijs cognoſcere complexiones corporum humanorum: non quidem certò, & per demonſtrationem, ſed per coniecturam. Prima pars probatur: Cœli, & aſtra ſuis motibus, & influentijs ſunt cauſæ talium complexionum; ergo ex illis poſſunt hæ cognoſci ab Aſtrologis. Conſequentia patet: quia

enim

enim cœli, & aſtra ſunt cauſæ ventorum, & pluuiarum, poteſt Aſtrologus de ventis, & pluuijs futuris iudicare, vt docet D. Thom. in 1. d 38. q 1 art 5. Vnde S. Baſil. Hom. 6. Hexameron ait: ¶ *Complura cuique ſanè de imbribus, complura de ſiccitatibus, complura de flatuum agitationibus, aut in parte, aut in vniuerſo vehementioribus, ac leuioribus diſcere licet*. ✠ Ex cœlorum, ſcilicet lationibus, ſeu motibus, ac influentijs luminarium, ſiue aſtrorum. Ergo ſi etiam ſunt cauſæ complexionum corporum humanorum, ex illis hæ cognoſci poterunt ab Aſtrologis. Antecedens verò probatur, Tum ex SS. Aug. Damaſceno, & Thoma, ſic enim Angelicus Doctor habet lib. 3. Contra gentes, cap. 84. ¶ Diſpoſitio corporis humani ſubiacet cœleſtibus motibus; dicit enim Aug. in 5. de Ciuit. Dei, quod non vſquequaque abſurde dici poteſt ad ſolas corporum differentias afflatus quoſdam valere ſydereos. Et Damaſc. dicit in 2. lib. quod alij, & alij planetæ diuerſas complexiones, & habitus, & diſpoſitiones in nobis conſtituunt. ✠ Tum etiam ex Auicenna lib. 1. Fen 1 Doctrina 3. cap. 1. & Fen. 2. Doct. 2. cap 8. Vbi ſecundum diuerſitatem climatum diuerſas ſortiri homines complexiones, quæ ſolis, & ſtellarum cauſa accidunt, docet, experientiaque compertum eſt. Tum deinde, quia cum ſol, & homo generent hominem ab vtroque complexionem hominis eſſe neceſſe eſt, & à ſole, vt à prima cauſa corporali mouente cauſam ſecundam, quæ vigoroſior

efficitur, dum agit cœlo in tali diſpoſitione exiſtente, quam ſi taliter diſpoſitum non eſſet, vt ait Ferr arienſis 3. Contra gentes c. 84 & ſicut, vt ibidem dicit Ferra aliqua ſyderum diſpoſitio eſt ſub qua equus potens eſt generare equum, qua non exiſtente non generaret, vnde videmus quædam animalia certis anni temporibus eſſe generationi apta, quę alijs anni temporibus non generant: ita poteſt eſſe aliqua ſyderum diſpoſitio, ſub qua homo generet hominem talis complexionis, qua non exiſtente non generaret talis complexionis hominem, ſed alterius longè diuerſæ. Tum denique, quia non eſt maior ratio cur alij effectus corporales ſint à cœlis, & aſtris tanquam à cauſis, & non corporis humani complexio.

Cœlum vero, & aſtra cauſas eſſe, & virtutem productiuam habere, non ſolum luminis, & caloris in his inferioribus, ſed etiam omnium motuum, & affectuum naturaliũ corporum, colligitur 1 ex ſacra Scriptura Geneſ. 1 v 14. dicente luminaria quarta die facta fuiſſe, quod vt docet D. Thom. ſupra q. 70. art. 1. ad 1. & 2. intelligi non poteſt de luminaribus ſecundum ſubſtantiam, nec vt luminaria ſunt, cum tam ſubſtantia, quam lux eorum prima die producta fuerit, ſed quia tunc virtutem influendi varios, & particulares effectus in his inferioribus acceperunt. ¶ Et propter hanc determinationem virtutis dicit Dionyſ. 4. c. de Diu nom. quod lumen ſolis, quod primo erat informe, quarto die formatum eſt. ✠

Se-

Secundo exAriſt.lib. 1.Meteororum lect. 2. apud D. Thom. vbi ſic habet. ¶ Mundus iſtæ ſuperioris motionibus neceſſariò quodammodo eſt continuatus, vt eius inde omnis facultas regatur. Nam vnde motionis principium in omnia deriuat, primam cauſam eſſe cenſendum eſt. ✠ Vnde lect. 14. circulum Zodiacum, in quo manifeſtè mouetur ſol, ait cauſam eſſe mouentem, & primum principium eſſe pluuiæ, roris, pruinæ, niuis, & aliorum, quæ in aere ſuperius generantur. Et lib. 2 lect. 9. docet ſolem cauſam eſſe, quæ mouet ventos, & eos facit ceſſare. In maris aqua etiam manifeſtum eſt fluxum, & refluxum eſſe ex impreſſione cœleſtis corporis lunæ, vt dicit S. Thom. ſupra q. 105. a. 6. ad 1. & q. 110 art 3. ad 1. & alijs in locis. In terra denique quis non videt Heliotropij florem, & Maluę folia ſolem ſequi, ob ſolis in has herbas particularem influxum?

Tertiò ex D. Thom. qui hic art. 3. probat corpora cœleſtia cauſam eſſe eorum, quæ hic in inferioribus fiunt, & lib. 2. de cœlo, lect. 10. inquit: ¶ Omnia corpora cœleſtia ſecũdum communem virtutem luminis habent calefacere, ſed ſecundum alias proprias virtutes ſingulis corporibus attributas habet non ſolum calefacere, & infrigidare, ſed etiam omnes alios effectus corporales efficere in iſtis inferioribus ✠ Et idemet dicit in 2. diſt. 15. q. 1. art. 2. ad 5 Non placet hoc Pico Mirandulano, illudque impugnat lib. 3. contra Aſtrologos, cap 5. & aliis. Sed ad eius

ar-

argumenta reſpondet optimè Ferrarienſis, lib.3.Contra gentes, cap.84. Vide illum.

Secundam partem concluſionis docet D. Thom. Opuſc. 18. cap.4. vbi ſic habet: ¶ Duæ partes ſunt Aſtronomiæ, ſicut dicit Ptolemæus. Vna eſt de ſitibus, & motibus ſuperiorum, & quantitatibus eorum, & paſſionibus proprijs: & ad hanc per demonſtrationem peruenitur. Alia eſt de effectibus aſtrorum in inferioribus, quæ in rebus mutabiliter recipiuntur; & ideo ad hanc non peruenitur niſi per coniecturam. ✠ In 1. d.38.q.1.art.5. etiam dicit, iudicium Aſtrologi de ventis, & pluuijs futuris ſolum eſſe ſcientiam coniecturalem. Hanc etiam partem probant argumenta facta in principio. Hinc fit iudicia Aſtrologorum, tàm de pluuijs, & ventis, quam de hominum complexionibus ſæpe falſa eſſe, vt quotidie cernimus in his, quæ quotannis euulgantur per Ephemerides, & in his, quæ faciunt per figuras natiuitatum: nam, quamuis illa fiant à peritiſſimo Aſtrologo, quod raro contingit, & ſecundum diſpoſitionem aſtrorum vera ſint, fortior tamen diſpoſitio mouens ad contrarium, quæ eſt in materia, ſępè ea falſa eſſe oſtedit, impedito effectu, ad quem aſtra inclinabant.

Dicendum eſt 2. Eodem etiam modo poſſe Aſtrologos cognoſcere inclinationes, & paſſiones appetitus ſenſitiui. Sequitur hæc concluſio ex præcedenti: nam, vt ait Sanctus Chryſoſt. Hom.82. in Matth. ¶ Acceſſus complexionum ad ſe ipſos opponere medici

dici conſueuerunt, & calidioris quidem, & humidioris corporis procliuiorem eſſe aiunt ad venerem, ſiccoris verò impetuoſum, atque iracundum. ✠ Ergo ſi Aſtrologi poſſunt complexiones cognoſcere, eodem modo cognoſcere poterunt inclinationes, & paſſiones appetitus ſenſitiui.

Probatur etiam eodem modo, quo præcedens. Corpora cœleſtia ſunt cauſa inclinationum, & paſſionum appetitus ſenſitiui; ergo ex motibus, & influentijs illorum poterunt hæ cognoſci ab Aſtrologis. Probatur antecedens ex D. Thom. hic in corp. & ad 3. dicente corpora cœleſtia imprimere in appetitum ſenſitiuum, & ad eius paſſiones cooperari. Et 1.2.q.9. art.5. ad 3 vbi ſic habet. ¶ Appetitus ſenſitiuus eſt actus organi corporis: vnde nihil prohibet ex impreſſione corporum cœleſtium aliquos eſſe habiles ad iraſcendum, vel concupiſcendum, vel aliquam huiuſmodi paſſionem. ✠ Et 3. Con. gentes, capit. 85 de corporibus cœleſtibus ait: ¶ Imprimunt in corpora noſtra, ad quorum immutationem inſurgunt nobis aliqui motus paſſionum: vel per eorum impreſſionem efficimur habiles ad aliquas paſſiones, ſicut cholerici ſunt proni ad iram. ✠ Conſequentia verò eodem modo, quo conſequentia argumenti facti pro præcedẽte concluſione probanda eſt.

Dicendum eſt 3 Cognitis complexione, inclinationibus, & paſſionibus prædictis; ex illis Aſtrologi aliquo modo iudicare poſſunt, & prædicere bonitatem intellectus, & volun-

luntatis, huiuſque liberas electiones, & actus humanos; non tamen ex corporibus cœleſtibus immediatè. Primam partem quod attinet ad bonitatem intellectus docet D. Thom. 3 Contra gentes, cap. 84. vbi poſt verba relata con 1. immediatè ſubdit:

¶ Ideo indirectè corpora cœleſtia ad bonitatem intelligentiæ operantur. Et ſic ſicut medici poſſunt iudicare de bonitate intellectus ex corporis complexione ſicut ex diſpoſitione proxima: ita Aſtrologus ex motibus cœleſtibus, ſicut ex cauſa remota talis diſpoſitionis. Et per hunc modum poteſt verificari, quod Ptolomæus in Centiloquio dicit: Cum fuerit Mecurius in natiuitate alicuius in aliqua domorum Saturni, & ipſe fortis in eſſe ſuo, dat bonitatem intelligentiæ medullitus in rebus. ✠

Quod verò attinet ad bonitatem voluntatis, & eius liberas electiones, & actus humanos eandem docet S. Doctor hic ad 3 his verbis: ✠ Plures hominum ſequuntur Paſſiones, quæ ſunt motus appetitus ſenſitiui, ad quas cooperari poſſunt corpora cœleſtia, pauci autem ſunt ſapientes, qui huiuſmodi paſſionibus reſiſtant. Et ideo Aſtrologi, vt in pluribus vera poſſunt prædicere. ✠ Scilicet de euentibus bellorum, & alijs humanis actibus, de quibus procedebat argum. Idem dicit 1.2 q 9. art 5. ad 3 & 2.2. q 95. a. 3. ad 2 & 3. Contra gent. cap 85.

Probatur deinde, nam, vt hic ait D. Thom. *Paſſiones, quæ ſunt in iraſcibili, & concupiſcibili, habent quandam vim ad inclinandam voluntatem*

lun-

luntatem. Ergo illis cognitis per corpora cœleſtia, quæ ad illa cooperantur, ex illis poterunt Aſtrologi aliquo modo iudicare, & prædicere liberas electiones voluntatis, huiuſque bonitatem, vel malitiam. Probatur conſequentia, nam, quia occaſiones, & ſocietates bonorum, aut malorum ſimilem habent vim, prædici poteſt, quod dicitur Pſalm 17. v. 26. *Cum Sancto Sanctus eris, & cum peruerſo peruerteris*. Et Prouerb. 13. verſ. 2. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, amicus ſtultorum ſimilis efficietur*. Confirmatur 1. nam, vt ait D. Thom. q. 8. de Verit. art. 12. ¶ De his, quæ ex libero arbitrio dependent aliqua futura conijcimus ex cõſuetudinibus, & complexionibus hominum, quibus inclinamur ad vnum. † Ergo cum Aſtrologi has complexiones poſſint cognoſcere ex cœlorum motibus, & aſtrorũ influentijs, vt probatum eſt con. 1. ex illis aliquo modo conijcere poterunt, & aliquo modo prędicere aliqua futura de his, quę pendent ex libero arbitrio. Confirmatur 2. Ex alijs corporum cœleſtium impreſſionibus, quibus corpora inferiora diſponuntur, prędici poſſunt aliquę electiones voluntatis, quis enim ſciens ex impreſſionibus cœlorum futurum eſſe frigus intenſum, aut peſtem aliam ve infirmitatẽ, non prędicet homines electuros calefieri ad ignem, aut medicinam accipere? ergo, & ex complexionibus, inclinationibus, & paſſionibus prędictis.

Quomodo autem hęc poſſint, & debeant prædici explicat D. Tho. hic ad 3 aſſeritque,

præ-

prędici poſſe, *In commune, non autem in ſpeciali*, & 3. Contra gentes, cap 85. inquit: *Aſtrologus non debet dicere rē ſpecialiter, ſed vniuerſaliter*. Quod non ſolum intelligendum eſſe exiſtimo, vt dicat Aſtrologus, aliquos ex his, qui habent has complexiones, inclinationes, & paſſiones fore illas ſequuturos: ſed etiam poſſe Aſtrologum prędicere actus liberos alicuius hominis, non quidem, vt in ſe ipſis abſolute futuros, ſed quantum ex eius complexione, inclinationibus, & paſſionibus coniecturari poteſt, attenta vi paſſionum ad inclinandum voluntatem, ſalua ſemper libertate arbitrij, qua poteſt paſſionibus reſiſtere. Vnde D. Tho. reddens rationem quare actus humani non poſsint prædici in ſpeciali ab Aſtrologis ſubdit: ¶ Quia nihil prohibet aliquem hominem per liberum arbitrium paſſionibus reſiſtere. Vnde, & ipſi Aſtrologi dicunt, quod ſapiens dominatur aſtris, in quantum ſcilicet dominatur ſuis paſſionibus. ✠

Secunda pars concluſionis colligitur ex dictis in principio commentarij huius articuli: cum enim corpora cœleſtia nō ſint cauſæ, immo neque ſigna humanorum actuum, ex illis immediate nullo modo coniecturari poſſunt, aut prędici etiam incerto, & cum formidine? vnde illorum prædictio ex aſtris immediate procedit ex falſa, & vana opinione. *Et ſi operatio Dęmonis ſe immiſcet: vnde erit diuinatio ſuperſtitioſa, & illicita*, vt docet D. Th. 2. ar. quęſt. 95. art. 5.

Ad argumenta autem facta in principio re-

reſpon detur. Ad 1. quidam reſpondent, quæ diximus intelligenda eſſe ſecluſa prohibitione iuris poſitiui; hoc tamen ſcilicet Motu proprio Sixti V. prohibitam eſſe prædictionẽ etiam dubiam actuum humanorum ex complexionibus corporum, & inclinationibus, & paſſionibus appetitus ſenſitiui, quę aliàs licita erat; ob incommoda, quæ inde ſequuntur, ſicut, & ex prędictione certa: vel ob præſumptionem, qua pręſumitur eos, qui aſſerunt ſe non certò affirmare, quę prædicunt, hoc dicere ad occultandam malitiam, & diuinationis peccatum: ſicque occluſum fuiſſe os Aſtrologis loquacibus. Alijs probabilius videtur, mihi vero certum, Sixtum V. nihil prohibuiſſe, quod aliàs iure diuino non erat prohibitum tanquam ſuperſtitio. Noluit enim ſententiam D. Thomæ condemnare; ſed eos Aſtrologos punire, qui vt ibidem dixerat. ¶ Ea, quæ ex libera hominum voluntate proficiſcunt, aſtris, ſyderibuſque aſcribunt, eiſque eam facultatem, vim, ſeu virtutem, & efficaciam tribuunt ſignificandi futura, & ad pręcognita ita inclinandi, vt ſic omnino nec aliter euentura ſint. ✠ Pręterea non ſolent Summi Pontifices, ea, quæ ſolum ſunt mala, quia ab ipſis prohibita, punienda committere. Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, ſed ea dumtaxat, quæ aliàs mala ſunt, & quodammodo fidei aduerſantur. Quia ergo ſuperſtitio eſt euentus contingentes, & liberos ex aſtris coniectare, & prędicere, vt futuros in ſe ipſis, non ſolum certò, ſed etiam incertò, & cum formidine, quia hoc ſupponit a-

ſtra

ſtra eſſe cauſas aut ſigna humanorum actuũ, vt diximus in 2. parte vltimæ concluſionis, id iniungit Sixtus V Inquiſitoribus, vt inquirant, & puniant. Permittit vero vt aſtris fiant iudicia circa agricolturam, nauigationem, & rem medicam, ac per conſequens de cõplexionibus humanorum corporum, & inclinationibus, & paſſionibus appetitus ſenſitiui, quę ex illis ſequuntur, quas ad rem medicam pertinere quis dubitat? De prædictione verò euentuum ex humana voluntate pendentium dubia, & formidoloſa, non quidem ex aſtris immediate, ſed ex complexionibus, inclinationibus, & paſsionibus prædictis, non loquitur sum. Pontifex. Neque ex ea aliquod incommodum ſequitur, cum non ſupponat aſtra eſſe cauſas, aut ſigna actuum voluntatis, nec aliquod diuinationis peccatum ſit.

Ad ſecundum reſpondetur, corpora cœleſtia cauſam adęquatam, & totalem eſſe in ſuo genere, cauſę ſcilicet vniuerſalis, & primę corporeę. Et quamuis ad ſuos effectus producendos vtantur cauſis ſecundis, & particularibus; hæ tamen communiter, & regulariter diuina prouidentia ita diſponente, vt inferiora per ſuperiora corpora regantur non habent diſpoſitionem mouentem in contrarium; ſicque vt in plurimum fit id ad quod inclinant, & mouent corpora cœleſtia tanquam primum principium corporale, & cauſa mouens omnium effectuum naturaliũ; quales ſunt complexio corporis, & inclinationes, & paſsiones appetitus ſenſitiui, quam-

uis

uis quandoque contingat, ob indiſpoſitionē materiæ, quæ eſt in cauſa ſecunda, non fieri id ad quod inclinat, & mouet cauſa prima corporea, ſicque huius effectum impediti, vt in pluuijs, & ventis, & alijs huiuſmodi patet.

Ad tertium reſpondetur optimam eſſe ſolutionem in eo poſitam. Ad impugnationem dico, eodem argumento probari poſſe experientiam cauſalitatis ſyderum reſpectu pluuiarum, ſiccitatum, & rerum ad agriculturam, & nauigationem, & rem medicā pertinentium eſſe impoſsibilem, ſicque de illis iudicia fieri non poſſe, quod falſum eſſe conſtat ex conſt. Sixti V & ex s. Baſil. Hom. 6. Hexameron vbi ſic habet de luminarium lationibus: *Si non vltra modum ſigna quiſpiam quæ ab ipſis proficiſcuntur exploret, vtiles ipſorum obſeruationes inuenerit, quas experientia longa probauit.* Aſſerendum eſt ergo, ad talem experientiam non ſufficere vitam vnius hominis, ſed requiri plurium obſeruationē, non tamen ſimul eodem tempore exiſtentiū: ſufficit enim, vt quod vnus ſuo tempore obſeruauit regulariter fieri, & cauſari in his inferioribus, ex his ſyderibus, aut conſtellationibus, litteris mandet, & poſt illum alius idem obſeruet, & animaduertat ita eſſe, & ſcriptum relinquat, & ſic deinceps quouſque multorum teſtificatione experientia fuerit comprobata. Sic antiqui Aſtrologi regulas de cauſalitate, & effectibus aſtrorum ediderunt, sicut, & in alijs artibus regulæ, & in alijs ſcientijs principia per experientiam inuen-

uenta ſunt. Quod vero quotidie cernamus ſub eodem climate, & eodem oppido, & eadem hora, & puncto duos homines naſci diuerſarum complexionum &c. Hoc ideo cõtingit, quia non eodem modo illos ſydera reſpiciunt, & ſimile accidit eis quod fructibus eiuſdem arboris, quos diuerſi coloris, ſaporis, & magnitudinis eſſe videmus, quia diuersimode reſpiciuntur à ſole. Imo de gemellis idem aſſerit D. Tho. Opuſ. 28. art. 2. ad finem dicens: ¶ *Etiam ſi diceremus eſſe vnam horam conceptorum, centrum tamen cordis eorum, à quo incipit conceptus formatio, non eſt vnum, & mutato centro neceſſe eſt mutari totum circulum, & ſic Horizon eorum non eſt vnus, nec anguli, ideo nec eadem domorum diſpoſitio: & ſic tota periodis efficitur diuerſa, & per conſequens inhærens rebus natis diſpoſitio fatalis, neceſſario variatur.* ✠ Vbi per diſpoſitionem fatalem non intelligit eam quam ineuitabilem gentiles, & hæretici aſſerebant prouenientè ab aſtris, ſed eam, quę abſque neceſsitate prouenit ex aſtris ſuos effectus naturales producentibus, si non ſit fortior diſpositio in materia ad contrarium mouens, vt patet ex præcedentibus, & conſequentibus Ferrar. 3. Cont. gen. cap. 84. reſpondet: ¶ Quod diuerſæ sint fortunæ, aut diſpositiones eodem modo naſcentium, & in ęadem longitudine, & latitudine, non arguit ſyderum poſitionem non agere in hæc inferiora, ſed arguit ipſam non neceſſario agere, & cœli influxum accipere limitationem in cauſa ſecunda. Quia enim

enim corpora cœleſtia non agunt niſi in materia, & non niſi mediantibus agentibus particularibus, poteſt influxus corporum cœleſtium impediri & ex materiæ indiſpoſitione, & ex indiſpoſitione particularis agentis, in quo cæli virtus limitationem accipit. Vnde ſtant ſimul quod ſyderum poſitio ſit nata hunc effectum producere, & tamen in vno non producatur ex aliquo impediente, ſiue ſit cauſa inferior, ſiue etiam alia conſtellatio; in alio vero, in quo impedimenta non accidunt, producatur. Propterea conceditur quidem quod diuerſitas horum effectuum in cauſas ſecundas tanquam in cauſas proximas referatur; negatur tamen quod diuerſi effectus in diuerſas ſyderum poſitiones tanquam in cauſas remotas referri non debent. Poſſet autem ex oppoſito argui: Filij qui ex eiſdem parentibus generantur, & ſunt ab eodem magiſtro, & præceptore inſtituti, eiſdemque cibis educati, inueniuntur diuerſorum motum, & diuerſa, ac varia fortuna agitari; ergo eorum diuerſitas non ex particularibus agentibus, ſed ex diuerſa ſyderum poſitione aliqua ex parte prouenit. †

Ad 4. reſpondetur, falſum eſſe Aſtrologos ſolum natiuitatis horam obſeruare: obſeruant enim etiam tempus, quo formatur proles in vtero, & conceptionis punctum, immo, & horam caſus ſeminis in matrice. Sed quia, vt ait D. Thom. Opuſc. 18. artic. 4. ad 2. *Hora talis difficulter cognoſcitur, ideo inuentum eſt remedium, vt accipiatur*

 gra-

gradus aſcendens circuli, hoc eſt hora coniunctionis luminarium, cui adæquatur circulus, quia ille habet influentiam ad communem neceſſitatem, quæ proximo ſequitur, vel accipiatur aſcendens ad natiuitatem ex vtero. Quomodo autem accipiendus ſit gradus aſcendens, non eſt noſtri inſtituti. Vide Iunctiuum in Ptol. de Aſtror. iudi. libr. 3. cap. 2. vbi docet modum ratificandi natiuitatem, & conceptionem, & inueſtigandi gradum aſcendentis ignoti per trutinam Hermetis, & per Animodar, tabulamque ponit more fœtus in vtero matris.

Ad quintum reſpondet D. Thom. Opuſc. 28. articul. 4. ad 1. *Quod multa taliter quo ad nos infinita conſideranda eſſent, ſed conſiderantur pauciſſima, ex quibus alia prænoſcuntur, de quibus habetur coniecturatio, propter quod dicitur per Ptolemæum, quod per cælorum motus non niſi communiter iudicare debemus, & poteſtates rerum conſequentes, quas propriæ rerum cauſæ frequenter excludunt.* Et inferius ſubdit: *Via ſylogiſtica ſciri non poteſt conclusio coniecturalis: ſed tamen imperfectio ſcientiæ, vt dicit Ptolemæus: quia hoc ſcrutur non impedit.*

AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum corpora cœleſtia poſſint imprimere in ipſos dæmones.

Concluſio eſt negans.

CVm dæmones ſint ſubſtantiæ intellectuales, corporibus non vnitæ, ſuperioreſq; proinde ordine naturæ quã corpora cœleſtia, horum actioni non ſubduntur. *Nec per ſe, nec per accidens, nec directè, nec indirectè.* Ex quo fit, vt conuincit tertium argumentum articuli huius, nec ſubdi actioni inferiorum corporum, nec ab vllo ex iſtis arceri, aut expelli poſſe à loco, vel corpore, in quo ſunt, cum corpora cœleſtia ſint virtuoſiora, quam corpora inferiora.

Oppoſitum huius docent Burgenſis in Additione in cap. 16. lib. 1. Regum, & alij recentiores. Probant 1. nam vt ibi v. 23. cõſtat, muſica Dauid, *Refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus*, Et Tobiæ 6. verſ. 8. de corde piſcis capti à Tobia (quem callionomium quidam appellant) dixit Raphael Angelus: *Fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.*

Secundò: Nam Ioſephus lib. 8. Antiquitatum, cap. 2. non longe à principio ait: Vidi ex popularibus meis quẽdam Eleazarum in præſentia Veſpaſiani, & filiorum, & Tribunorum, reliquorumque militum, multos arreptitios percurantem. Modus vero cura-

tionis erat hic. Admoto naribus dæmoniaci anulo, ſub cuius ſigillo incluſa erat radicis ſpecies à Salomone indicatæ, ad eius olfactũ per naſum extrahebatur dæmonium. ✠ Gloſſa etiam in locum 1. Regum, adductum argum. præced. inquit: ¶ *Refert Boetius Philoſophum quendam tactu citharæ dæmonium ab obſeſſo corpore pepuliſſe*. † Et Lyra ibidem: ¶ *In muſica Guidonis dicitur, quod ſunt quidam dæmones, qui melodiam ſuſtinere non valent*. † Et de Simone Abbate dicitur in eius vita, cantu tibię pepuliſſe dęmonium. Cũ ergo hę ſint res ſenſibiles, & corporeę, harum naturali virtute poterunt dęmones arceri, ac fugari.

Tertio. Nam Plinius lib. 28. cap 16. dicit: *Quidam vrinam equi aquæ ferrariæ ex officinis miſcent, eademque potione, & lymphaticis medentur*. Et lib. 30. cap. 2 Apionem Grammaticum prodidiſſe: *Cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto vocaretur Oſyridis, diuinam, & contra omnia veneficia*. Multi etiam aſſerunt, Artimeſiam Rubeam, Barbam Iouis, Solſequium, Leuiſticum, Saluiam, Polegium, & aliàs huiuſmodi herbas intollerabiles eſſe dæmonibus, folia quoque Sambuci. Alij lapidẽ Calcedonium, Chryſolitum, Adamantem, Corallium, & alios lapides prętioſos fugare dæmonia. Alij fugari dæmones ſuffitibus cornu caprini, & cuiuſuis ſtercoris præcipue humani, & Ruta, & Hypericone. Alij ſonitu campanarum, ſtrepitu armorum, clamoribuſque hominum terreri, ac fugari. Ergo virtute alicuius rei corporeæ arceri poſſunt fugarique dæmones.

Quar-

Quartò. Vt dæmones vexent homines, neceſſaria eſt in corpore vexandorum quædam corporalis diſpoſitio, per quam fiant hominum corpora apta ad recipiendum actionem afflictiuam dæmoniorum, nam ob id lunaticos, & melancholicos, ac epilepticos, & furioſos arripiunt dæmones, vt colligitur ex Euangelio: ſed hanc diſpoſitionem poſſunt res corporeę auferre ab obſeſſis; ergo, & dæmones expellere, ſicque in eos agere ſaltem indirectè.

Dicendum tamen eſt: Virtute naturali cuiuſcumque rei corporeæ non poſſe dæmones arceri, aut fugari etiam indirectè, ita vt ab obſeſſis, aut alio loco recedere cogātur. Docent hoc Lyra in cap. 16. lib. 1. Regum, & communiter Theologi cum D. Thom. hic ad 3. & quæſt. 6. de Potentia, art. 10. Probatur: Ad hoc opus erat, vt tolleretur effectus operationis tranſeuntis, per quàm dæmon eſt in homine obſeſſo, aut in loco: ſed hoc eſt impoſſibile virtute naturali cuiuſcunque rei corporeæ, ſi dęmon nolit, & obſiſtat; ergo &c. Probatur minor: nam iuxta dicta ſupra q. 52. ar. 1. dub. 3. ad 4. talis effectus, aut eſt motus localis, impulſusve ad illum, quo nimia coarctatione, aut dilatatione vexat hominem; vel qualitas aliqua afflictiua corporis. Si motus, aut impulſus ad illum, nulla eſt res corporea, quæ habeat vim ad illum repellendum, nam vt dicitur Iob. 41. v. 24. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.*

Si qualitas afflictiua, licèt in rebus corporeis ſit virtus contra illam, earum tamen

virtutem hebetare, & eneruare poſſet dæmon. Et quamuis non poſſet, hac qualitate excluſa poſſet motum efficere, cui reſiſti non poteſt; ergo &c.

Concedendum tamen eſſe exiſtimo cum Lyra vbi ſupra per res corporeas poſſe vexatos à dæmonibus alleuiari, excluſa ſcilicet per eas diſpoſitione melancholica. aut morboſa, aut per eas attentione diſtracta, vt parum, aut nihil res mœſtæ, aut nociuæ percipiantur. Vnde 26. q,7.cap. vltimo dicitur. *Dæmon um ſuſtinenti, licèt petras, vel herbas habere ſine incantatione*.

Ad 1. ſupra q.51. ar. 1. dub. vnico ad 4. reſpondimus, muſicam, & fumum expuliſſe dæmonem non propria virtute, ſed vt inſtrumenta Dei. Lyra vbi ſupra expulſionem dęmonis tribuit laudibus Dei decantatis à Dauid, & merito orationis Tobiæ.

Ad 2. reſpondet Lyra Eleazarum illum arte magica dęmones expuliſſe vi pacti cum eis initi. Additque de exorciſmis à Salomone confectis; ſi fecit eos tempore quo habebat ſpiritum Dei, dæmones repellebant virtute diuina: ſi poſtquam fuit idolatra, repellebantur eis arte magica. Idem dicit D. Th. q. 6. de Potentia, ar. 10. ad 3. De Philoſopho relato à Boetio dico, aut vi pacti cum dæmone initi dæmonem expuliſſe, aut ſpõte dęmonem receſſiſſe, quia ingratum habuit hoſpitium illius obſeſſi ſedatis humoribus per concentum muſicæ. De dicto Guidonis ait Lyra non multum curandum eſſe, cum nullius ſit auctoritatis. Vel melodiam expel-

expellere dæmones ob ſanctitatem facientis, Quod etiam dici poteſt de cantu Simeonis Abbatis.

Ad 3. reſpondetur: Quę refert Plinius Magorum medicinas eſſe ſupponentes pactum cum dęmone. Idem eſt de herbis,& lapidibus, & ſuffitibus, vt hic ad 3. & q. 6. de Potentia art. 10. ait D. Th. Vel in illis virtutem medicinalem eſſe ad curandos morbos, quos amant dæmones, aut inferunt dęmoniacis non ad cogendos dæmones, vt ab illis exeant. De ſonitu campanarum, non mirum ſi eo dæmonia fugentur cum propter campanarum conſecrationem poſſit habere hunc ſupernaturalem effectum. De ſtrepitu armorum, & clamoribus, credendum non eſt talem effectum habere.

Ad 4. reſpondetur negando maiorem: licèt enim ſępe dęmones vexent homines media illa corporali diſpoſitione: ſine illa tamen poſſunt eos vexare ſolo motu locali, vt diximus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum corpora cœleſtia imponan neceſſitatem his, qui eorum actioni ſubduntur.

Concluſio eſt negans.

RAtionem huius diffuſiſſime explicat Caiet. hic. Nos breuiter dicimus ideo corpora cœleſtia non imprimere ne-

ceſſitatem his, quę eorum actioni ſubduntur: quia effectus cœleſtium corporum, quę producunt medijs cauſis inferioribus, impediri poteſt, ita vt tale impedimentum non ſequitur ex impreſſionibus cœleſtibus. Patet hoc nō ſolum quando cum per voluntariam actionem impeditur effectus cœleſtium tā in homine, quam in alijs rebus, ad quas hominum operatio ſe extendit; ſed etiam cum talis effectus impeditur per actionem dependentem à cœlis. Nam tunc impedimentum ſequitur ex concurſu duarum cauſarum, talis autem concurſus non reducitur in cauſam cœleſtem, cum ſit ens per accidens: *Quod autem eſt per accidens non habet cauſam, quia non eſt verè ens, cum non ſit verè vnum.*

Contingit quidem quandoque concurſum duarum cauſarum eſſe per accidens reſpectu ipſarum, & non reſpectu virtutis corporis cœleſtis: ſicut quod hac herba florente illa floreat, eſt per accidens reſpectu ipſarum herbarum, non tamen reſpectu virtutis corporis cœleſtis, vt docet D. Th. 6. Meth. lect. 3. Quando tamen actio vnius cauſæ impedit effectum alterius concurſus talium cauſarum non ſolum eſt per accidens reſpectu ipſarum, ſed etiam reſpectu virtutis cœleſtis. Cuius rationem aſſignat Ferra. 3. Cont. gent. cap. 86 §. *Ad euidentiam primi*. Quia in primo caſu mouentur ad agendum cauſę particulares ab vna virtute cœleſti, ſicque concurſus illarum cauſarum in agendo eſt per ſe in ordine ad cœleſtem virtutem, cum ſit ſecundum inclinationem, & intentionem vnius virtutis;

ſimul

ſimul vtramque cauſam ad operationem moventis. In ſecundo autem caſu non mouentur cauſę particulares ad agẽdum ab vna virtute cœleſti, cum ab eadem virtute non poſſit ſimul prouenire effectus, & eius impedimentum: ſed à diuerſis virtutibus cœleſtibus, ſicque concurſus talium cauſarum, ſicut eſt per accidens reſpectu ipſarum, ita eſt per accidens reſpectu virtutum cœleſtium: quia ex nullius intentione, & inclinatione prouenit, cum quælibet ſolum intendat producere ſuum effectum, & ad hoc ſolum inclinet cauſam particularem, ſicque talis concurſus, & impedimentum quod ex illo ſequitur non reducitur in cauſam cœleſtem.

Hinc ſequitur non ſolum futura opera hominum, ſed etiam futuros euentus contingentes, caſuales, & fortuitos in rebus naturalibus, non poſſe cognoſci ex corporibus cœleſtibus, nam non habent cauſam cœleſtem, ex qua cognoſcantur, cum non ſolum concurſus cauſarum inferiorum ſit per accidens, ſed etiam concurſus ſupremarum cauſarum cœleſtium; quia vt hic §. *Tertiò* docet Caietanus: *Concurſus ſyderum, quamuis in ſe ſit per ſe, & neceſſarius, vt applicatus tamen ad hos effectus eſt contingens*. Et ex nullius in cœlo exiſtentis intentione, aut inclinatione prouenit, ſed ſolius Dei intentione, qui illum eſſe vult, vt tales effectus reſultent, contingentes quidem, & caſuales, ac fortuiti reſpectu cauſarum tam cœleſtium, quam inferiorum, non tamen reſpectu Dei. Vnde illos antequam fiant ſolus Deus cognoſcit, non

vero Angeli, vt diximus ſupra quęſt. 57. artic. 3.

QVÆSTIO CXVI.

De Fato.

ARTICVLVS I.

Vtrum Fatum ſit aliquid.

Concluſio eſt affirmans.

FAtum ſic à Boetio diffinitur libro 4. de Conſol. proſa 6. *Inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus.* Dicitur *diſpoſitio*, non quæ eſt in genere qualitatis, ſed vt deſignat ordinem, qui relatio eſt, vt hic art. 2. ad 3. & 3. Contra gent. cap. 93. explicat D. Th. *Inhærens rebus*, ad differentiam prouidentiæ, quæ eſt ordinatio effectuum, vt eſt in ipſo Deo, vt eiſdem locis explicat D. Th. *Mobilibus*, quia per talem ordinem contingentia, & mobilitas nõ aufertur à rebus, vt explicat S. Doct. 3 contra gentes, cap. 93. & fatum ſecundum conſiderationem cauſarum ſecundarum mobilè eſt, quamuis, vt ſubeſt diuinæ prouidentiæ immobilitatem ſortiatur, vt hic art. 3. explicat D. Th. *Per quam prouidentia quæque*, ea ſcilicet quæ ſubdi fato docet D. Thom. hic artic 4. *Suis nectit ordinibus.* Scilicet vt illa eueniant

illo

illo tempore,& alia alio tempore, hæc prius, illa poſterius, vt explicat Boetij interpres

Circa articnlum tertinm,& quartnm nihil ſe offert dicendnm.

QVÆSTIO CXVII.

De pertinentibus ad hominis actionẽ.

Circa articulum primum nihil ſe offert dicendum.

In art.2. ad 1. notanda eſt duplex expoſitio illius quod dicitur ad Epheſ. 3. v. 10 *Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis Sapientia Dei*. Adde etiam ad rationem docendi, & illuminandi non ſufficere vt proponatur obiectũ alias abſcõditum, ſed requiri etiam taliter diſponi & ordinari, vt qui docendus eſt, confortetur ad cognoſcendum, quod ſibi proponitur. Angeli autem non poſſunt hoc modo confortari ab hominibus, ſicque nec ab eis doceri.

Circa art. 3. nihil ſe offert ſcribendum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum anima hominis ſeparata, poſſit corpora ſaltem localiter mouere.

Concluſio eſt negans.

COntra illam poteſt obijci 1. quod Lucę 16. ver. 24 dixit diues ſepultus in inferno: *Pater Abraham miſerere mei, & mit-*

te Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam Sed ad hoc opus erat, vt anima Lazari aquam localiter moueri: ergo &c.

Secundò. Anima Moyſi in Chriſti Tranſfiguratione, vt docet D. Tho. 3. p. q. 45. ar. 3. ad 2. *Apparuit per aliquod corpus aſſumptũ, ſicut Angeli apparent.* Ergo ſicut Angelus corpori aſſumpto vnitur vt motor, illudque mouet: ita anima Moyſi corpus aſſumptum mouit localiter, à quo enim alio mouebatur? Idem argumentum fieri poteſt de alijs animabus; nam vt ait D. Tho in 4. diſt. 45. q. 1. art. 1. q. 3. ¶ *Aliquando animæ ſeparatæ conſpectibus hominum præſentantur, ſicut Aug. narrat de Felice martyre, qui ciuibus Nolanis viſibiliter apparuit, cum à Barbaris oppugnarentur. Et hoc etiam credi poteſt, quod aliquando de damnatis contingant, quod ad eruditionem hominum, & terrorem permittuntur viuentibus apparere, aut etiam, ad ſuffragia petenda quantum ad illos, qui in Purgatorio detinentur; vt per multa, quæ in 4. Dialog. narrantur, patet.* ✠ Confirmatur: nam ſepe ſpiritus exiſtentes in arreptitijs, dicunt ſe eſſe animas aliquorum hominum, in cuius confirmationem faciunt operationes, quas defũcti, & non alij ſolebant agere, reuelant multa ſecreta, quæ ſoli homines, quorum animas ſe eſſe profitentur, poterant noſce, petunt ſufragia, reſtitutionem ablatorum ſuadent, & multa alia ſancta, & vtilia monent eſſe facienda: at tales ſpiritus corpora, in quibus ſunt mouent; ergo &c.

Tertiò. Anima hominis ſeparata eſt natu-

raliter in loco: ſed non niſi per operationem tranſeuntem qua motum in loco corporeo efficiat, vnde D.Thom. q.26.de Verit. art. 1. ait,vnionem per modum motoris, aut locati eſſe naturalem animę ſeparatæ; ergo &c.

Dicendum tamen eſt,veram eſſe concluſionem D.Tho. *Quod anima ſeparata ſua naturali virtute non poteſt mouere aliquod corpus.* Non enim habet anima virtutem naturalem, niſi ad mouendum corpus, quod viuificat: vnde cum eſt corpori vnita, ſi aliquod membrum corporibus mortificetur, non obedit animæ ad motum localem; ergo cum anima ſeparata nullum corpus viuificet, nullum corpus obedit ei ad motum localem quantum eſt de virtute ſuę naturæ; ſupra quam tamen (ſubdit D.Tho.) poteſt aliquid ei conferri virtute diuina,quo moueat corpora localiter.

Ad primum verò reſpondetur 1.aquam ibi ſumi metaphoricæ pro auxilio, & mitigatione pœnarum, ſicut & metaphoricè accipitur digitus pro virtute auxiliatiua. Secundò, ibi negatum fuiſſe diuiti quod petebat tanquam impoſſibile animæ Lazari. Tertiò, diuitem non ſolum petijſſe quod virtute ſuæ naturæ poterat, ei anima Lazari præſtare, ſed etiam quod poſſet virtute diuina: hac autem concedit D.Tho.animam ſeparatā poſſe mouere corpora.

Ad ſecundum reſpondetur, animam Moyſi in Transfiguratione Chriſti diuinitus appa-ruiſſe, ſicque virtute diuina corpus aſſumptū motum fuiſſe ab illa. Conſtituit tamen D.T. loco citato in arg.ex 4. ſent. differentiam in-

ter

ter ſanctos, & damnatos. ¶ *Quod ſancti cum voluerint, apparere poſſunt viuentibus, non autem damnati. Sicut enim viuentes ſancti in carne per donum gratiæ gratis datæ accipiunt, vt ſanitates, & ſigna perficiant, quæ non niſi diuina virtute mirabiliter fiunt, quæ quidem ſigna ab alijs, hoc dono carentibus, perfici non poſſunt; ita etiam non eſt inconueniens: vt ex virtute gloriæ aliqua poteſtas animabus ſanctorum detur, per quam poſſunt mirabiliter apparere viuentibus cum volunt quod alij non poſſunt niſi interdum permiſſi.* † Vnde de animabus in loco Purgatorij exiſtentibus dicunt nonnulli S. Thom. diſcipuli recentiores; quando Dei nutu permittuntur, aut iubentur viuis apparere; Angeli eas deferunt, ipſi componunt, ac fabricant corpora elementaria, & eas ea induunt, vt repræſentent ſua corpora, & ita quæ ſint dignoſcantur. Idem cenſent de animabus damnatorum; nam vel ex Dei præcepto Angeli boni, vel mali eas ab inferno educunt, mouent, ac coaptant corporibus, in quibus apparere debent. Exiſtimo tamen hoc etiam ab ipſis animabus virtute diuina fieri poſſe ſine miniſterio Angelorum bonorum aut malorũ, cur enim ipſæ virtute diuina non poterunt corpora aſſumere, hecque localiter mouere, per illa loqui, aliaſque actiones efficere: quando permittuntur in eis apparere ad adſtruendam, & confirmandam animarum immortalitaté, aut ob alios fines a Deo intentos? Ad confirmationem reſpondendũ eſt quod hic ad 2. cum SS. Aug. & Chryſoſt. ait D. Thom. *Frequenter dæmones ſimulant ſe eſſe animas mortuorum.* Vnde hoc di-

dicentibus in arreptitijs non eſt credendum; dæmones enim eſſe conuincuntur:quia multa dicunt, quæ animæ mortuorum ignorant, hæ namque præſertim damnatorum neſciūt quæ hic aguntur, vt patet ex dictis ſupra q 89 ar.8 & nihil aliud ſciunt, niſi quæ dum eſſent corpori vnitæ didicerant. Non eſt etiam credibile animas defunctorum corpora viuentium ita vexare, aut alia facere, quæ ſolent prædicti ſpiritus in arreptitijs facere. Quod vero faciāt operationes quas, defuncti ſolebant agere, vel ea, quæ defuncti in abſcondito egerant, reuelent, non conuincit eſſe animas ipſas defunctorum, cum ipſi dæmones ea agere, & ſcire poſſint. Si quę vero bona ſuadent, non bono fine hoc faciunt, ſed vt poſtea decipiant, vt diximus ſupra q. 64. art.2.dub.2.

Ad 3 reſpondetur concedendo maiorem, iuxta doctrinam D.Thom in 4. diſt.45 qu.1. art.1.q.1.in corp.& ad 1.dicentis: *Sunt in loco modo ſubſtantijs ſpiritualibus conuenienti.* Negando tamen minorem, licet enim ſint in loco per operationem tranſeuntem, quæ eſt applicatio virtutis motiuę, propter quod D. Thom loco citato in argumento ait, vnionem per modum motoris, aut locati eſſe eis naturalem; corpora tamen eis non obediunt ad motum localem, vt hic docet S. Doctor. M Soto in 4.diſt 45 qu.1.ar.3. conc. 1. multis probat animam ſeparatam poſſe ſe ipſam localiter mouere: negat tamen hinc ſequi poſſe corpora mouere: quia nequeunt illa niſi viuificando mouere. Multo ergo minus ex-

exi-

existētia in loco poteſt colligi potentia mouendi corpora, cum ſine motu corporum, mejus poſſit animam ſuam virtutem applicare vni loco, qua pluribus ſucceſſiuè. Vis animæ motiua naturaliter determinata eſt ad mouendum corpus quod viuificat, vt hic in corpore, & ad 1. docet D. Thom. & explicat Caietanus: ſicque licet applicetur alteri corpori non mouet illud; nam licet in illo aliquem imprimat impulſum, hic tamen non eſt ſufficiens, vt ex illo ſequatur motus, ſicut nec ſequitur ex impulſibus quos, imprimunt Angeli in cœlo Empireo, vt diximus ſupra qu. 52. art. 1. dub. 3. ad 4. Quia ſicut vt ſequatur motus ex impulſu Angeli requiritur vt corpus, cui imprimitur ſit mobile: ita vt ex impulſu animæ ſequatur motus, requiritur, vt corpus ſit viuens, & informatum illa: corpus enim inanime non eſt mobile ab anima.

QVAESTIO CXVIII.

De traductione hominis ex homine quantum ad animam.

Circa art. 1. nihil ſe offert dicendum. Vide Caietanum.

Articuli 2. concluſio eſt: *Hæreticum eſt dicere quod anima intellectiua traducatur cum ſemine:* Sequeretur enim nō eſſe immortalem, quod contra fidem eſſe ſupra qu. 75. art. 2. & 3. probatum eſt. Oſtenſum eſt etiam qu. 90. art. 1. erroneum eſſe aſſerere animam rationalem

non

non per creationem, ſed per generationem produci. Vide Caietanum.

Art. 3. concluſio eſt: *Simpliciter confitendum eſt, quod animæ non ſunt creatæ ante corpora, ſed ſimul creantur, cum corporibus infunduntur.* Quę eſt contra Origenem, cuius errorem refert, & impugnat D. Thom. hic & ſupra q. 47 art. 2. Probari etiam poteſt ex illo Zachariæ 12. v. 1. *Fingens ſpiritum hominis in eo.*

QVÆSTIO CXIX.

De propagatione hominis quantum ad corpus.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquid de alimento conuertatur in veritatem humanæ naturæ.

Concluſio eſt affirmans.

CVius oppoſitum Chriſtus non docuit, cum Matth. 15. v. 17. dixit *Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, & in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur?* Nam vt hic ad 1. ait D. Thom *Dominus non dicit, quod totū quod in os intrat per ſeceſſum emittatur. Sed oportet, quod de quolibet cibo aliquid impurum ſeceſſum emittatur.* Vnde Chriſtus Synecdoche vſus eſt, quæ frequens in Scriptura ſacra eſt, in qua ſæpę totum ſumitur pro parte,

vt

vt ibidem ait D. Thom. Aliam expoſitionem addit ibidem Caietanus: nempe abſque læſione veritatis poſſe dici quod ait Chriſtus: quia parum pro nihilo reputatur, & tam parum alimenti conuertitur in ſubſtantiam hominis, vt dicat Hippocrates lib. 4. de morbis, num. 20. quantitatem excrementorum debere eſſe æqualẽ quantitati alimenti in corpore ſano. Vide etiam ibi S. Hieronymum.

Circa art. 2. nihil ſe offert dicendum. Sicque Summæ Commentariorum in primam partem D. Thomæ finem impono.

Finis Commentariorum in Primam Partem.

LAVS DEO.

INDEX RERVM notabilium.

A

ABſolui ab omni loco poſſibile eſt Angelo. 62.
Accidētia rei eadem ſpecie qua quidditas repræſentantur Angelo. 215.
Actio quomodo à principio, & termino ſpecificetur. 470
Adam de terra rubra ſumpta ex quatuor mundi partibus formatus eſt. 609. In gratia fuit conditus. 618. Habuit omnes virtutes. 620. Non vidit Deum per eſſentiam, niſi forte in raptu. 615. Nec Angelos. 616. Habuit omnium, quæ naturaliter homines cognoſcere poſſunt, ſcientiam, fuitque omnium hominū ſapientiſſimus, Chriſto ſolo excepto. 617. Extra paradiſum fuit conditus, 660. In paradiſo fuit à Deo poſitus: vt operaretur, & custodiret illum. 658. & ſeq. Si non peccaſſet immortalis fuiſſet. 622. Immortalitatem vnde habuiſſet. 623 Non fuiſſet paſſibilis. 624
Aër locus pœnalis eſt dæmonum. 362. Quomodo, & quam pœnam in illis cauſet. 363
Aeſtimatiua. Vide cogitatiua.
Affectus ad qua peccata ſit in dæmonibus. 282 & ſeq.
Alcodij tres mirabiles fontes. 391
Alimentum quod non informetur anima. 459 Aliquid eius conuertitur in ſubſtantiam homi-

minis. 737
Alligatio dæmonis ab Angelo quomodo fiat. 105
Amor naturalis eſt in Angelis. 250. An neceſ-rius quoad exercitium. 251. Vide dilectio.
Amor amicitiæ, & concupiſcentiæ quomodo diſtinguantur. 289
Angelos eſſe, & incorporeos eſſe, fides docet 1. Non ſunt comp ſiti ex forma, & materia etiam ſpirituali. 6. Sunt in magno numero. 9. An excedant numerum indiuiduorum materialium ſaltem ſpeciei humanæ. 10. Differunt inter ſe ſpecie. 13. Nequeunt ſolo numero diſtingui. 17. Sunt natura ſua incorruptibiles. 27. Non habent corpora ipſis naturaliter vnita. 32. Poſſunt corpora aſſumere. 37. de Angelorum loco à 43. vſque ad 89. de motu eorum à 89. vſque ad 147. de cognitione eorum à 147. vſque ad 250. de eorum amore à 250. vſque ad 254. de eorum productione in eſſe naturæ à 254. vſque ad 257. de eorum perfectione à 257. vſque ad 264. de eorum malitia à 264. vſque ad 341. de eorum pœna à 341. vſque ad 365. de eorum illuminatione à 673. de eorum locutione à 673. vſque ad 683 de eorum præſidentia ſuper creaturas à 683. vſque ad 686. de eorum miſſione à 686 vſque ad 690. de cuſtodia bonorum Angelorum à 690. vſque ad 699
Anima quid ſit, & eius definitio explicatur. 418
Anima hominis eſt ſubſiſtens, & incorporea. 424. Incorruptibilis, & immortalis, 434. Vnitur corpori vt forma, 442. Multiplicatur ſe-

ſecundum corporum multiplicationem, 443. Præter eam non ſunt in homine aliæ animæ, aut formæ, 444. & ſeq. Eſt formaliter eminenter ſenſitiua, & vegetatiua, ſed non corporea etiam, vt quo, 447. & ſeq. Eſt tota in qualibet parte corporis, 455. & ſeq. Vna anima eſt intrinſecè perfectior alia 578. Per creationem producitur, 608. Duplex eius ſtatus, 591. Separata aliquid poteſt intelligere, 595. & ſeq. Se per ſe ipſam intelligit, 591. Alia per ſpecies inditas, 801. & ſeq. Quæ hic agitur quomodo cognoſcat, 605. & ſeq.
Animalia, quæ non augentur, nec generant, 481.
Appetitus ſenſitiuus in corde eſt, 543. Diuiditur in iraſcibilem, & concupiſcibilem, vt in diuerſas potentias, 545
Apprenſio ſimplex non ſufficit ad mouendam voluntatem, 293
Aquarum congregatio quomodo facta fuerit tertia die, 389. Aquæ ſupra firmamentum quæ ſint, 383
Aſtrologi an, & quomodo ex aſtris cognoſcere, ac prædicere poſſint complexiones corporum, Inclinationes, & paſſiones appetitus ſenſitiui, Bonitatem intellectus, & voluntatis, humanoſque actus. 708 & ſeq.
Aſtrologia iudiciaria quæ damnata, & illicita ſit. 701.
Auditus organum, & ſubiectum 488. Medium 492. Senſibile proprium. 499
Aues ex aqua fuiſſe productas, 403

B

BEatitudo naturalis & ſupernaturalis 257. Naturalis an manſerit in dæmonibus 259.
Beatorum animæ quæ cognoſcant ex his quæ hic aguntur. 605
Behemah heb. quæ animalia dicantur. 405
Behemoth heb. cur Elephas nuncupetur. 367
Benedictio diei ſeptimæ debita. 408
Bonum eſt obiectum voluntatis. 550
Brutorum animæ perfectorum ſunt indiuiſibiles & tota in qualibet parte corporis. 462

C

COeli incorruptibiles ſunt. 372. Quot ſint. 388. Empyreum conſtituendum eſt. 374. Immobile 375 An influat in hæc inferiora, ibid. Chriſtallinum nomine aquarum ſupra firmamentum intelligitur. 383. & ſeq:
Non ſunt cœli cauſa, aut ſigna humanorum actuum. 700. Non imprimunt in dæmones. 722. Nec imponunt rebus neceſſitatem. 727.
Complicari & expandi quomodo dicantur. 385.
Calor naturalis non eſt potentia nutritiua, ſed eius inſtrumentum. 486
Capilli anima informantur. 457
Caro non eſt organum tactus, ſed medium. 491
Cerebrum eſt ſubiectum ſenſuum internorum 522. Tres habet quaſi ventriculos. 524. Ab eo nerui ſenſuum externorum. 517
Cogitationes cordium cognoſcere proprium eſt Dei 226. Etiam quoad ſubſtantiam nequeunt cognoſci ab Angelis propria virtute. 230
Cogitatiua diſtincta eſt à phantaſia. 528. Quæ in alijs animalibus dicitur æſtimatiua, in homine

mine dicitur cogitatiua, ratio etiam particulari; . 529. Eius organum vbi ſit , ibidem.

Cognoſcit Angelus ſeipſum , 185. Per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem . 187. Deum etiam auctorem naturæ . 206. Alios Angelos per ſpecies accidentales . 195, Per quas à Deo inditas omnia alia cognoſcit. 153 Non per ſpecies acceptas à rebus.156, ſingularia etiã cognoſcit 214 Nõ cognoſcit plura,vt plura.240.Poteſt tamẽ omnia,quæ repræſentãtur per quãlibet eius ſpeciem ſimul cognoſcere . 244. Quæ ſemper actu cognoſcat. 238. Non cognoſcit diſcurrendo , nec componendo & diuidendo . 247. Vide Cogitationes cordium & Futura .

Comprehendit Angelus ſuperior inferiorem , 201. Inferior ſuperiorem nequaquam , 197.

Conſeruatio ſit ne actio distincta à creatione . 663. An immediate conſeruet Deus omnia . 666.

Creatura abſolute impeccabilis ex ſua natura fieri nequit . 267. Impeccabilis contra finem Naturalem immediate poſſibilis eſt . 271. Talis eſt Angelus de facto . 238

Custodiuntur homines ab Angelis . 690. Singuli à ſingulis . 692. Etiam ſi peccatores & infideles ſint , 693. Ab eorum natiuitate. 697. Qua custodia , nec Antichristus priuabitur. 696. An adſit vnicuique homini etiam dæmon . 695. Christus non indiguit Angelorum custodia, 696. Nec B. Virgo toto eo tempore quo Chriſtum ſuo vtero circumdedit . ibid. Prouincijs , Regnis , Perſonis publicis Angeli custodes deputantur , 694. Cuius ordinis ſint Angeli custodes , 695

D

DAmaſceno in agro Adam formatum fuiſſe multi aſſerunt. 660

Dæmones obſtinati ſunt in malo, 338. Non poſſunt bonum aliquod morale efficere. 355. An poſſint de aliquo gaudere, 361. An poſſint fugari virtute naturali alicuius rei corporeæ. 724

Dies creationis mundi, an vnus, vel plures fuerint. 412. An ſingulorum dierum opera fuerint in inſtanti facta. 410

Dilectio electiua in Angelis quæ. 253. Vide Amor,

Non impedit locutionem Angelorum. 682. Nec cognitionem animæ ſeparatæ. 605

Dolor eſt in dæmonibus, & quid ſit in illis. 359. An pertineat ad pœnam damni, vel ſenſus. ibid.

E

ECho quomodo generetur. 503

Eden paradiſi longe diuerſum eſt ab Eden Meſopotamiæ. 646

Elementa pura carent odore. 505

Eſſe ſecundum ſe primo conuenit animæ. 432

Ens obiectum intellectus. 572

Exiſtentia vna ſola in homine manens in anima, corpore mortuo. 432

Extra cœlum locus non eſt, 48. Ibi Angelus nequit moueri localiter. 101

F

FAmes quæ eſſet in ſtatu innocentiæ. 625

Firmamentum ſecunda die factum quod. 381. Quomodo diuidat aquas ab aquis. 383.

Fieri

Fieri dicitur aliquid etiam ſi de nouo nō producatur. 597

Fibra in radicibus capillorum. 457. In ſanguine. 460

Flores in Aegypto non redolere fertur; vbi & quando ſint maioris odoris, 505

Flumina à mari, 390

Fontes mirabiles, ibid.

Futura contingentia cognoſcere, proprium ſignum Diuinitatis. 222. Non poſſunt ab Angelis certò cognoſci naturaliter. ibid. Quæ futura cognoſcant, ibid.

G

GAbriel Angelus custos B. Virg. 687. An ſit de ſuperioribus. 688

Gaudiam Beatorum de viſione Dei pertinet ad beatitudinem eſſentialem. 360

Gaudium dæmonum de peccatis hominum, nihil eis de pœna minuit 361

Generatio nō elicitur à ſubſtantia generātis, 700

Generatiua potentia diſtincta eſt à nutritiua: 480. Non eſt per totum corpus diffuſa, 482

Gratiam largitus eſt Deus Angelis quando eos condidit 260. Secundum quantitatem naturalium, 262

Gubernat Deus omnia immediatè, & medijs alijs 661

Guſtus organum & ſubiectum 490. Senſibile proprium, 506

H

HAbitus non cognoſcit intellectus per eſſentiam eorum: 592

Habitus naturales an ſint in Angelis, 238

Hebraica lingua cur interdum vtatur fœmineis pro maſculeis, 659

Henoch viuus in paradiſo aſſeruatur, 653
Heua de vna coſta Adæ formata fuit, 611
An in paradiſo, 661
Hominem eſſe liberi arbitrij certum eſt ſecundum fidem, 556, Notum etiam lumine naturali, 557
Hominem eundem numero poſſe eſſe filium diuerſorum parentum: immo marem & fœminam in conueniens non eſſe exiſtimauit Scotus, 636
Humores in homine ſe habent vt elementa in vniuerſo, 456

I

Illuminatio vnius Angeli ab alio, quomodo fiat, 671
Imaginatiua, Vide Phantaſia:
Incarnationis myſterium Angelis fuiſſe reuelatum 234, Naturaliter ab illis cognoſci nequit, 236
Inconſideratio peccatum Angeli præceſſit, 303
In differentia cõtrarietatis, & contradictionis, 563
Priuatiua, & negatiua, 564
Inflexibilitas lib. arb. dæmonum eſt cauſa obſtinationis eorum, 346
Informitas materiæ quomodo præceſſit formationem ipſius, 368 & ſeq.
Inſtans Angelicum, quid? 330, Iuxta quorum actuum numerum multiplicetur, 289
Duo tantum fuerunt inſtantia à creatione bonorũ Angelorum vſque ad eorum glorificationem, 330 Tria à creatione malorum vſque ad eorũ damnationem 335. An primum, durationi diuiſibili temporis noſtri reſponderit, 336
Intellectus agens non eſt in Angelis, 153. In homine realiter eſt à poſſibili diſtinctus, 534. Quomodo ſit illo perfectior, 536. Concurrit principaliter ad productionem ſpecierum intelligibilium, 539. Quomodo illuſtret phantaſmata 540

Intellectus poſſibilis perfectior eſt voluntate, 550
Non poteſt intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, 569. *Nec directe ſingularia materialia*, 583. *Quodnam ſit eius obiectum*, 572.
Iraſcibilis diſtincta potentia eſt à concupiſcibili. 545
Iuſtitia originalis an ſit diſtincta à gratia, 631
Cum ea nati fuiſſent pueri in ſtatu Innocentiæ, ibidem. *Non tamen confirmati in ea*, 635

K

K*Auah*, Heb. *quid ſignificet*, 389. & ſeq.
Kides Heb. quid, 408

L

L*Ac non informatur anima*, 456. & ſeq.
Liberum arb. quid ſit. 562. *Eius vera definitio explicatur*, ibid. & ſeq.
Libertatis radix indifferentia iudicij. Hac ſtante an poſſit formalis libertas auferri, 558
Lignum vitæ quodammodo immortalitatem cauſabat, 625. *Vis hæc naturalis illi erat*, 626
Locutio Angelorum quomodo fiat, 675. *Eam non impedit diſtantia localis*, 682. *Nec illam omnes percipiunt*, ibid.
Luminaria cœli quomodo dicantur facta quarta die, 397. *Cauſa productionis eorum*. 399.
Luna minor eſt terra, 398. *Quomodo dicitur luminare magnũ*. ibid.
Lux facta prima die, quæ? 417. *Eſt proprium ſenſibile viſus*. 496. *An faciat colores actu viſibiles*, 498

M

M*Ateria prima nullum habet actum ex ſe*, 368. *Nequit eſſe abſque omni forma*, 337

Non eſt eadem cœlorum, & rerum ſub lunariū.
Nec orbium cœleſtium. ibid. ſeq.
Mare altius eſt terra, 389. Odorem habet. 504
Memoria ſenſitiua diſtincta eſt ab æſtimatiua. 532. Vbi ſit eius organum, 533. non eſt alia potentia ab intellectu, 542
Mereri potuit Angelus in primo inſtanti, 325
Michael Angelus cuius ordinis ſit, 688
Non potuit peccare, 319
Mittuntur Angeli, 686. An etiam ſuperiores. ibid.
Mundus an in vere, aut in autumno fuerit conditus, 347

N

NAſus abſciſus reuniri poteſt, & iterum anima informari, 461
Nerui optici ſeu viſorij viſus, 487. Molles auditus, 488
Notitia intuitiua & abſtractiua, 185. Abſtractiua ſui ipſius, an ſit Angelo poſſibilis, ibid.
Nutritiua potentia diſtincta eſt ab augmentatiua. 479
Nutritio ab augmentatione diſtinguitur, 484
Nutriuntur capilli, & vngues, 457

O

OBſtinatio quid ſit, 342. Obſtinationis dæmonum, cauſæ, 344. Aliorum damnatorum, quæ? 377.
Odor eſt ſenſibile proprium olfactus, 504. Diffunditur realiter & intentionaliter, 505
Odorabilia, quæ ibidem.
Olfactus organum, & ſubiectum, 489. Medium. 494. Senſibile proprium, 504
Oratio Ioſeph, liber apocryphus, 702
Organa ſenſuum externorum, 487. Internorum. 517. Appetitus ſenſitiui, 543

P

Paradiſus eſt locus corporeus, 637. Locus determinatus in terra, 642. Non in Syria aut Meſopotamia, ſed in Oriente, 446 Sub zona temperata, 648 Adhuc extat. 653

Peccatum Angelorum ex Scriptura S. conſtat, 264 Primum ſuperbia fuit, 286. Appetitus ſcilicet, non æqualitatis cum Deo ſecundum naturam: 291. Sed beatitudinis habendæ per ſuam virtutem 301. Non alicuius principatus, aut vnionis hypoſtaticæ appetitus, nec Chriſto nolle ſubijci 307

Peccare non potuit Angelus in primo inſtanti. 319 Supremus omnium peccauit, 339. Fuitque alijs cauſa peccandi, ibid.

Phantaſia ſeu imaginatiua à ſenſu communi diſtincta eſt, 522. Vbi ſit eius organum, 525 Piſces ex aqua producti ſunt, 401. Intra aquam quomodo ſonos moueant, 494

Plantæ tertia die productæ, 392. Cum fructibus iam maturis, 395

Potentiæ diſtinguuntur per actus & obiecta, 469. Vt proprietates iuxta diuerſitatem naturarum, 471. Earum quinque genera, 475. Non omnes ſunt in anima, vt in ſubiecto etiam quo. 471. Fluunt tamen omnes ab ea vt à principio, 473

Potentia actiua, & paſſiua quæ, 508.

Potentia motiua ſecundum locum an ſit actiua, vel paſſiua, 476.

Q

Qualitas prima & ſecunda, 500

Quantitas maior augumentationis terminus, 484

Quid-

Quidditas rei materialis, obiectum noſtri intellectus, 572

R

RAdix libertatis quæ, 557

Regreſſus à priuatione ad habitum poſſibilis eſt in aliqua parte, 466

Reminiſcentia non eſt diſtincta à memoria, 533.

Reptilia, quæ dicantur, 405

Romeſeth Heb. quid ſignificet. 402

S

SAmaim heb. cur cœli dicantur. 386

Sanguis informatur anima, 456

Sapor eſt ſenſibile proprium guſtus. 505.

Senſibile proprium viſus, 496

Senſus eſt potentia paſſiua, 508 *Non datur ſenſus agens*. *ibid. Senſus exteriores quinque*, 487. *Interiores quatuor*, 536. *Communis quomodo ab exterioribus diſtinguatur*, 517

Senſibilium tria genera, proprium, commune, & per accidens, 527

Senſibile poſitum ſupra ſenſum percipi non poteſt, 512. *Vehemens lædit ſenſum*, 509.

Singularia cognoſcunt Angeli. 212. *Per ſpecies inditas*, 214. *Etiam ſecundum eorum accidentia* 217

Singularia materalia à nobis non directè, ſed per reflexionem cognoſcuntur. 583. *Hæc reflexio, explicatur*, 585. *Non cognoſcuntur per propriã ſpeciem*. *ibid.*

Sol continet magnitudinem terræ centies ſexagies ſexies, 398. *Ab eo lumen aliorum luminarium*, 379

Sonus ſenſibile proprium auditus, quid. 499. *Ex quorum corporum percuſſione fit*: 500. *Vbi re-*

cipiatur, 501. Quomodo per medium deferatur vſque ad aures, 500. Reflexus, ſiue Echo quomodo generatur. 503 Imaginarium non eſt locus Angeli, aut corporis, ibid.
Species ſenſibiles ad operationem ſenſus requiruntur. 511. Species ſenſus communis, & phantaſiæ quomodo diſtinguantur. 525
Species repræſentans æſtimatiuæ rationes, non ſenſatas, à quo producatur. 531
Species intelligibilis eſt neceſſaria ad intelligendū. 567. Eſt formalis ſimilitudo obiecti. 575
Subſtantia materialis per accidens ſenſibilis. 496. An poſſit cognoſci à cogitatiua hominis. 589
Superbia primum Angeli peccatum. 286

T

TActus organum, 491 Medium, 494. Senſibile proprium. 506
Tempus concreatum materiæ informi. 375. Menſurans motum Angeli diſtinctum eſt à noſtro, 143
Terræ informitas, quæ? 368, Plantas, & herbam protulit, 392
Tympanum aurium, 438

V

VIſus organum 487, Medium: 492 Senſibile proprium, 496
Vngues anima informantur, 457
Voluntas ſecundum quid perfectior intellectu, 552 Quomodo mouet intellectum, 554
Vultures odorem cadaueris vſque ad 500 milliaria, vel amplius ſentiunt. 505

FINIS.

ERRORES

Amice Lector ſic corrige.

Primus numerus paginam: Secundus verò lineam ſignificant.

Pag. 18. lin. 2. Multiplicantu, Corr. Multiplicantur; ibid. 8. eadem, eādem; 10. eadem eandem; ibidem 10. materia, materiam; 19. 6. Neceiatis, Neceſſitatis; 24. vltima am, iam; 26. 29. ſubſtinentiam, ſubſiſtentiam, 47. 27. dimentionis, dimentiones, 75. 33. interpretur, interpretetur, 77. ARTIC. III ARTIC. II; 88. ARTIC. IV. ARTIC. III; 96. 21. à cauſæ, dele à: 98. 19. Corporis, Corpori; 90. 31. limitata, limitatam; 110. vltima, non, hunc; 117. vltima ſucceſſiu, ſucceſſiue; 118. 6. deferat, deſerat; ibidem, 21. modulis, mobilis; 119. quia, quin, 138. 26. Anno 1002, 1602; 159. 16. eſſe, eſſet; 329. ARTIC. V. ARTIC. VI. 316. ARTIC. IV. ARTIC. V; 339. ARTIC. VI. ARTIC. VII; ibid. ARTIC. VII. ARTIC. VIII; 443. 8. humni, humani; 546. minute, minuit; 549 QVAEST. 83. QVAEST; 82; 556. 19. ab in ipſo, ab initio; 560. 6. ageret, agere; 812. 7. meus meis; 613. maiori, maior, 616 in tit. Art. Videri, Viderit; 617. inſerui, inſtrui 919. 5. iuſtic, iuſtitia; 504. dicendum eſt tertio, dicendum eſt quarto.

Alios, ſi minoris notæ errores inuenies tu ipſe Lector corrige.

Digitized by Google